FORUM ECCLESIASTICUM, *IN QUO* JUS CANONICUM UNIVERSUM,

Librorum ac Titulorum ordine per Quæſtiones & Reſponſa,

Tam Canoniſtarum Veterum & Recentiorum, quàm Legiſtarum,

IN IIS, QUÆ UTRIQUE JURI, CANONICO ET CIVILI COMMUNIA SUNT,

Authoritate ſtabilita, Methodo clara & facili explanantur.

AUTHORE

R. P. PETRO LEURENIO
SOCIETATIS JESU,
SS. Theolog. Doctore, & SS. Canonum quondam Profeſſore.

LIBER IV. DECRETALIUM.







VENETIIS, MDCCXXIX.
Apud Jo: Baptiſtam Recurti, ſub Signo Religionis.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX TITULORUM, CAPITUM, AC QUÆSTIONUM LIBRI QUARTI DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Sponſalibus & Matrimonio.

CAP. I.

De Sponſalium Natura.

QUæſt. 1. Unde ſponſalium nomen, & quid importet

Quæſt. 2. Sponſalia qualiter definiantur.

Quæſt. 3. Qualiter promiſſio debeat eſſe vera, & non ficta ſeu ſimulata, ut Sponſalia conſtituat.

Quæſt. 4. Incidens: num igitur deflorans virginem ſpe matrimonii fictè promiſſi teneatur eam ducere.

Quæſt. 5. An & qualiter promiſſio conſtituens ſponſalia debeat eſſe libera.

Quæſt. 6 Qualiter hæc promiſſio debeat eſſe facta uni determinatæ perſonæ.

Quæſt. 7. An & qualiter dicta promiſſio debeat extrinſecus manifeſtari.

Quæſt. 8 An & qualiter promiſſio futuri matrimonii intimari abſenti debeat, ut acceptari cenſeatur, & quis nomine ejus acceptare eam poſſit.

Quæſt. 9 Num igitur promiſſio futuri Matrimoni etiam Cajæ manifeſtata nullatenus Titium promittentem citra acceptationem Cajæ obliget.

Quæſt. 10. An & qualiter ad conſtituendum ſponſalia requiratur promiſſio mutua.

Quæſt. 11. Num mutua illa promiſſio facta clandeſtinè conſtituat ſponſalia valida & licita.

Quæſt. 12. Num ſponſalia celebrata ſine ſcitu & conſenſu parentum, aut eorum, qui contrahentibus ſunt loco parentum, ſint valida, vel etiam licita.

CAP. II.

De Verbis aliiſque ſignis, & factis, quibus ſponſalia contrahi poſſunt, & ſolent, contractaque in foro externo præſumi debeant.

QUæſt. 13. An & qualiter per verba contrahi poſſint aut debeant ſponſalia.

Quæſt. 14. Per quæ verba cenſeantur validè contrahi ſponſalia.

Quæſt. 15. An & qualiter taciturnitas ſit ſignum ſufficiens interioris conſenſus, ac ita vi illius contrahantur valida ſponſalia.

Quæſt. 16. An & qualiter ſubarrhatio annuli ſit ſi-

gnum interni conſenſus ſponſalitii ſeu ſponſalium.

Quæſt. 17. An inter facta, per quæ promiſſio futuri matrimonii rectè infertur, aut etiam ſponſalia conſtituuntur, ſit matrimonium inter impuberes, aut inter puberem & impuberem nulliter celebratum.

Quæſt 18. An matrimonium clandeſtinè, & hinc invalidè contractum inter puberes contineat rationem ſponſalium.

Quæſt. 19. An & quando defloratio puellæ ejuſque imprægnatio habeatur pro ſigno ſufficiente conſenſus ſponſalitii, aut ſaltem obliget ad ducendam vel dotandam illam.

Quæſt. 20. Quid agere debeat in foro externo judex, dum conſideratis conſiderandis omnibus, manet dubium vel ambiguum, num ſponſalia verè contracta ſeu vera ſint, valeatque promiſſio matrimonii.

CAP. III.

De pignoribus, pactis, pœnis, conditionibus, quæ conſpectui ſponſalitio poſſunt vel non poſſunt apponi.

QUæſt. 21. An in contractu ſponſalium ob majorem ejus firmitatem adhiberi poſſint fidejuſſores & apponi pignora.

Quæſt. 22. An igitur ſponſalibus, adjici poſſit pactum expreſſum à contrahentibus, ut reſiliens injuſtè compenſet damnum emergens ex tali receſſu.

Quæſt. 23. An ſponſalibus adjici poſſit pactum pœnæ ſolvendæ à reſiſtenta.

Quæſt. 24. An pœna conſiſtens in lucro non acquirendo (adeoque minùs propriè pœna) adjici poſſit ſponſalibus.

Quæſt. 25. An pœna lucri non acquirendi retrahens à nuptiis validè adjici poſſit legato vel donationi.

Quæſt. 26 Num valida ſit conditio appoſita in ultima voluntate, vel contractu inter vivos retrahens à nuptiis ſpiritualibus, hoc eſt, ſtatu clericali vel religioſo.

Quæſt. 27. Num rejici debeat conditio ineundi matrimonium ſpirituale ſeu ingrediendi religionem, adjecto legato vel hæreditate.

Quæſt. 28. An ſubſiſtat conditio ſub privatione hæreditatis vel legati, ſi nubat extra familiam vel oppidum, vel ne nubat ignobili aut deſcendenti ex Judæis.

Quæſt. 29. An & qualiter conditiones aliæ adjectæ contractui ſponſalitio eundem vitient.

Quæſt. 30. An impediti contrahere ſponſalia ſub hac conditione: Si Papa diſpenſaverit: contrahere poſſint.

Quæſt. 31. An valeat pactum ſponſalibus adjectum, quod vir teneatur in certo loco commorari.

CAP. IV.

De arrhis & ſponſalitia liberalitate.

CAP. V.

De perſonis habilibus ad contrahendum ſponſalia, & horum obligatione & effectu.

CAP. VI.

De diſſolutione ſponſalium.

CAP. VII.

De Matrimonii Eſſentia & Eſſentialibus.

C A P. V I I I.

De impedimentis Matrimonii in genere , & in ſpecie de Impedimentis impedientibus tantùm .

C A P. I X.

De Impedimentis dirimentibus in ſpecie .

§. I.

De Impedimento publicæ boneſtatis .

§. II.

De Impedimento diſparitatis cultus .

§. III.

De Impedimento Raptus .

§. IV.

De Impedimento Erroris .

Quæſt.

TITULUS II.

De desponsatione impuberum.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

TITULUS IV.

De Sponsa Duorum.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in dispensatione aliisque contractibus.

QUæst. 172. An & qualiter subsistat Matrimonium contractum sub conditione honesta de præterito, præsente & futuro.

Quæst. 173. An & qualiter subsistat Matrimonium contractum sub conditione impossibili.

Quæst. 174. An & qualiter subsistat Matrimonium sub conditione turpi.

Quæst 175. An & qualiter Tempus adjunctum contractui Matrimonii per verba de præsenti vitiet illud.

Quæst. 176. Causa seu demonstratio Matrimonii an obstet ejus valori.

Quæst. 177. An & qualiter modus adjectus contractui Matrimonii illud suspendat aut vitiet.

TITULUS VI.

Qui Clerici & voventes Matrimonium contrahere possint.

QUæst. 178. Clerici qui & sub quibus pœnis prohibeantur contrahere Matrimonium.

Quæst. 179. Quæ vota simplicia impediant contrahere Matrimonium;

Quæst. 180. Votum simplex perpetuæ castitatis an & in quo casu dirimat Matrimonium.

Quæst. 181. Votum solemne castitatis, nimirum emissum vel in Promissione religiosa, vel susceptione Ordinum sacrorum (præter quæ duo non dantur alia vota solemnia C. unica de voto in 6.) an & qualiter dirimat matrimonium contrahendum.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit uxorem, quam polluit per adulterium.

QUæst. 182. Quotuplex sit crimen, ex quo oritur impedimentum dirimens Matrimonium.

Quæst. 183. Quale debeat esse adulterium, ut ex eo nascatur dictum impedimentum.

Quæst. 184. An & qualiter adulterium & data fides adulteræ de Matrimonio debeant concurrere durante eodem legitimo Matrimonio.

Quæst. 185. An ad hoc, ut incurratur dictum impedimentum sufficiat contrahi attentativè Matrimonium clandestinè.

Quæst. 186 Qualis debeat esse promissio de Matrimonio contrahendo cum adultera, ut incurratur dictum impedimentum.

Quæst. 187. Incidens: Num de cetero promissio, qua quis alteri promittit Matrimonium post mortem conjugis sit irrita.

Quæst. 188. An & qualiter hoc impedimentum contrahatur ab Infidelibus.

Quæst. 189. An ad contrahendum impedimentum criminis requiratur unà cum occisione conjugis promissio matrimonii vel adulterium.

Quæst. 190. An ad hoc impedimentum incurrendum requiratur præcisè uxoricidium.

Quæst. 191. An requiratur, ut occisio fiat Physicè ab adultero, seu intendente contrahere Matrimonium.

Quæst. 192. An requiratur, ut Machinatio mortis sit efficax, morsque actu secuta.

Quæst 193. An & qualiter requiratur, ut occisio fiat intentione contrahendi Matrimonium cum conjuge superstite.

Quæst. 194. An impedimentum hoc incurratur ab ignorantibus illud tali crimini annexum, adeoque laborantibus ignorantia juris.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

QUæst. 195. An & quale Impedimentum præstet lepra Matrimonio contrahendo.

Quæst. 196. An & qualiter lepra similisve morbus obstet indissolubilitati Matrimonii contracti.

Quæst. 197. An sanus conjugi leproso teneatur reddere debitum eique cohabitare.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

QUæst. 198. Num servis invitis dominis contrahere possint Matrimonium.

Quæst. 199. An saltem dominus indirectè possit impedire Matrimonium servi, v. g. vendendo eum in partes remotas, dum scit illum tractare de Matrimonio contrahendo.

Quæst. 200. An & qualiter servi per contractum Matrimonium eximantur à servitute vel etiam obsequiis & servitiis debitis.

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

QUæst 201. Cujus parentis conditionem quoad servitutem & honores sequantur liberi.

TITULUS XI.

De cognatione Spirituali.

QUæst. 202. Quid sit cognatio spiritualis & unde oriatur.

Quæst. 203. Quotuplex olim fuerit, & modò sit cognatio spiritualis Matrimonium dirimens.

Quæst. 204. An, dum plures sunt Patrini, omnes pariter contrahant dictam cognationem spiritualem dirimentem Matrimonium;

Quæst. 205. An, ut contrahatur hæc cognatio spiritualis, baptismus necessariò debeat esse solemnis.

Quæst. 206. Utrum Monachi & Religiosi (quibus id prohibitum est C. Placuit caus. 16. q. 1. C. non licet, & seq. dist. 4. de consecr.) si suscipiant seu levent infantem ex baptismo, contrahant dictam cognationem.

Quæst. 207. An dum sacra domi privatim baptizatum postmodum in templo suppleantur ceremoniæ & solemnitates omissæ, etiam adhibitis Patrinis, hi contrahent dictam cognationem.

Quæst. 208 Quæ ætas vel intentio requiratur in suscipiente seu levante baptizatum, ut contrahatur hæc cognatio.

Quæst. 209. An & qualiter requiratur ad contrahendam hanc cognationem, ut baptizans & levans sit baptizatus & fidelis.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ vel ſponſæ.

TITULUS XIV.

De conſanguinitate & affinitate.

CAP. I.

De Conſanguinitate.

CAP. II.

De affinitate.

TITULUS XV.

De Frigidis & Maleficiatis & impotentia coeundi.

Quæſt.

Quæst. 253. An & quale juramentum requiratur ultra triennium .
Quæst. 254. Matronæ facturæ inspectionem quot & quales esse debeant .
Quæst. 255. An & qualiter conjux propria authoritate recedens ob impotentiam sit restituenda .
Quæst. 256. An & in quibus casibus dissoluto Matrimonio ob impotentiam restituendi sibi sint conjuges .
Quæst. 257. An & qualiter Sententia lata pro dissolutione matrimonii transeat in rem judicatam .

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ .

QUæst. 258. Quid hic intelligatur per vetitum seu interdictum Ecclesiæ , quam vim habeat , & quam obligationem pariat .
Quæst. 259. Quid importet impedimentum : tempus feriarum .

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi .

QUæst. 260. Qui veniant nomine filiorum , & quo tuplicis generis sint .
Quæst. 261. Ad quæ munia Ecclesiastica promoveri possint illegitimi regulares .
Quæst. 262. Ad quæ promoveri nequeant illegitimi regulares .
Quæst. 263. Quid sit legitimatio qualiter seu quotupliciter fiat , & in quo differat à dispensatione .
Quæst. 264. An & qualiter illegitimi legitimentur per subsequens Matrimonium .
Quæst. 265. Legitimatio an & qualiter fieri possit & debeat per rescriptum principis .
Quæst. 266. Qualiter hæc legitimatio differat ab ea , quæ fit per subsequens Matrimonium .
Quæst. 267. A quibus , & ad quæ hæc legitimatio fieri possit .
Quæst. 268. Quinam à Principibus sæcularibus legitimari possint .
Quæst. 269. A quibus , cum quibus , & ad quæ cum illegitimis dispensari possit .

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint , vel contra illud testificari .

QUæst. 270. Contra Matrimonium vel pro eo quinam agere possint & testificari .
Quæst. 271. Quinam in specie repellantur ab accusatione Matrimonii , & consequenter à testificando contra illud vel pro eo .
Quæst. 272. In causa Matrimonii quis sit judex .

TITULUS XIX.

De Divortiis .

QUæst. 273. Divortium quid & quotuplex .

C A P. I.

De Divortio conjugum quoad vinculum ipsum Matrimonii .

QUæst. 274. Matrimonium ratum quod dicatur .
Quæst. 275. An & qualiter Matrimonium dissolvatur .
Quæst. 276. An de facto Pontifex saltem ob causam gravissimam dissolvere possit Matrimonium ratum fidelium , ita ut utrique parti relinquatur liberum inire aliud Matrimonium .
Quæst. 277. Num posito , Papam posse dissolvere Matrimonium ratum , possit idipsum quoque licitè & validè , ubi non adest causa rationabilis & justa .
Quæst. 278. An dissolvatur Matrimonium ratum fidelium per susceptionem ordinum sacrorum .
Quæst. 279. An & qualiter dissolvatur Matrimonium ratum per vota simplicia & professionem religiosam .
Quæst. 280. Quantum tempus & qualiter concessum conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu .
Quæst. 281. An Matrimonium ratum infidelium durante utriusque infidelitate solvi possit .
Quæst. 282 An Matrimonium infidelium etiam consummatum , dum uterque ad fidem convertitur , possit solvi authoritate Pontificis intercedente justa causa .
Quæst. 283. An & qualiter solubile aut solvatur Matrimonium infidelium , uno eorum converso ad fidem .
Quæst. 284. An Matrimonium illud contractum in infidelitate solvatur quoque per susceptionem Ordinum vel per emissam professionem religiosam à fideli converso .
Quæst. 285. An quoque solvatur Matrimonium fidelium per hoc , quod unus conjugum labatur in hæresin , aut transeat ad errores Gentilium , ita ut innocens transire possit ad aliud Matrimonium .
Quæst 286. Ut Matrimonium dissolvatur , seu potius nullum declaretur , quæ probatio requiratur .
Quæst. 287. An , dum adsunt istæ conjecturæ , quæ factum fuisse consensum , vel illæ probationes , quæ impedimentum adesse concludunt , liceat conjugibus propria authoritate dissolvere Matrimonium .

C A P. II.

De dissolutione Matrimonii quo ad thorum & cohabitationem .

QUæst. 288. Quid in hac parte dicendum de libello repudii concesso Judæis , & num licita eis separatio talis , super inducta alia uxore .
Quæst. 289. An infideles , qui in secundo vel tertio ulterioreve gradu lineæ collateralis , si convertuntur ad fidem , debeant separari quò ad thorum .
Quæst. 290 An & qualiter periculum animæ sit causa sufficiens divortii seu separationis quò ad cohabitationem .
Quæst. 291. An & qualiter periculum corporis sit causa sufficiens divortii .
Quæst. 292. An & qualiter cautio interposita impediat divortium , præcipuè faciendum ratione sævitiæ .
Quæst. 293. Quæ praxis concedendi divortium ob sævitiam , & qualiter pronunciata sententia conjuges statum murare possint .
Quæst. 294 An & qualiter adulterium sit causa sufficiens divortii .
Quæst. 295. Quandonam non liceat facere divortium ob adulterium .
Quæst. 296 An & qualiter conjux innocens possit propria authoritate divertere à conjuge adultero, ea verò necessariò expectanda sententia judicis .
Quæst. 297. An Maritus teneatur dimittere uxorem adulteram .
Quæst. 298. An & qualiter ob hæresin liceat facere divortium .

Quæst.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium reddenda.

TITULUS XXI.

De ſecundis nuptiis.

JUS



JUS CANONICUM UNIVERSUM

R. P. PETRI LEURENII.

LIBER QUARTUS DECRETALIUM.

TITULUS PRIMUS.

De Sponſalibus & Matrimonio.

CAPUT PRIMUM.

De Sponſalium Natura.

QUÆSTIO I.

Unde Sponſalium nomen, & quid importet.

1. Eſp. Primo: Sponſalia a ſpondendo dicta, ſponſionem important. Sponſio vero apud Juris-Conſultos promiſſionem factam per ſtipulationem ſignificat. Barboſ. *h. t. nu.* 3. citans *l. ſciendum ff. de adil. edict. l. ſponſio ff. de V. S.* Unde ſponſalium nomen traductum a more antiquo, quo puellæ nupturæ ſtipulabantur, ſeu per ſtipulationem promittebantur viro ab eis, ſub quorum cura & poteſtate erant, *l. 2. de ſponſ.* Barboſ. *loc. cit.* licet dein moribus & legibus introductum ut, dum res hæc eſt frequentiſſima, & neceſſaria ad Reipublicæ conſervationem, ſponſalia abſque tali ſolennitate nudis promiſſionibus viri ac mulieris, etiam per nuncium ac epiſtolam perficiantur, *l. 5. ff. de ſponſal.*

2. Reſp. Ad ſecundum primo: Sponſalia triplicem ſignificationem habent. Dum primo minus proprie accipiuntur pro arrha, aliiſque muneribus a viro dari ſolitis mulieri ſibi nupturæ, *l. 1. c. Si nuptiæ.* Secundo frequentius pro matrimonio rato non conſummato, *c. fin. de ſponſ. duor. c. qui deſponſatam 27. qu. 2.* Unde celebrato jam matrimonio tali ante conſummationem illius contrahentes dicuntur habere ſponſalia de præſenti, & appellantur deſponſati, juxta illud Matth. 1. *Cum eſſet deſponſata Mater JESU Maria Joſeph:* cujus tamen jam tum uxor erat, uti paulo poſt eodem textu appellatur. Tertio frequentiſſime uſitateque magis ac proprie pro promiſſione matrimonii futuri, veluti ejuſdem præambula, *c. noſtrates 30. qu. 5. l. 1. ff. de ſponſal.* Quamvis plerumque etiam ſponſi dicantur, qui matrimonio jam copulati illud non conſummarunt. Caſtropal. *tr. 28. diſ. 1. part. 1. num. 2.*

3. Reſp. Ad ſecundum ſecundo; nomen conjugis, uxoris, viri ſeu mariti propriiſſime competit quidem iis, qui matrimonium conſummarunt. Covar. *p. 1. de ſponſal. c. 1. n. 3.* nihilominus etiam ii, qui matrimonio juncti, illud non conſummarunt, nuncupari poſſunt Conjuges, Vir, maritus, uxor. Caſtrop. *l. c. num. 3.* citatis *c. ſufficit c. omnes 27. qu. 2. c. conſultationi c. conjuges de ſponſal.* & primum quidem conſtat ex illo Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Secundum ex illo Lucæ 2 v. 5. *Aſcendit & Joſeph, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Tertium ex Matth. 1. v. 16. *Jacob genuit Joſeph, virum Mariæ.* An vero prædicta nomina competant quoque ſponſis de futuro, non ita certum eſt. Affirmant competere illis quandoque, ſed rarius. Sanch. *l. 1. de mat. d. 1. num. 2.* Coninck. *d. 21. dub. 1.* ac ita in favorabilibus ſub nomine uxoris & mariti comprehendi poſſe, inferunt iidem cum Gutt. *l. 3. qq. can. de mat. c. 1. a n. 5.* & aliis. Arg. *l. non ſine C. de bonis quæ liberis*, ubi ſtatutum diſponens, ut ea, quæ uxor a marito quoad proprietatem acquirit ſibi, non patri acquirat, extenditur ad ſponſos de futuro, quod tamen verum eſſe non poſſe, oſtendit econtra Caſtrop. *l. c. n. 4. ex c. ſi vero, de ſentent. excomm.* ubi ſecundum communem opinionem ab excommunicatione *can. ſi quis ſuadente*, excuſatur percutiens Clericum turpiter agentem cum matre, ſorore, uxore & filia; & tamen hæc diſpoſitio, etſi favorabilis, non extenditur ad Clericum verberantem turpiter agentem cum ſponſa de futuro, ut ipſi ſancti. Coninck. Guttier. etſi ſecus ſit, & extendatur dicta diſpoſitio, ſi ſit ſponſa de præſente, etſi a marito non cognita, ita ut ea nomine uxoris comprehendatur. Ubi hoc obſervandum cum Caſtrop. *loc. cit.* & Covar. *num. 4.* quod quoties diſpoſitio aliqua dubia eſt, qualiter nomen ſponſi, viri, mariti, uxoris, & conjugis ſumendum ſit, præſumendum ſit, niſi aliud aliunde colligatur, ſumptum eſſe ſecundum communem & frequentiorem uſum, ita ut nomen *ſponſi* ad ſponſos de futuro conjugio, & nomen *mariti & uxoris* ad ſponſos de præſente referatur; quia verba ſtatuti, diſpoſitionis, legis ſemper, quoad fieri poteſt, intelligenda ſunt proprie juxta *c. in noſtra de injuriis.*

4. Reſp. Ad ſecundum tertio: Matrimonium, conjugium,

noptiæ, etsi hodiedum idem significent, Barbos. *loc. cit. numer.* 9. spectato etymo nominis in hoc differunt, quod matrimonium dicatur a matris officio circa prolum, nec immerito, dum præcipuus matrimonii finis est proles suscipienda: Barb. *loc. cit. num.* 6. Conjugium vero dicatur ab ipso vinculo, in quo consistit formaliter matrimonium. Barb. *num.* 7. ubi, quod nomen conjugii cæteris sit præstantius, quia substantiam actus petit. Nuptiæ vero (sic dictæ ab obnubendo, dum olim puellæ pudoris gratia se obnubelarent, seu faciem velarent, dum viro dabantur) significant potius ipsam traditionem, qua sponsa tradebatur viro, & primam contractus matrimonialis executionem continent citra copulam, ut Barb. *num.* 8. vel etiam ipsam solennitatem, qua sponsa in domum viri inducebatur, juxta *L. mulierem ff. de ritu nupt.* uti & hodie non tam pro ipso matrimonio, quod consensu mutuo perficitur, quam pro externa illa solennitate supponunt; uti constat ea dispositione Ecclesiæ, qua tempore adventus & quadragesimæ prohibentor noptiæ, id est, pompa nuptialis, non vero ipse matrimonialis contractus, si absque solennitate privatim ea causa instituatur, *cap.4. de feriis.* Engels *h.t. num.* 8.

QUÆSTIO II.

Sponsalia qualiter definiantur.

RESp. Recte illa definiri per promissionem futuri matrimonii, consentiunt omnes juxta *L. 5. de sponsal. c. nostrates* 30. *quæst.* 5. Barb. *cit. num.* 4. Tiraq. *de contract. connub. gloss.* 1. *numer.* 9. Sanch. *L.* 1. *de matrim. d.* 1. *num.* 7. Verum, cum hic omissa sunt quædam spectantia ad essentiam sponsalium, nec ea satis comprehendantur in dicta matrimonii futura promissione, explicatius definiri possunt sponsalia cum Castrop. *num.* 5. Tolet. *in sum. L.* 7. *cap.* 7. Valent &c. quod sint mutua promissio matrimonii futuri, seu de matrimonio contrahendo, signo aliquo sensibili expressa; quibus aliqui addunt: inter personas de jure habiles. Singulorum terminorum hujus definitionis declarationem sufficientem dabunt *quæst. seq.*

QUÆSTIO III.

Qualiter promissio debeat esse vera, & non ficta seu simulata, ut sponsalia constituat.

1. RESp. Primo: Promissio constituens sponsalia debet esse vera, & non ficta, seu simulata; quippe quæ promissio non est, sed promissionis fictio, adeoque nullatenus sponsalia constituere potest; quidquid sit de eo, an nihilominus ficte promittens obligetur ad matrimonium contrahendum, de quo mox; illud certum, peccare talem graviter ficte promittendo, & quidem contra justitiam; quia committit mendacium perniciosum in re gravi. Pirhing *h. t. numer* 4.

2. Resp. Secundo: Promissio exterius facta cum animo promittendi & se obligandi, absque tamen animo implendi id, quod promittitur, nempe contrahendi matrimonii, est vera promissio obligans in conscientia, supposita promissarii acceptatione; cum obligatio non nascatur & dependeat ab animo implendi promissum, sed ab animo promittendi, & se obligandi; unde jam sufficiens est ad constituenda sponsalia, & vere obligat ad contrahendum matrimonium. Castrop. *loc. cit. p* 2. *n.* 2. cum communi.

3. Resp. Tertio: Promissio facta exterius seu verbotenus tantum, proferendo verba materialiter absque animo promittendi, seu utendo signis aut verbis in significatione formali, quam habent, non est vera promissio, essentialiter includens obligationem in conscientia, quæ solis verbis non inducitur, sed essentialiter supponit consensum & voluntatem internam; adeoque non sufficit ad constituenda sponsalia, &, quod hinc sequitur, non obligatur talis vi sponsalium ad contrahendum matrimonium.

4. Resp Quarto: Idem est de eo, qui promittit, sine animo tamen se illa promissione obligandi; quanquam, ut bene Castrop. *cit. numer.* 2. impossibile sit, aliquem velle seu intendere promissionem, & non habere intentionem se obligandi, vel etiam positive nolle se obligare; cum de essentia veræ promissionis sit obligare promittentem ad præstandum. Unde jam infero, &

5. Resp. Quinto: Promittentem hoc tertio, & secundo modo matrimonium non tantum non vi sponsalium, sed nullatenus, hoc est, neque ex fidelitate, neque ex justitia obligari ad contrahendum matrimonium: ita Less. *de justit. cap.* 18. *dub.* 1. *num.* 5. Sanch. *de matrim. L.* 1. *d.* 9. *num.* 2. Coninck *d.* 21. *dub.* 2. *concl.* 1. Layman *L.* 5. *tract.* 14. *p.* 1. *capit.* 2. *num.* 10. contra Vasquez *de matr. d.* 6. *cap.* 3. *num.* 27. Pont. *L.* 2. *cap.* 2. Gutt. *L.* 3. *qq. can. de matr. cap.* 9. *in princ.* apud Castrop. *loc. cit.* qui tamen & ipse docet, talem, etiamsi non obligetur vi sponsalium, utpote quæ obligationem justitiæ inducunt, obligari tamen ex fidelitate. Verum probatur responsio; imprimis talis non obligatur ex justitia: jus enim justitiæ non confertur solis verbis, sed voluntate & intentione manifestata, qua jus, quod quis habet, intendit a se abdicare, & alteri concedere; sed qui non habet intentionem sese obligandi ad quicquam, multoque minus, qui non habet animum promittendi, non intendit transferre jus in alium, etsi, pars altera vere promittens intendat in eum transferre, quod ipsa habet, saltem, dum ficte promittens illud non acceptat, sed simulat solum se illud acceptare. Dein neque talem externam promissionem inducere fidelitatis obligationem, ex eo evinci videtur, quod hæc obligatio nascatur ipso jure naturali ex fide alteri data de re illi utili præstanda; quia jus ipsum naturale obligat, ut verum faciat, quod alteri promisit. Iam vero talis alteri vere fidem non dat seu facit, quantumcunque is erronee putet sibi fidem dari, qui intendit se nullatenus obligare alteri. Item jus naturæ non obligat ad faciendum verum, quod promisit, dum ficte promisit, seu animo non obligandi se ad illud faciendum; quamvis de cætero talis ad evitandum mendacium jure naturæ obligatus erat ad non utendum verbis, quæ animum obligandi significabant, dum hunc non habebat. Unde jam etiam ex eo, quod nemini concedatur, seu liceat affirmare extrinsecus aliquam propositionem, quin obligetur ad veritatem dicendam, bene quidem infertur, in nullius quoque potestate (hoc est, morali seu licite exercendo) esse, verbis exterius promittere, & nolle se ex fidelitate obligare ad explendo promissa; nil tamen obstat, quo minus possit utrumque absolute, seu potentia physica illicite & mentiendo, uti facit ficte promittens.

QUÆSTIO IV.

Incidens: num igitur deflorans virginem spe matrimonii ficte promissi teneatur eam ducere.

1. RESp. Primo: Dum probabiliter ac prudenter præsumi potest (uti id ex solo excessu divitiarum ac nobilitatis non semper, nisi adsint aliæ in contrarium conjecturæ, præsumi potest, dum multi viri nobiles ac divites fœminas, etiam infimæ notæ, vel ob formæ præstantiam, vel etiam excæcati libidine matrimonio copulari cupiunt. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Ponc. *L.* 12. *de sponsal. cap.* 2. *num.* 15.) virginem advertisse deceptionem, aut etiam, ubi ipsa ex circumstantiis facile scire, vel merito credere poterat, adeoque debebat, neque ex fidelitate, quia nulla fuit promissio aut deceptio; neque ex justitia; quia sic volenti facta non est injuria, tenetur eam ducere, aut quicquam præstare in recompensationem deflorationis. Castrop. *loc. cit.* Ponc. *num.* 16. Sanch. *loc. cit. d.* 10. *n.* 5. Ubi vero virgo deceptationem non advertit, tenetur talis deceptor ad satisfaciendum illi pro damno illato, nimirum vel præstando dotem tantam, ut æque bene nubere possit, ac si deflorata non esset, vel, si nec hac, nec alia via damnum illud reparare potest, quam ducendo illam, tenetur eam ducere. Laym. Castrop. Con. *d.* 22. *dub.* 6. *concl.* 3.

2. Resp. Secundo: Quin etiam, licet damnum illud alio modo compensari posset, adhuc virgine deflorata sic volente, teneri deceptorem eam ducere; eo quod copulam non nisi sub conditione matrimonii contrahendi sibi concessam acceptavit; quemadmodum quis obligatus est tradere domum, sub cujus tradendæ conditione pretium accepit & consumpsit: docent, ut ait Castrop. *num.* 3. cum communi. Sanch. *l. c. num* 3. Ponc. *L.* 12. *c.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 3. Rodriq. *Tom.* 2. *sum. cap.* 108. *concl.* 8. Molin. *tract.* 3. *d.* 106. *numer.* 4. Vasq. &c. ait quoque Castrop. ab hac obligatione non liberari deceptorem ex eo, quod puella ignorante intenderit, vel etiam protestatus fuerit, se promittere matrimonium ficte sine animo eam ducendi solum ad eam inducendam & decipiendam; eo quod acceptando copulam tanquam pretium obligationis ducendi illam elegerit potestatem illam, aut etiam voluntatem suam non contrahendi cum illa. Sed & dato, illum non habuisse vere internam illam copulam sub ista conditione; sed tantum acceptasse illam simulando consensum in illam conditionem, quin & positive

in

in animo excludendo illam, adhuc peccavit contra justitiam, vel hoc ipso non habendo consensum illum in matrimonium, dum altera pars consensit in illud, & tradidit corpus suum ad usum; adeoque jam tenebitur ex justitia determinate ad matrimonium; cum enim justitia commutativa non contentetur redditione rei æqualis, sed exigit, ut idem omnino, quod debetur, reddatur v. gr. equus ablatus, dum is adhuc exstat, & reddi potest, & non sufficiat loco equi reddere pretium, tenebitur talis deceptor præbere ex post eundem illum consensum suum in matrimonium, quem injuste prius subtraxerat, & non satisfaciat loco istius exhibendo quid aliud. Addit etiam ex Sanch. *L. 1. d. 5. num.* 20. Castrop. quod in foro externo non obstante illa protestatione (intellige interna; nam si illa foret externa, sive animus ille fictus, & intentio decipiendi fuisset antecedenter coram aliis declaratus, accedentibus aliis indiciis animum fictum probantibus, una cum juramento de illo habito, secus videtur) compellendus sit eam ducere; adeoque etiam in foro conscientiæ teneatur; cum forum internum semper conformetur foro externo, quoties non nititur falsæ præsumptioni.

3 Limitatur tamen responsio hæc a Sanch. *loc. cit. numer.* 4. primo, ut non teneatur deceptor eam ducere, dum ex tali matrimonio magnum scandalum, malusque exitus prudenter timetur; quia quod sine scandalo fieri nequit, peccatum est, ad quod non datur obligatio; & prudens metus mali exitus in casu matrimonii ab uno invito contracti regulariter trahit periculum plurium ex illo secuturorum peccatorum. Limitatur secundo; quando deceptor non reperit virginem (qualem se dicebat) sed corruptam; eo quod in deceptionibus & delictis detur compensatio, modo damnum ex uno non sit majus damno ex parte alterius. Quinimo procedere id ipsum videatur in casu, ubi mulier non decepit dicendo se virginem, sed ipse deflorans suo errore deceptus invenit corruptam, quam virginem putabat; cum hæc sit justa causa etiam dissolvendi sponsalia, & consequenter etiam causa sufficiens, cur is non teneatur eam ducere. Verum in contrarium esse videtur, quod, si postquam advertit corruptam esse, pergat & absolvat copulam, jam eo ipso actu videatur copulam concessam non nisi sub conditione matrimonii futuri, etiam non curato hoc virginitatis defectu acceptare, seu pergere acceptare; idque etiamsi antecedenter sic constitutus fuisset, ut copulam non curasset, seu non desiderasset & acceptasset, si scivisset, non esse virginem. Neque hic obstet, quod postmodum actu contrahendo cum ea matrimonium plus ei præstet, quam valeat ex copula, plus valitura, si virgo fuisset; hoc enim sibi adscribat talis deceptor, dum nihilominus in defectu hujus valoris sub conditione pretii excessivi eam acceptavit. Unde vere dicit Engels *ad h. tit. numer.* 13. cum eadem hæc ratio non tantum de virgine, sed etiam in quavis fœmina, etiam corrupta, locum habere videatur, esse plures, qui existiment idem juris esse in corrupta, quæ non aliter sui corporis potestatem tali deceptori fecit, quam sub spe & conditione matrimonii futuri. Quamvis non desint alii non improbabiliter sentientes, in corrupta sufficere, si injuria illa illata ei per illam deceptionem (nimirum admittendo concessam copulam animo non implendi id, sub cujus conditione illa concessa, nempe matrimonium) compensetur pecunia taxanda arbitrio prudentis; eo quod ducere corruptam, ubi nulla vera promissio præcessit, non sit æqualis compensatio copulæ cum ea habitæ, sed notabiliter quid excessivum, nisi tamen, ut addit Engels, sit vidua bonæ famæ, infamiamque ex illa copula contraheret, ob quam aliud matrimonium facile inire non posset; tunc enim valde probabiliter priorem sententiam tenendam esse.

QUÆSTIO V.

An & qualiter promissio constituens sponsalia debeat esse libera.

1. RESP. Primo: debere eam esse liberam ea libertate, quæ sufficit ad meritum & demeritum; cum sit actus humanus, humanam obligationem inducens. Castrop. *loc. citat. numer.* 4. Quare si furor, iracundia, ebrietas non adimunt plenam libertatem, obligationem quoque sponsaliorum non impediunt. Citat pro hoc Sanchez *L. 1. d. 8. numer.* 5. Vasq. *d. 5. cap.* 1. Con. *d. 21. dub. 2. num.* 18. *concl.* 6. Molin. *de just. d.* 267. *in princ.* Gutt. *de matrimon. cap. 7. a num.* 5. Verum aliis ista libertas non sufficit, sed requirunt libertatem, & tantam ex parte intellectus advertentiam & deliberationem, quanta requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter, id est, plenam, seu talem, qualem viri prudentes in negotiis magni momenti adhibere solent; & non sufficere talem, qualem adhuc habere solent semi-poti, semi-dormientes, etsi non requiratur plena & matura deliberatio, & omnium circumstantiarum consideratio. Siquidem sponsalia obligant sub peccato mortali; jam vero non omnis libertas sufficiens ad demeritum est plena; cum semiplene advertens ad malitiam, adeoque semiplene liber possit demereri, seu peccare venialiter, etsi non mortaliter. Unde jam etiam licet ebrietas, furor, iracundia, tanta non sit, ut tollat plene seu omnimodam libertatem, sed solum ex parte, adhuc tamen penitus impediunt obligationem sponsalium, sive nullatenus promissio in illa facta constituit vera sponsalia. Advertendum proinde verba illa: adimere plenam libertatem: æquivoca esse; utique enim semiplena libertas adimit plenam libertatem, hoc est, impedit, quo minus libertas sit plena, seu perfecta; non tamen adimit plene seu omnem libertatem, sed relinquit semiplenam. Unde jam etiam sequitur, quod, si quis ante ebrietatem, vel amentiam habuerit intentionem contrahendi sponsalia, seu promittere alicui matrimonium, illa adhuc non contrahat, dum postmodum in ebrietate semiplena promittit matrimonium fœminæ, etiam plene deliberate repromittenti; cum enim obligatio sponsalium ex ipsomet contractu, & non ex voluntate illum celebrandi oriatur, necessario exigit contractum in se liberum, intellige plene. Cui illationi non obstat primo, quod cum Sacramenta verb. gr. Confirmationis, Baptismi ab adulto suscipienda sufficiat intentio habitualis, seu præhabita non retractata, valide recipiantur in ebrietate etiam perfecta; nam præterquam quod ad agendum plus requiratur, quam ad recipiendum, de essentia seu forma illorum Sacramentorum non est actus suscipientis illa, quemadmodum essentia contractus sponsalitii, vel etiam matrimonialis consistit in volitione contrahentium. Neque etiam obstat, quod sponsalia valide contrahi possint prius sub conditione eveniente postmodum in ebrietate vel amentia; nam hac ratione adhuc non contrahuntur in ebrietate, sed extra eam, tametsi perfecta, & absoluta eorum obligatio suspendatur usque ad eventum conditionis, qua eveniente sive in ebrietate, somno, amentia, sive extra illam, sive scientibus, sive nescientibus contrahentibus, dicta obligatio evadit absoluta absque omni alio actu illorum. Castrop. *loc. cit. numer.* 5.

2. Resp. Secundo: promissio futuri matrimonii facta ex metu gravi cadente in virum constantem nequit constituere sponsalia valida: nam esto, quod sponsalia inita ex tali metu a jure positivo non irritentur per se & immediate, ex irritatione tamen matrimonii ob coactionem (quippe ad quod contrahendum nemo cogi potest per talem metum) & ipsa irrita sunt eo ipso; ne, si per hoc modo coacta sponsalia obligaretur quis, jam eo ipso cogi posset tali metu ad contrahendum matrimonium, ita Castrop. *loc. cit. num.* 6. remittens ad seipsum, *tract. 2. de peccat. d. 1. part. 9. numer.* 3. Verumtamen etsi id admittatur communius, dum ipsemet metum incussit injuste, negant tamen alii, dum metus illi aliunde incutitur, docentque, sponsalia talia non esse eo ipso invalida, sed valere usque ad sententiam Judicis, sententia Judicis ob hanc vel similes causas rescindantur; aliamque esse de matrimonio rationem, quod ideo jure sic statuente ipso facto est nullum, dum per talem metum extorquetur; nimirum quia semel contractum valide nullo modo dissolvi potest; sponsalia vero, etsi valida, & in specie sponsalia per metum talem contracta, etiam juramento confirmata, facile dissolvi possunt per Judicem. Unde jam etiam non sequitur, quod si quis vi talium sponsalium obligetur ad contrahendum matrimonium, cogi quis possit ad matrimonium validum per metum talem injuste incussum: cum dicta sponsalia rescindi possint ac deberent, teneret autem sequela, si indissolubiliter pergerent obligare.

QUÆSTIO VI.

Qualiter hæc promissio debeat esse facta uni determinatæ personæ.

RESP. Si quis promittat cum una ex pluribus filiabus Titii contrahere matrimonium, etsi harum singulæ ei repromittant, consurgere nequeunt sponsalia; cum enim matrimonium contrahi nequeat, nisi cum una determinata persona, etiam non potest quis obligari ad illud contrahendum, quousque obligetur ad illud contrahendum cum una determinata persona; quod vi talia promissionis indeterminatæ non fit; cum vi illius adhuc maneat liber respectu singularium.

Coninck. *loc. cit. num.* 4. Pont. *L.* 12. *cap.* 5. *num.* 6. Sanch. *L.* 1. *cap.* 26. *num.* 7. Castrop. *loc. cit. num.* 7. cum communi.

QUÆSTIO VII.

An & qualiter dicta promissio debeat extrinsecus manifestari?

RESP. Promissio pure interna seu mente retenta constituere nequit sponsalia, cum enim ea sint contractus promissorius, utrinque onerosus, & humano modo initus, necesse omnino habent duplice volitione utrinque manifestata perfici, ac proinde constitui in tali promissione, vi cujus pars altera possit, & debeat repromittere, quod impossibile est fieri per promissionem alteri nullatenus manifestatam, & omnino incognitam. Unde etiam in vi sponsaliorum obligari adhuc nequit Titius promittens DEO se ducturum Cajam in uxorem, etiamsi DEUS dictam promissionem acceptet; cum ad talem obligationem sponsalitiam inducendam necessarius sit consensus Cajæ reciprocus, qui ex eo, quod Deus illam promissionem acceptet, non ponitur. Neque opponas, posse adhuc absque eo, quod manifestetur promissio, acceptari promissum, vi nimirum generalis acceptationis seu intentionis, qua Caja antecedenter dicit: accepto, si quid mihi Titius promiserit. Nam talis acceptatio generalis & indefinita, neque jure positivo, neque jure naturali sufficit ad acquirendum jus activum, vi cujus possit obligare quis alterum in commodum suum. Non jure positivo, *arg. l.* 10. *de donat.* ubi dicitur: *Si nescit rem, quæ apud se est; sibi esse donatam, vel missam non acceperit, donata rei dominus non fit.* Non jure naturali; siquidem jure naturæ non obligor, quo minus utar re mea, quamdiu ea mihi pleno jure subjecta manet; sed actus liberi, quamdiu subsunt secreto naturali, vi cujus ne quidem Angelis, nisi nobis volentibus, cognosci queunt, cuique pleno jure subjecti sunt, non tantum ut possimus eos libere occultare vel revelare, sed etiam sine ulla violatæ justitiæ vel infidelitatis nota retractare absque ulla alterius voluntate (hoc enim exigit plenum dominium) ac ita eo ipso nullam pariunt justitiæ vel fidelitatis obligationem. Adde, quod, si meo actu mere interno jure naturali constitueretur alteri jus activum, vi cujus obligarer ex stricta justitia, natura approbaret obligationem, quam approbari non esset consonum naturæ, utpote ignotam omni homini & nullius usus. Quomodo enim habens generalem illam & conditionatam acceptationem, ignarus factæ a me promissionis posset sibi arrogare jus V. G. itineris per fundum meum? & quomodo ignarus ejus acceptationis potero obligari ad ei non resistendum?

QUÆSTIO VIII.

An & qualiter promissio futuri matrimonii intimari absenti debeat, ut acceptari censeatur, & quis nomine ejus acceptare eam possit?

1. RESP. Ad Primum: Promissio facta absenti, ut ab eo acceptari possit & censeatur, necessario intimanda est per epistolam vel nuntium ad hoc specialiter destinatum; ita ut non sufficiat, ut alius tertius promissionem factam promissario declaret; non enim censetur promittentis voluntas unita voluntati promissarii, nisi per medium ab eo destinatum, neque promittens promissario loqui nisi per medium a se in eum finem assumptum, Sanch. *lib.* 1. *d.* 6. *num.* 19. Castrop. *loc. cit. part.* 3. *num.* 3.

2. Resp. Ad secundum: Alius, qui ad acceptandum non habet speciale mandatum, nomine absentis puellæ stipulari nequit, ita ut promittens ex hac stipulatione jam obligatus existat, ac si puella jam acceptasset, sed, ut promissio facta absenti animo contrahendi cum ea sponsalia firmitatem habeat, dum nemo adest habens speciale ad acceptandum mandatum, requiritur acceptatio per ipsam absentem præstita, antequam proinde promittens resilire potest; quia ante istam illius acceptationem nulla potest esse repromissio, antequam nulla in promittente nascatur obligatio. Sanch. *lib.* 1. *d.* 7. *num.* 32. *juncto num.* 12. Castrop. *loc. cit. numer.* 6. Sed neque si liberaliter, & non sub conditione repromissionis promittat quis patri, tutori vel curatori puellæ absentis, se cum ea velle matrimonium contrahere, stipulantibus etiam iisdem pro ea, adhuc non contracturum obligationem neque fidelitatis, neque justitiæ comparatione puellæ, tradit Castrop. *loc. cit.* contrarium sentiente Sanchez *loc. cit. numer.* 30. nimirum quod, esto hac ratione directe se obligaverit patri, tutori &c. facta tamen sit hæc obligatio in favorem filiæ, eique jus quæsitum. Pro ratione dat Castrop. quod, esto pater, tutor stipulari possit pro filio, si tamen factum cohæreat personæ filii, nec patris intersit ea stipulatio, valeat solum quoad filium, non quoad patrem, ut ex Bartol. *ad l. quod dicitur ff. de V. O.* ipse Sanchez *cit. disp.* 7. *numer.* 6. jam vero matrimonium, quod promittit se contracturum cum puella, puellæ adhæreat, & nec patris illius nec alterius intersit; cum sit factum personale, non reale; adeoque comparatione puellæ (quippe quæ existimare posset illam promissionem sibi non esse utilem) ante acceptationem ab ea factam valere nequit.

QUÆSTIO IX.

Num igitur promissio futuri matrimonii etiam manifestata Cajæ nullatenus, Titium promittentem citra acceptationem Cajæ obliget?

1. RESP. Affirmative; ad omnem enim promissionem, ut vi illius obligetur promittens, acceptatio illius requiritur necessario, si non tanquam constitutivum illius intrinsecum, saltem tanquam complementum & conditio sine qua non habet promissio vim obligandi, neque naturaliter, hoc est, in conscientiam dependenter a lege humana concedente promissario actionem contra promittentem, multoque minus civiliter, hoc est, ita ut jure sic statuente concedatur promissario quoque actio contra promittentem in foro externo, quippe quæ semper, quamdiu acceptata non est, revocari potest absque eo, quod quicquam agatur contra veritatem aut etiam fidelitatem; cum semper sic sit conditionata: si alter velit: nimirum acceptare jus ei a me oblatum; aut etiam contra justitiam, seu jus quæsitum per talem promissionem alteri; cum jus nullum in alterum transferri queat eo ignorante seu non volente, Castrop. *loc. cit.* Proceditque idipsum, etiamsi promissioni internæ adjiciatur juramentum. Nam si talis promissio non obliget in vi promissionis, antequam acceptetur, neque hoc juramento obligabit, utpote mere accessorium promissioni, cujus proinde naturam sequitur; adeoque sicut hæc promissio, ita & hoc juramentum imbibit dictam conditionem; si a promissario fuerit acceptata. Sanchez *de Sponsal. d.* 7. *num.* 24. & 25. Gutt. *de matrimon. cap.* 6. *num.* 26. Secus tamen est de juramento per se stante de contrahendo matrimonio, quod etiam non stante promissione obligabit. Gobat. *Theol. experim. tractat.* 10. *numer.* 21.

2. Neque opponas primo: Promissio matrimonii facta infanti revocari nequit, quousque infans veniat ad ætatem, in qua aptus est acceptare promissionem, Arg. *l. jubemus C. de emancip. liberor.* Ergo hæc obligatio vigere potest absque eo, quod innotescat alteri, aut ab eo acceptetur. Nam Castrop. *loc. cit.* Con. *d.* 22. *dub.* 6. *numer.* 26. & alii negant absolute antecedens contra Sanch. *d.* 6. *numer.* 29. Gutt. *loc. cit. numer.* 11. nullatenus obstante *cit. leg.* dum pater, etiam invito filio, multoque magis eo inscio, eum emancipare possit, renunciando juri, quod habet in filium privilegio juris positivi, & sic eum liberando ab obligatione, quam in filio fundat jus illud; dum ad jus dimittendum & amittendum minus requiritur, nimirum sola voluntas habentis illud, quam ad jus acquirendum; quemadmodum etiam ex eo, quod debitor irrevocabiliter acquirat libertatem a debito, etiam antecedenter ad acceptationem suam ex sola voluntate creditoris liberaliter remittentis illud, non sequitur, promissarium irrevocabiliter acquirere jus ad promissum etiam ante acceptationem suam ex tota voluntate promittentis, dum, uti jus in uno, & debitum desinat in altero, sufficiat voluntas unius, nimirum habentis jus; ut vero jus habitum ab alio transferatur ad alium, non sufficiat voluntas habentis illud, sed requiratur quoque voluntas translatarii. Neque opponas secundo: textum *c. veniens, qui clerici vel voventes*, ubi promissio facta absenti statuitur valida absque ulla facta acceptationis mentione; nam ibi factam acceptationem per interpositam personam, quæ ad hoc mandatum habeat, tradit *ibidem* Gloss. *v. promisit.* Jo. And. Host. & Ancbar. *ibidem.* Castrop. *loc. cit.* cum aliis, ut Barb. *in cit. cap. veniens num.* 3. promissio absenti facta, nullo pro eo acceptante, fit revocabilis in utroque foro ante acceptationem. Dum enim dicitur, ex promissione non nasci obligationem nisi accedat ejus acceptatio, debet intelligi de acceptatione promissarii vel alterius, qui ejus nomine aut stipulari, aut acceptare legitime possit. Neque opponas tertio: dari quasdam pollicitationes privilegiatas, quales sunt, quæ juramento firmatæ factæ Ecclesiæ, hospitali

vel

vel alteri causæ piæ, quæ absque omni acceptatione obligent. Nam negatur hoc ipsum, nimirum illas obligare naturaliter etiam juris privilegio ante acceptationem; cum nec jure naturali, neque humano talis favor seu vis obligandi iis concessa reperiatur. Laym. *Theol. mor. lib. 3. tract. 4. cap. 1. numer.* 3. Less. *de just. lib. 2. cap.* 18. *dub.* 2. *num.* 38. Pirhing *ad tit. de pactis* §. 1. *numer.* 2. Sed etsi hic nulla alia acceptatio intercedat vice hominis, saltem intercedit acceptatio tacita seu ficta juris, seu inducta dispositione juris ejusmodi promissiones recipientis causa boni communis. Proinde nec tales promissiones obligant prout supponunt pro nudo actu promittentis, sed pro ut conjunctæ, seu prout substant illi juris dispositioni.

QUÆSTIO X.

Num vice versa, ut promissio obliget, acceptatio illius debeat esse manifestata promittenti, & an & qualiter ad constituendum sponsalia requiratur promissio mutua.

1. RESp. Ad primum: Dum promissio facta sub onere, ut promissarius repromittat (qualis necessario requiritur ad sponsalia) exigitur repromissio, adeoque & acceptatio promissionis facta a promissario manifestata quoque esse debet promittenti; non enim alias repromissionem, utpote sibi incognitam acceptare poterit. Secus est, sive acceptationem hanc innotescere necesse non est promittenti matrimonium omnino gratis animo non contrahendi sponsalia seu fidem præstandi alteri omnino independenter ab ejus repromissione. Castrop. *loc. citat. num.* 5. Sanchez *lib.* 1. *d.* 7. *n.* 35. Sed de hoc mox pluribus. Unde sit

2. Resp. Requiri promissionem mutuam, cum communi, & juxta *l.* 1. *ff. de sponsal.* docent Sanchez *lib.* 1. *d.* 5. Vasquez *de matrimon. d.* 4. *cap.* 3. Molin. *tract.* 2. *d.* 263. Castrop. *loc. citat. part.* 2. *numer.* 9. cum enim actiones non operentur ultra agentium intentionem; *cap. fin. de præbend.* & promittens matrimonium animo contrahendi sponsalia non intendat promittere nisi sub conditione repromissionis, hac non existente, nullam contrahit obligationem. Tametsi autem gratis omnino ac liberaliter facta promissio puellæ, eam acceptanti absque eo, quod vicissim se promittenti obliget, sponsalia non constituat; parit tamen in promittente obligationem eam ducendi, quamdiu illa eam non remittit. Sanchez *lib.* 1. *d.* 5. *numer.* 12. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Gutt. *de matrimon. cap.* 5. *a num.* 1. Castrop. *loc. cit. num.* 11. contra Pont. *lib* 12. *cap.* 4. *num* 2. Vasq. *d.* 4. *cap.* 3. licet enim matrimonium sit contractus mutuus, ita ut non possit quis se alteri tradere, quin ipsa se tradat illi; sicut non potest venditio equi celebrari, quin emptor concedat pretium; potest tamen obligari ad matrimonium contrahendum cum Caja, quin ipsa se ei obliget aut obligata existat etiam post acceptationem promissionis ad contrahendum matrimonium cum eo, seu ad ducendum illum. Sicut potest quis se obligare ad vendendum equum absque eo, quod alter acceptans hanc illius obligationem teneatur eum emere. Hoc quidem verum est (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) obligationem taliter promittentis non esse, ad donandum corpus suum, sed ad mutuandum, puellamque acceptantem illam promissionem, seu obligationem acceptare mutuationem; sed quia illam acceptat non imponendo sibi obligationem, sed retinendo libertatem, ut mutuationem præstet & matrimonium celebret, quando sibi placuerit, ea de causa obligata non est illi gratis promittenti, etsi is illi sit obligatus. Sed neque ex eo, quod puella acceptet talem simplicem promissionem, censetur repromittere. Sanch. Laym. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *part.* 3. *numer.* 8. contra Vasq. Pont. *ll. cit.* Siquidem puella hac ratione non acceptat, ex sua parte matrimonium absolute contrahendum, sed fidem, quam promittens ei præstat de matrimonio contrahendo, ubi ipsa voluerit; adeoque vi talis acceptationis non repromittit, utpote ad quam repromissionem necessarium est, ut ipse acceptet absolute matrimonium futurum. Unde licet promissor se ei in matrimonium tradere nequeat, quin & se tradat illi, & consequenter ista non potest velle absolute illius traditionem, quin & absolute velit suam traditionem, poterit tamen absolute velle illius obligationem, & fidem ad dictam traditionem sibi faciendam, ubi sibi placuerit, sive potest absolute velle jus sibi quæsitum ex illius promissione ad exigendam ab eo illam traditionem absque eo, quod obligata sit ad illam traditionem ab eo exigendam.

3. Illud hic observandum, quod, cum raro contingat futurum matrimonium promitti absolute ac mere liberaliter; sed plerumque ac regulariter sub onere repromissionis (nisi aliunde constet de tali gratuita voluntate promittentis) merito præsumi, fieri eam sub illa conditione voluntatem restringente, adeoque talis promissionis acceptationem esse tacitam repromissionem; cum in dubiis præsumendum sit, quod communiter fit. De cætero acceptans sine repromissione, ne censeatur promittentis animum contemnere, vel jus ex acceptata illius promissione quæsitum remittere, non debet nimium differre exactionem illius, sed vel repromittere, vel declarare, quod non cupiat promissionis executionem. Krimer. cum communi.

QUÆSTIO XI.

Num mutua illa promissio facta clandestine constituat sponsalia valida & licita.

1. RESp. Ad primum. Promissio sic facta seu sponsalia etiam celebrata inter solos contrahentes sine præsentia parochi & testium, vel etiam cujuscunque alterius, sunt valida. Sanchez *lib.* 1. *d.* 13. Gutt. *de matrimon. cap.* 4. *a num.* 1. Pont. *lib* 12. *cap.* 5. *numer.* 6. Castrop. *loc. cit. part.* 2. *num.* 15. Pirhing *h. t. num.* 26. Barbos. *ad Trident. sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* Reiffenst. *h. t. numer.* 22. contra Seguram & paucos alios apud Castrop. *loc. cit.* siquidem talis contractus sponsalitius irritus non est jure naturali, ut per se constat; neque ullo alio jure positivo. Nam Trid. *loc. citat.* irritans contractum matrimonialem seu matrimonium sic contractum, & vel sic corrigens & derogans juri communi, vi cujus matrimonium tale valebat, nullam mentionem facit, de sponsalibus; ergo ea in ista dispositione sunt omissa seu præterita, adeoque nullatenus cadentia sub illo decreto Trident. irritante sponsalia de præsente clandestine celebrata relinquuntur dispositioni juris communis, vi cujus a fortiore valent sponsalia clandestina, cum etiam vi illius, ut dictum, valuerint & valeant matrimonia clandestina.

2. Resp. Ad secundum: Neque etiam per se loquendo sponsalia clandestine celebrata sunt illicita. AA. cit. cum communi contra Sylv. Armill. Cajet. &c. apud Castrop. *loc. c.* nullo enim jure nec antiquo nec novo sunt prohibita. Quod autem ex clandestinis sponsalibus oriantur quandoque aliqua inconvenientia, non probat esse per se illicita, sed solum consultius esse, ut testes adhibeantur, etiam ad hoc, ut eis in foro externo fides adhibeatur. Ad illud, quod objici solet, nimirum prohibito matrimonio prohibentur quoque sponsalia; ergo prohibito matrimonio clandestino, prohibentur quoque sponsalia clandestina: negatur sequela; nam licet prohibito absolute matrimonio, quocunque demum modo illud contrahatur, prohibentur quoque sponsalia absolute, utpote quæ via sunt ad matrimonium, & non contrahuntur nisi ratione matrimonii futuri, quod proinde si illicitum, sponsalia forent promissio rei illicitæ & sic nulla; non tamen inde sequitur, quod prohibito non absolute matrimonio, sed solum, ne tali modo, nimirum clam contrahatur, prohibeantur quoque sponsalia sic contrahi; cum sponsalia clandestina non sint via ad matrimonium clandestinum; non enim clandestine ea contrahentes promittunt sibi aut obligant se ad matrimonium clam sic contrahendum, sed eo modo, quo permittit Ecclesia; adeoque talia sponsalia sunt promissio rei licitæ, & consequenter valida & licita. Textus quoque in contrarium adduci soliti ex *l. oratio ff. de sponsal. L. si quis tutor ff. de rit. nupt.* eodem modo intelligendi de casu, in quo matrimonium prohibetur absolute, sive ut nullo modo contrahatur, vel quando est eadem ratio prohibitionis matrimonii & sponsalium, quæ eadem ratio non est in præsente, dum matrimonium clandestinum prohibetur ad vitandum concubinatum, cum secunda uxore putatitia, ad quam quippe publice ductam cogebat Ecclesia inscia matrimonii prioris clam contracti; valide tamen, intellige, ante dictam prohibitionem; quod locum non habet in sponsalibus clandestinis, quibus non obstantibus, matrimonium subsequens cum alia est validum.

QUÆSTIO XII.

Num sponsalia celebrata sine scita & consensu parentum aut eorum, qui contrahentibus sunt loco parentum, sint valida, vel etiam licita.

1. RESP. Ad primum: Affirmative, argumento imprimis desumpto ex Trid. *Sess.* 24. *capit.* 1. ubi, quod matrimonia a filiis familias contracta sine consensu parentum vera sint & rata, & affirmatio in contrarium, nimirum quod sint irrita, vel quod parentes ea rata vel irrita facere possint, falsa dicitur; ergo idem dicendum de sponsalibus, quod non dependeant a consensu parentum. Secundo arg. *cap. cum virum hoc tit.* ubi, quod puella in matrimonio spirituali seu susceptione status religiosi in ætate jam nubili constituta (quia liberum habet arbitrium) in electione propositi sequi parentum non cogatur voluntatem. Unde dum Canones quidam videntur requirere consensum parentum, intelligendi sunt de debito honestatis; siquidem naturalis ratio suadet in nuptiis filiorum habendam rationem parentum aut aliorum, in quorum sunt potestate, non tamen id præcipit absolute sub irritatione nuptiarum. Vel etiam Canones V. G. *cap. aliter* 30. *quæst.* 1. *c. nostrates* 3. *quæstion* 1. respiciunt istiusmodi consensum eorum, in quorum potestate sunt sponsi ad hoc, ut eorum pacta nuptialia sint solennia, intellige solennitate accidentali, non spectante de cætero ad substantiam illorum. Quemadmodum etiam in jure antiquo vera, & valida matrimonia erant in duplici casu, nimirum quædam appellabantur solennia, utpote celebrata cum solennitatibus; qualia erant, ut fœmina prius peteretur ab his, qui supra illam dominationem vel custodiam habebant, & a parentibus & propinquioribus sponsaretur, & suo tempore sacerdotaliter cum pluribus, & oblationibus a Sacerdote benediceretur, & a paranymphis custodiretur &c. Alia non solennia, quæ appellabantur legitima, eo quod facta secundum præscripta legum etiam quo ad circumstantias substantiæ matrimonii extrinsecas. Alia non legitima, quod licet essent in substantia vera matrimonia, tamen deficerent in circumstantiis lege præscriptis; de quo vide Pontium *lib.* 7. *de matrimon. capit.* 57. *a numer.* 6. Juri vero civili quo ad validitatem nuptiarum (cum sit materia spiritualis) locus non est; quin & legibus hujusmodi, Verb. Gr. *lib.* 7. *ff. de rit. nupt.* & *lib.* 7. *ff. de sponsal.* exigentibus hujusmodi consensum, derogatum per Ius Canonicum, teste Bellarm. *de matrimon. capit.* 19. & 20. apud Sanchez *lib.* 4. *dist.* 22. *numer.* 3.

2. Resp. Ad secundum: Neque sponsalia facta inscii vel etiam invitis parentibus regulariter loquendo sunt peccatum. Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 13. *numer.* 13. & alii. Filius siquidem quo ad contrahendum matrimonium est liber, sui juris, & parentibus non subditus. Secundum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. & *in corp.* & *in* 4. *dist.* 29. *quæst. unic. artic.* 4. ergo in hoc transgrediens præceptum parentum, utpote non obligans eum, non peccat. Probatur etiam ex eo; quod *in cit. cap. nostrates*, ubi memoratæ solennitates præscribuntur, & inter eas petitio consensus parentum. Diciturque: *hæc sunt pacta conjugiorum solennia*: & dein subjungitur: *peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus*. Ergo sine illis licite fiebant pacta nuptiarum non solennia; adeoque citra culpam inter cætera omitti potest petitio illa consensus parentum. Quod obmovetur in contrarium, nempe quod filius in contrahendis sponsalibus & ineundo matrimonio dependeat a voluntate & consensu parentum, illud est, quod *cap.* 1. *de desponsat. impuber.* Honorius Papa in casu sponsalium a parente celebratorum nomine filii impuberis rescribit in hæc verba: *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult matrimonio tradere, & postquam filius venit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc implere*. Ubi verbum *debet* videtur ex natura sua importare necessitatem & præceptum, ut Gloss. *in cap. proposuit, v. non debet*. Quin & verbum: *Omnino debet*, videtur importare præcisam necessitatem. Verum his non obstantibus, ad hoc respondetur, filium jam alias determinatum ad ineundum statum conjugalem non teneri ad implenda sponsalia, quæ pater illius promisit aut præcipit; id enim suadet libertas naturalis, quam habet filius in electione personæ, cui semel electæ perpetuo convivere debet; item experientia, qua constat gravissima etiti ordinarie mala ex infaustis talibus nuptiis, quas filii imperio parentum, cum hac vel illa persona, ad quam affectum non habent, amplecti coguntur, idem a potiore urget, ubi filius determinatus est ad statum oppositum conjugati, cum, ut dictum, liberi in electione status non subsint positivo parentum imperio. Unde etiam parentes, secluso casu necessitatis & indigentiæ, cui alia ratione succurrere nequiret filius, quam ineundo matrimonium cum hac vel ista persona, injuste prohibent aut impediunt filium in usu libertatis a natura illi concessæ, ad libere subeundam gravissimam matrimonii servitutem; quin & peccarent graviter, si filium juste renuentem in hoc matrimonii negotio obsequi asperius tractarent, vel plus æquo negligendo vel opprimendo tandem compellerent ad obsequendum sibi. Quapropter jam licet verbum *debet*, quo utitur *citat. canon.* præsertim conjunctum verbo *omnino* regulariter importet præceptum. Barb. *de dict. omib. v. debet numer.* 2. & *v. omnino num.* 14. Interpretationem tamen congruam recipere debet a jure communi, ut idem Barb. *v. omnino nu.* 18. & ex subjecta materia, nimirum quod quandoque importet solum debitum honestatis & decentiæ, non necessitatis & præcepti, licet si conjungatur verbum *omnino*, ut idem *v. debet numer.* 6. in præsente autem casu materia est matrimonium, quod jura volunt gaudere plena libertate, & immune esse ab omni necessitate, præsertim injuste imposita. Nihilominus adhuc peccabit filius, si cessante justa causa non implendo hac in re voluntatem parentum, insciis iis, & ne quidem petito eorum consilio, contrahat matrimonium, adeoque etiam sponsalia, quia hæc continent obligationem contrahandi matrimonium. Sanchez *lib.* 7. *d.* 23. *numer.* 9. Suadet enim idipsum debita parentibus a filiis pietas & reverentia, ut in negotio tam gravi, si justissima in contrarium non obstat ratio, obsequantur votis parentum, aut saltem consilium eorum expetant; quin & secus faciendo in re gravi læditur jus parentum, dum, qui onus habent habendi curam liberorum, illisque providendi etiam de nuptiis, habeant quoque jus exigendi, ut liberi iis in hoc negotio pareant, vel saltem per petitionem consilii honorentur. Illudque & plus non voluit Leo Papa in *cap. qualiter* 30. *quæst.* 5. dicendo, non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum exspectare; & Evaristus in *cap. aliter* 30. *quæst.* 5. pro nupta non habeatur puella, quam pater non desponsat. Non enim petendo consilium, ad quod tenentur, tenentur illud sequi, ubi rationem in contrarium habent æquam; adeoque ex eo præciso capite, quod parentibus invitis contrahant, non peccant, ut Sanchez *loc. cit. num.* 20. neque enim tunc agitur contra reverentiam parentibus debitam: neque (seclusis aliis titulis V. G. infamia) læditur jus eorum a filiis per sponsalia, vel matrimonium contractum illis prius consultis (ad quod tantum se extendit eorum jus & debita reverentia) licet invitis; dum in his, quæ ad proprii corporis sustentationem & prolis generationem pertinent, omnes sunt æquales, & suis parentibus non subjiciuntur, ut D. Thom. *loc. cit.* neque tamen etiam propterea petitio illa consilii inutilis est; cum eo petito a parentibus plura proponi possint, quibus auditis & expensis, sponsalia utiliter declinare, aut inita juste rescindere possint. Plura de his infra, ubi ex professo eadem materia examinabitur circa matrimonium celebratum citra consensum parentum.

CAPUT SECUNDUM.

De verbis aliisque signis & factis, quibus sponsalia contrahi possunt & solent, contractaque in foro externo præsumi debeant.

QUÆSTIO XIII.

An & qualiter per verba contrahi possint aut debeant sponsalia.

1. RESP. Primo: Tametsi verba inter alia signa, quibus consensus internus seu promissio futuri matrimonii mutua manifestatur, ac ita contrahuntur sponsalia, sint præcipuum seu principatum teneant; ut Pirhing *num.* 13. ex Covarr. *epit. l. 4. decret. p. 2. cap. 4. in princ. n.* 1. ita ut ex verbis probatio sit certior, quam quæ fit aliis signis; ad valorem tamen contractus, & in specie sponsalium & matrimonii, ut per ea consensus internus manifestetur, non sunt determinate necessaria, etiam in iis, qui loqui possunt; sed sufficiunt signa qualibet, modo apta sint secundum communem loquendi modum & circumstantias, ad exprimendum consensum mutuum de contrahendo matrimonio; Pirh. *loc. cit. num.* 7. cum communi, arg. *c. tuæ, & c. cum apud sedem h. t.* ubi, quod Surdi & muti possint contrahere matrimonium, per consensum mutuum sine verbis, adeoque multo magis sponsalia. Unde jam infertur, quod, qui loqui possunt, saltem ex natura rei seu de jure naturæ, non teneantur consensum suum exprimere per verba, ut valeant sponsalia.

2. Resp. Secundo: Nihilominus, licet verba necessaria non sint ad contrahendum matrimonium aut etiam sponsalia, videntur tamen necessaria ex præcepto Ecclesiæ saltem in iis, qui loqui possunt. Arg. *c. tuæ h. t.* ubi: *Necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam verba*, & *c. licet de sponsa duor.* ubi: *Si inter virum, & mulierem legitimus consensus intervenias*, ita ut unus alterum consultis verbis recipiat &c. obtinente sic passim consuetudine Ecclesiæ, non tolerantis, ut Pirh. *nu.* 12. ait, qui loqui possunt, solis signis aut nutibus contrahant matrimonium; & quod hic dicitur de matrimonio de præsente, idem quoque locum habere in promissione matrimonii futuri sive sponsalibus. Verum quidem de matrimonio sic celebrando per verba nullum exstare præceptum Ecclesiæ, affirmat Sanchez *lib. 1. de matrimon. d.* 31. *num.* 10. apud Pirhing, tametsi ut Idem, fateatur esse peccatum grave non exprimere in hoc contractu matrimonii consensum verbis; utpote per quæ melius & clarius exprimatur quam per signa. Sed, si non existat de hoc præceptum Ecclesiæ, neque etiam ullum præceptum naturale, quomodo peccatur per hoc graviter, nisi forte utendo libere signis dubiis, quæ postea sint occasio multarum litium. Unde & in citatis textibus verba dicuntur necessaria, non tam quo ad contrahendum in se matrimonium, quam quo ad Ecclesiam, nimirum ut ei constet de mutuo consensu, & is melius tutius & facilius probari possit in foro externo Ecclesiæ; & vel sic caveantur & citius dirimantur lites in causis matrimonialibus. Porro per verba hic non intelliguntur solum illa, quæ voce articulata proferuntur, sed & quæ scripto seu per literas vel numeros, & procuratores deferuntur quasi per instrumenta.

QUÆSTIO XIV.

Per quæ verba censeantur valide contrahi sponsalia.

1. RESP. Primo: Cum fere innumeræ sint verborum formæ, de quibus merito ambigitur, num vere contractum sponsalium denotent seu exprimant, vel potius voluntatem & promissionem conditionatam, aut etiam solum propositum contrahendi sponsalia; in genere hic ita te nihil statui potest. Unde paucæ, quæ mox subjiciuntur veluti communius solitæ ab AA. examinari, serviant solum exempli gratia, ut inde de aliis facilius judicium ferri possit. Prænotanda nihilominus hic veniunt duo; primum, dum verba sunt dubia, in foro conscientiæ standum intentioni contrahentium, si de ea constet; cum verba habeant vim obligandi ab interna voluntate & consensu; in foro tamen externo non standum intentioni contrahentium, cum ea lateat Ecclesiam, sed communi & recepto verborum sensui, quem verba communiter recte intelligentibus ingerere solent. Sanch. *lib. 1. d.* 18. *num.* 1. & 2. Secundum, verba (idem est de factis) quæ de se seu sic solis sunt indifferentia, vel saltem non sufficienter significant promissionem de futuro matrimonio, determinari tamen ad illam significandam posse vel ex usu apud talem gentem, vel ex aliis circumstantiis prævis vel concomitantibus, in quibus ea hic & nunc proferuntur & sunt. Porro quæ hic dicuntur de verbis ore prolatis, proportionate quoque intelligenda de literis.

2. Resp. Secundo: Verba illa: *Nullam aliam ducam nisi te*: Significare absolutam promissionem futuri matrimonii, volunt aliqui, eundemque sensum habere, quam habent hæc: *Ducam te, & non aliam*; sive: *Ducam te, & nullam aliam*. Quemadmodum hæc propositio: *Non dabitur ei signum nisi Jonæ Prophetæ*. Lucæ 11. sic resolvitur: *Dabitur ei signum Jonæ, & nullum aliud*. Item quemadmodum, illa propositio: *Nullus homo currit, nisi Petrus*. Secundum regulas dialecticas sic resolvenda est: *Petrus currit, & nullus alius currit*. & consequenter secundum hos AA. dicta verba important vera sponsalia, dum altera pars repromittit. E contra sentiunt alii. Sanchez *lib. 1. disp.* 19. *num.* 5. Layman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap.* 1. Castrop. *loc. cit. punct. 2. num.* 3. Pirhing *h. tit. num.* 7. per dicta verba non importari sponsalia, sed ad summum hanc promissionem conditionatam: *Si aliquam sum ducturus, ducam te*; ut, cujus promittens non magis obligatur contrahere matrimonium, quam Titius dicens: *Nulli alteri quam tibi vendam meum equum*, tenetur vendere suum equum. Quod ipsum probatur hac ratione: dum in dubio est obligatio, eo ipso non est obligatio; cum etiam lege negetur obligatio, quamdiu ejus existentia vel extensio est ambigua; imo quando non est moraliter certa. Quod si tamen velit inire matrimonium, vi dictæ promissionis conditionatæ teneretur ad hanc determinate ducendam. Unde etiam si aliunde hic ex aliis conjecturis constet, habere taliter promittentem certum animum ineundi matrimonium, absolute & simpliciter obligari illum ad ducendam illam, ait Pirhing *loc. cit.* ex Laym. *loc. cit. cap. 1. num.* 2. ac consequenter consurgent formalia & absoluta sponsalia, si mulier pari modo habens animum determinatum nubendi, dicat vice versa taliter promittenti: *si aliquem sum ductura, ducam te*.

3. Resp. Tertio: Verba hæc: *Volo te ducere*: placet tecum contrahere, significare sponsalia, censet Sanchez *lib. 1. d.* 18. *num.* 24. E contra placet aliis, significari per ea solum propositum contrahendi sponsalia. Hinc Hurtad. de Mendoza *lib. 1. de matrim. disp.* 13. *num.* 38. docet, ex his verbis secundum se prolatis (secus foret, si jam præcessisset tractatus de matrimonio contrahendo) in foro judiciali judicatum iri, nihil actum esse. Idem de his verbis: *Mea eris, volo te habere uxorem*; judicant alii, nimirum continere illa solum propositum nubendi.

4. Resp. Quarto: Verba hæc: *Contraham tecum matrimonium*: Tambur. *lib. 8. de matrimon. tract. 1. cap. 2. §. 2. num.* 2. vult esse certum signum promissionis matrimonii de futuro. Sanchez putat, non quidem expresse, implicite tamen ex communissimo usu continere ea dictam promissionem. Tanner. vero *d. 4. q. num.* 20. tenet significari per ea solum propositum contrahendi matrimonium; per verba vero illa: *Accipio te in uxorem in crastinum*: Sanchez *loc. cit. num.* 29. putat significari solum matrimonium. Perez *d. 4. sect.* 2. censet significari consensum in matrimonium de præsente, sed suspensum in diem crastinum, ac si diceretur; ego nunc consentio, ut cras sim vir tuus. Unde vides, quanta ex similibus verbis dubiis & obscuris (quorum plures formulas vide apud Tambur. *loc. cit.*) in diversis sensibus a DD. acceptis, assurgatur seges litium.

QUÆSTIO XV.

An & qualiter taciturnitas sit signum sufficiens interioris consensus; ac ita ut illius contrahantur validi sponsalia.

1. RESP. Primo: Taciturnitas præcise non est signum sufficiens interni consensus; non enim puella censenda est repromittere seu consentire in repromissionem matrimonii ex eo, quod dum quis illi matrimonium promittit, ista taceat. Castrop. *loc. cit. p. 4. n. 11.* nam esto, quod quis tacendo consentire censeatur in iis, quæ sunt ei utilia; secus tamen est in iis, quæ præjudicabilia esse possunt. Menochius *de præsumptionibus lib. 3. præsumpt. 42. numer. 2.* Dinus in *reg. is qui tacet. de reg. jur. in 6. num. 3.* Bald. *in l. si sine num. 4. C. ad Senat. Consult. Velleian.* cum Gl. *in l. filius famil. v. non probatur ff. de procur.* apud Castrop. *loc. cit.*

2. Resp. Secundo: Dum pater in præsentia filii sui nomine ejus contrahit sponsalia cum puella, filius tacens & non contradicens hoc ipso censetur consentire, prout expresse deciditur, *c. unico §. fin. de despons. impub. in 6.* Perindeque est, an pater an mater sit, quæ hac ratione nomine filii aut filiæ contrahit sponsalia, cum in hac dispositione non patria potestas, sed naturalis amor parentum in proles, & illarum in parentes debitus honor & reverentia spectetur. Sanch. *lib. de sponsal. d. 23. n. 9.* Gutt. *de matrim. cap. 21. n. 5.* Castrop. *l. c. n. 12.* qui etiam id colligi ait ex cit. cap. dum ibi loquatur textus in plurali numero de parentibus. Perinde item est, sive filius existat sub patria potestate, sive jam sit emancipatus; cum citatus textus distinctionis hujus nullatenus meminerit, cujusque, ut dictum, decisio fundetur non in patria potestate, sed in amore naturali, Sanch. *loc. cit. d. 38. n. 10.* Gutt. *n. 8.* Castrop. *loc. cit.* Perinde denique est, an sit filius legitimus, an naturalis, aut etiam spurius; cum cit. textus utatur absolute voce naturali filiorum, sub qua comprehenduntur & spurii, ut Bart. *in l. 2. ff. de excusat. num. 4.* tametsi alias Jure civili Spurii appellari non debeant filii, *Auth. ex complexu C. de incest. nupt.* Castrop. Gutt. *ll. cit.* Sanchez *d. 23. n. 23.*

3. Resp. Tertio: An vero, dum parentes pro filiis absentibus vel ignorantibus nomine eorum contrahunt sponsalia, si filii de eodem contractu certiores facti non contradicant, pari modo consentire censeantur, ac si dicta sponsalia in eorum præsentia facta fuissent, in hoc, inquam, non conveniunt AA. Negant id ipsum Sanch. *d. 23. num. 27.* Gutt. *loc. cit. c. 13. n. 11.* hoc nixi fundamento; quod textus *cit. c. unico de despons. impub.* in hoc puncto loquatur diversimode de filiis dicto contractui præsentibus, ac de filiis absentibus, dum ad hoc, ut filii præsentes censeantur consentire, nihil requirit amplius quam taciturnitatem; ad hoc vero, ut filii absentes obligentur illo contractu, requirit, ut certiores de eo facti eundem ratum habeant tacite vel expresse; adeoque ultra taciturnitatem requirere videtur, ut ratificatio illa fiat signo aliquo alio positivo. Stetque etiam pro hac sententia hæc congruentia; quod, si filius præsens contractui dissentiret, præsumatur reclamaturus, secus ac in absentia, vel quia obliviscitur, vel quia existimat se postmodum posse reclamare, cum consensum non præstiterit. Econtra affirmat Castrop. *loc. c. n. 14.* citans D. Thom. *in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 2.* Palud. *ibid. q. 1. art. 1.* Henriq. *l. 11. c. 13. n. 3.* aliosque vide apud Sanch. *d. 28. q. 3. n. 16.* fundamentum hujus sententiæ dicit Castrop. quod citatus textus attente inspectus eadem tacita ratificatione pro utroque contractu contentetur; postquam enim censuit *cit. textus*, filium, si præsens est, factum a parentibus ratificare, si expresse consenserit vel tacite, subdit: *Et idem est, si filii tempore sponsalium absentes & ignorantes, eadem sponsalia postea tempore ratificaverint tacite vel expresse*; expresse quidem consentiendo positive; tacite, tacendo & non contradicendo, dum possunt. Illud tamen hic observandum, quod ut dicta taciturnitas & non contradictio consensum exprimere censeatur, filius debeat a parentibus, per se vel per nuncium aut epistolam de contractu ab ipsis ejus nomine facto moneri, & satis non sit, quod casu vel ab aliquo tertio contractum intelligat; eo quod isti tertio non teneatur respondere; dum autem monetur a parentibus, reverentia eis debita postulet, ut respondeat, reclamando, si contractus displiceat, vel tacendo, si placet. Ita Castrop. *l. c. n. 15.* cum Con. *d. 21. dub. 3. n. 30.* quod vero ex eodem addit Castrop. nimirum insuper notificationem illam debere fieri filio coram paribus, & alias non fore sponsalia, quousque pars conscia acceptet & repromittat, siquidem inter ipsas, & non inter parentes celebrentur sponsalia. Hoc, inquam, non placet; cur enim non consurgerent & essent sponsalia, dum, postquam filio absenti per literas a parentibus significatum, se nomine ipsius promisisse Bertæ matrimonium, & illam repromisisse, filius tacendo consentiat, isque ipse tacitus consensus notificatus Bertæ.

4. Resp. Quarto: Idem quod de parentibus contrahentibus nomine filiorum hac in parte dictum de taciturnitate filiorum sufficienter significativa interni consensus; aliqui, ut Scotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3.* Henriq. *l. 11. c. 2. n. 6.* & alii relati a Sanch. *d. 28. n. 2.* extendunt ad quemcunque alium tertium; eo quod contractus matrimonii sit favorabilis, & in favorabilibus quis consentire videatur. Alii admittunt de fratre contrahente nomine sororis; ut Sanch. *p. 2. n. 7. arg. c. 2. de mat. contrah. contra edict. Eccl.* ubi videntur valida sponsalia judicari, quæ frater pro sorore præsente & consentiente tacite contraxerat. Alii, ut Con. *d. 21. dub. 3.* admittunt de tutore, curatore, aliisque quorum curæ filii commissi; eo quod ad hos æque ac ad parentes pertineat consulere bono pupillorum, & minorum, & ad hos revereri illos, quam reverentiam non exhiberent, si, ubi contractus displicet, non contradicerent; unde non contradicentes, dum possunt, consentire censentur. Verum de his omnibus id negat, & de solis parentibus id admittit Castrop. *l. c. n. 17.* citans Covar. *4. decretal. p. 2. c. 4. n. 4.* Gutt. *de matr. c. 13. n. 2.* &c. eo quod taciturnitas filiorum, cum pater in eorum præsentia contrahit, ex natura rei seu jure naturæ non inferat sponsalia; cum ex natura rei non sit approbatio facti a parte non habente ad hoc speciale mandatum; sed solum ex jure positivo, in *cit. cap.* sic disponente, ut dicta taciturnitas sit sufficiens signum consensus filii approbativum contractus a parente nomine illius celebrati. Unde cum jus positivum ita disponit de solo contractu per parentes celebrato, dicendum non est, id quoque locum habere, dum alii non parentes, neque habentes ad hoc speciale mandatum contrahunt nomine Titii; præsertim cum ratio sic statuendi specialis esse potuerit amor nimius & specialis erga proles, vi cujus earum bono maxime consulunt, & specialis major que reverentia filiorum erga parentes, a quibus, quod vivant, acceperunt. Quæ ratio in fratre erga sororem, multoque minus in curatore & tutore locum non habet.

QUÆSTIO XVI.

An & qualiter subarrhatio annuli sit signum interni consensus sponsalitii seu sponsalium.

RESP. Tametsi ex se immissio annuli in digitum alterius, eiusdemque acceptatio (quam subarrhationem vocant) ex se non sit tale signum, ut patet, dum ex alia causa, V. G. in signum amoris honesti vel inhonesti fieri possit absque ulla sponsalium intentione; spectata tamen consuetudine, ubi porrectio & acceptatio annuli sponsalia significant, ea exinde contracta in foro externo censebuntur. Idem est, dum id ex circumstantiis accedentibus colligitur, V. G. si, dum de sponsalibus agitur aut actum est a Titio vel inter utriusque partis amicos utraque parte conscia, porrigatur vel mittatur annulus, isque acceptetur; ita cum communi. Abb. *in capit. fin. de spons. impub. num. 7. & 8.* Mascard. *de probat. concl. 1024. a numer. 2.* Menoch. *de præsumpt. l. 3. præsumpt. 2. numer. 1. & 4.* Sanch. *lib. 1. de matr. d. 22. num. 1. & 3.* Castrop. *loc. cit. num. 10.* Idem erit, seu censebuntur contracta sponsalia, si annulus mittatur puellæ hunc in finem a patre ex consensu & nomine filii. Quod dictum de subarrhatione, idem dicendum de submissione & acceptatione aliorum munerum seu, ut vocant, jocalium; nimirum quod per se non sint signum promissionis sponsalitiæ, sed tunc demum, quando præcedunt vel comitantur aliqua verba, actiones aut circumstantiæ, quæ ex usu vel consuetudine loci hanc promissionem denotant. Covar. *de spons. part. 2. cap. 4.* Menoch. Mascard. *ll. cit.* fuse de his agentes.

QUÆSTIO XVII.

An inter facta, per quæ promissio futuri matrimonii recte infertur, aut etiam sponsalia constituuntur, sit matrimonium inter impuberes, aut inter puberem & impuberem nulliter celebratum.

1. RESP. Matrimonium tale infert & inducit sponsalia, sive habet vim sponsalium. Sanch. *l. 1. d. 21. numer. 2.* Pont. *l. 12. c. 5. num. 4.* Castrop. *cit. part. 4. num. 3.* cum communissima contra Engels, *ad tit. de despons. impub. numer. 10.* & quosdam alios, utpote quod expresse deciditur *c. fin. de despons.*

sponsal. impub. & c. unic. eod. in 6. nam licet tales contrahentes, etiam seclusa omni alia lege, expresse solum velint alteri tradere suum corpus ad usum matrimonii, virtualiter tamen intendant, si ex aliquo capite ea traditio effectum non habeat, tradere saltem jus ad traditionem; cum hac juris traditio in matrimonii contractu imbibatur. Unde merito præsumit Ecclesia, sic contrahentes velle sponsalia contrahere, casu, quo matrimonium contrahere non possunt. Quam voluntatem contrahendi sponsalia, alias vere & in rigore inclusam in illa voluntate contrahendi matrimonium, & inde utcumque dictam præsumptionem ut elidant, & a sponsalibus deobligentur, tam in foro conscientiæ, quam externo, debent habere voluntatem expressam, eamque declarare, se tantum velle matrimonium, & non sponsalia. Neque opponis juxta doctrinam communem Bartol. *in l. 1. si quis ita ff. de V. S. num. 5.* dum de obligatione contrahenda agitur, si actus non valeat eo modo, quo fit, nullatenus quoque eo modo, quo fieri potest, valeat; cum actus agentium ultra eorum intentionem operari non debeant; *l. non omnis ff. si certum petatur*, & in obligationibus sit semper facienda stricta interpretatio. Adeoque jam, si contractus impuberum, quo matrimonium contrahere volebant, non valet in ratione matrimonii, non valebit quoque in ratione sponsalium, quæ contrahere poterant. Nam vera est hæc doctrina de obligatione, quæ contrahi poterat, si nullo modo contineatur in obligatione attentata totum, seu nulliter contracta; non vero vera est, si hæc in illa contineatur, quemadmodum sub illa obligatione matrimonii attentata comprehenditur obligatio sponsalium; Castrop. *num. 5.* ubi quoque alia ratione doctrinam illam Bartoli distingui posse ait, nimirum, ut, dum actus sub eo modo, quo gestus, non valuit ex defectu formæ, non valeat etiam sub eo modo, quo geri potuit. Secus, si non valuit sub eo modo ex defectu non formæ, sed tantum causæ, quemadmodum contractus matrimonialis inter impuberes non fuit invalidus ratione formæ, sed ratione causæ, seu ratione contrahentium, non habentium legitimam ætatem ad contrahendum matrimonium.

2. Resp. De cætero procedit responsio, tametsi matrimonium illud inter impuberes ab iis contractum clandestine. Eo quod Trid. *sess. 24. c. 1. de reformat.* irritando seu vim omnem auferendo a matrimoniis clandestine celebratis, quæ de cætero olim erant vera & valida matrimonia, non ademit a matrimoniis clam celebratis inter impuberes, quæ nunquam rationem veri matrimonii habuerant, sustulerit vim sponsalium; sed illum contractum reliquit oatura sua, vi cujus, ut dictum, includit intentionem saltem sponsalium. Sanch. *l. 1. disp. 22. n. 5.* Castrop. *l. c. num. 4.* Nav. *c. 22. num. 57.*

QUÆSTIO XVIII.

An matrimonium clandestine, & hinc invalide contractum inter puberes contineat rationem sponsalium.

1. RESP. Primo; Quantum ad rigorem juris attinet, pari modo ob paritatem rationis loquendum de tali matrimonio clandestino puberum ac de matrimonio contracto inter impuberes, tanquam probabilius censet Castrop. *num. 8.* citatis pro hoc Henriq. *l. 11. de mat. c. 5. num. 4.* Conink. *disp. 24. dub. 4. num. 47.* Laym. *l. 5. tr. 10. cap. 1. in fine*, & pluribus aliis; eo quod, ut dictum *quæst. præced.* consentiens in matrimonium præsens, eo ipso consentit in matrimonium futurum, dum matrimonium præsens contrahi nequit; & Trident. irritando consensum illum clandestinum præstitum in matrimonium præsens in ratione matrimonii, non irritavit eundem, quatenus ex natura rei se ipso est consensus in matrimonium futurum, seu quatenus constituit sponsalia; cum hæc, etsi clandestine contracta, valeant.

2. Secundo; Spectando tamen praxin & consuetudinem receptam, veriorem esse sententiam oppositam, ait Castrop. *l. c.* & sic absolute docetur communiter a Sanch. *l. 1. de spons. disp. 20. num. 3. & 4.* Gutt. *de matr. c. 15. & de juram. confirm. c. 52. a num. 28.* Cevall. *comm. contra comm. qu. 604. num. 39.* Trid. enim, inhibendo annullandoque omnino talem contractum clandestinum matrimonii, etiam ab eo separat rationem sponsalium. Quod ipsum patet a posteriori; cum sic contrahentes nullatenus obligentur perficere illo contractu, aut ad celebrandum eum valide; hoc est palam & in facie Ecclesiæ, ac ita sic cont. absolutum verum matrimonium; nec usque actum talium contrahentium adversus alterum cogi [illegible] actu; audiretur enim alias in foro externo; & cogi etiam stare promissis, quemadmodum coguntur in impubertate contrahentes seu attentantes matrimonium contrahere, ad illud contrahendum, adveniente tempore pubertatis, ex una parte volente. Adde, quod neque hic valeat principium illud allatum a Castrop. *pro resp. 1. ad q. præced.* nimirum quod dum actus eo modo, quo gestus, non valuit ob defectum formæ, etiam non valeat eo modo, quo geri potuit, in præsente autem contractus ille matrimonialis clandestine celebratus laborat defectu formæ, nempe solemnitatis requisitæ.

3. Atque ex his binis responsionibus patet, quid dicendum si matrimonium tale clandestinum firmatum est juramento; nimirum spectata praxi juramentum illud nullum esse, utpote adjectum promissioni omnino invalidæ; spectato vero rigore juris, juramentum illud valere & obligare ad ducendam puellam, non quidem ad ducendam illam vi matrimonii illius clandestini, sed vi matrimonii denuo celebrandi & virtualiter promissi in contractu illo matrimonii clandestini. Castrop. *l. c. n. 9.*

QUÆSTIO XIX.

An & quando defloratio puellæ ejusque impregnatio habeatur pro signo sufficiente consensus sponsalitii, aut saltem obliget ad ducendam, vel dotandam illam.

1. RESP. Ad primum: Defloratio puellæ seu habita cum ea copula per se seu absolute loquendo sine aliis concurrentibus non constituit signum sufficiens consensus sponsalitii; & ne quidem infert præsumptionem contractorum sponsalium; cum ea frequentius & plerumque haberi soleat ex libidine absque ulla promissione aut etiam animo ineundi matrimonii. Si vero una cum copula concurrant verba aliave signa dubia animi & promissionis factæ de ducenda illa, una cum dictis signis signum sufficiens in foro externo constituit præsumendi copulam habitam dicto animo & cum promissione matrimonii futuri; adeoque hoc ipso contracta sponsalia, & consequenter sufficit ad condemnandum absolute reum ad ducendam eam; tametsi in foro interno ad hoc non teneatur, si reipsa animum talem non habuerit. Menoch. *l. 1. præsumpt. 1.* Perez *de matr. d. 22. s. 4.* Gobat. *tr. 10. cas. 2. num. 6.* & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num. 67. & 68.* Arg. *c. fin. qui filii sint legit.* ubi etiam in talibus circumstantiis contractum præsumitur matrimonium, adeoque multo magis sponsalia. Fovente etiam hanc præsumptionem, quod puellæ aliis honestæ ita non censeantur præbere sui corporis usum ante contractum matrimonium, & si id faciant, non nisi suo sponso & sub spe futuri matrimonii; eliderent contra penitus, quo ad forum etiam externam hanc præsumptionem, si puella honesta non sit, sed prostituta libidinis seu exposita pluribus, & exinde diffamata & suspecta.

2. Resp. Ad secundum primo: Si citra contracta sponsalia factamve promissionem absque vi vel fraude vel metu injuste incusso, item absque precibus & blanditiis importunis libere consentientem quis defloraverit, aut etiam impregnaverit, vel prius corruptam carnaliter cognoverit, in conscientia eam non ducere, nec dotare tenetur ratione promissionis, quia ut supponitur, ea facta non est. Nec ratione injuriæ illatæ, utpote quæ libere consentienti non infertur; & jura ratione deflorationis aut stupri restitutionem seu satisfactionem imponentia loquuntur solum de seducentibus & decipientibus, ut patet ex c. 1. & 2. *de adulter. & stupr.* ita Less. *l. 2. c. 10. dub. 4.* Nav. *in man. c. 16. n. 12.* Barbos. *ad cit. c. 1. num. 2.* Pirh. *h. tit. num.* [illegible] Reiffenst. *num. 70.* In foro tamen externo tenetur eam ducere vel dotare, quia puella honesta censetur non consensisse libere, sed vi vel dolo aut importunis precibus seducta, juxta *l. 1. c. de rapt. Virg.* ita Anchor. *in c. 1. de adult. & stupr.* Barbos. *ibidem num. 3.* de Lugo *de J. & J. disp.* [illegible] *num. 2.* Gutt. *de matr. quæst.* 39. *num. 11.* Reiffenst. *h. tit. num. 70. & 85.*

3. Resp. Ad secundum secundo: Si autem puellam defloravit vi, dolo, metu injuste incusso, & fam. absque ficta el spe matrimonii, tenetur deflorator tam in foro interno, quam externo eam ducere aut sufficienter dotare; ita cum communissima & certe juxta *c. 1. de adult. & stupr.* Barb. *ibid. n. 4.* Nav. *l. c. num. 19.* Less. *l. c. num. 20.* Sylv. *l. c.* [illegible] Layman *num. 5.* Mol. Abb. & Canonistæ passim. Siquidem omnis injuste damnificans (qualiter dicto modo puella damnificatur) tenetur resarcire damnum, quod in hoc casu aliter resarcire nequit, quam ducendo a se defloratam, vel indotan-

dotando, ut æque honestas nuptias consequi possit, ac si deflorata non esset. Ad idem tenetur, saltem in foro externo, qui importunis precibus & blanditiis aut muneribus ad copulam secum habendam induxit puellam. Nav. *l. c.* Gutt. *loc. cit. num.* 13. Less. *l. c. cap.* 10. *num.* 4. Pirh. *l. c. num.* 50. sic enim expresse statuitur per textum *cit. c.* 1. de eo, qui cum puella a se seducta dormierit, communi vero usu & intelligentia (secundum quam verba legum semper accipienda. Argum. *c. intelligentia* 2. *h. t.* & *l. Labeo ff. de supell. legat.*) seducere puellam dicitur non tantum, qui fraude & dolo, sed & qui eam importunis precibus & blanditiis ad consensum induxit. Neque etiam necessario requiritur ad ducendam illam, ut puellæ illata injuria, sed sufficiunt sollicitationes & suasiones instanter factæ & importune. Nav. *num.* 16. Argum. *l. 1. de rapt. Virg.* utpote quæ etiam metui æquiparantur, ut Gutt. *loc. cit.* Argum. *l. 1. C. ne filius pro patre*, juncta Gloss. *ibidem*, præsertim si adhibitæ a Principe, aliove Superiore aut magno Benefactore, cui sollicitanti importune puella ex metu reverentiali non audet resistere, ut Molin. *de J. & J. tr.* 3. *disp.* 105. *num.* 1. Pirh. *loc. cit.* Secus tamen est quo ad forum internum, dum puella seducta æque commodas nuptias consequi potest, ut semper contingit, dum defloratio manet occulta, impraegnatione non secuta; dum tunc ad nihil tenetur deflorator, neque ratione damni illati, utpote quod vitiatis occultatione evitatur, & virginitas etiam violata sit irreparabilis; neque ut dispositioni *c. 1. h. t.* utpote quæ ad executionem requirit Judicis sententiam, satisfieri nequit, quamdiu defloratio occulta. Gutt. *loc. cit. num.* 25. Quod si tamen deflorata contra defloratorem, uti potest, agat, & Judex (uti debet, etiam dum nihil præter deflorationem, ipsam passa est damni; cum lex illa de ducenda vel dotanda lata principaliter sit in odium criminis) talis sententiam, tenetur deflorator, etiam in foro interno, eam dotare; cum quivis juste sententiæ juxta leges latæ teneatur parere. Reiffenst. *l. cit. num.* 77. *& seqq. num.* 93. qui etiam *n.* 93. extendit idem ad casum, quo deflorata non obstante defloratione habet vel habere potest dotem competentem; eo quod virginitas, ut Abb. *in rubr. h. t. num.* 4. Gutt. *loc. cit. num.* 8. sit altera sive secunda dos. Quin & si tamen occultum deflorator ipse propalet, tenebitur dotare illam in foro interno ante sententiam Judicis, ut Molin. *cit. tr.* 3. *disp.* 105. *num.* 23. *in fine* de Lugo *de J. & J. disp.* 12. *s.* 1. *n.* 6. Pirh. *l. c. num.* 48. quia tenetur adhuc tam jure naturæ, quam positivo, etiam ante omnem sententiam, reparare damnum, quod intulit, si non deflorando, saltem diffamando per talem propalationem. Unde & ipsa deflorata sic diffamata, etiam in foro externo, agere potest contra diffamatorem damnum hoc resarcire recusantem, vel actione injuriarum ex *l. diffamari*, vel pro acquirenda dote ex causa deflorationis. Nec poenam effugiet deflorator dicendo, quod puella libere consenserit, aut virgo non fuerit; cum in foro externo puella fuisset virgo ante deflorationem ab eo factam, juxta *cit. c.* 1. & Auctor. Abb. Barb. *cit. n.* 2. Si tamen, ut, si Judex extra præsumptione ad plus, quam damnum puellæ per diffamationem illatum efficit, condemnaret diffamatorem, excessum illum, saltem in occulto, restituere tenetur puella, ita Reiffenst. *nu.* 78.

4. Resp. Ad secundum tertio: Quod si tamen citra promissionem matrimonii sine vi, dolo, metu, & importunis precibus cognosceret feminam, quæ amplius virgo non erat, aut pro tali communiter habebatur, quippe publica meretrix, aut talis, de qua constaret esse corruptam, in nullo foro ad quicquam tenetur: tum jure naturali in foro interno, quia in nullo genere damnum intulit: tum jure positivo in foro externo; cum *cit. c.* 1. dicatur: *Qui virginem seduxerit*; unde a sensu contrario recte infertur, ad nihil teneri, qui seduxit jam corruptam. Proceditque id insuper regulariter, dum, etsi non sciatur ipsam esse corruptam; est tamen puella vilis, vitæ minus honestæ, vagabunda, non servato pudore admittens non admittenda; cum contra tales stat præsumptio, quod virgines non sint, ita Barb. Farin. & *l. l. cit.* & alii communiter apud Reiffenst. *num.* 80. Argum. *l. quæ adulterium fecit in fine C. ad Leg. Jul. de adulter.* Et sic in specie de famulabus cauponarum sentiunt Barbos. *loc. cit. num.* 11. Alciat. *in l. inter stuprum ff. de V. S. n.* 5. Farin. *loc. cit. nu.* 3. referens plures alios. Argum. *cit. l. quæ adulterium*, & ibi Gl. *v. quæ adulterium*, quod tamen valde limitandum esse, bene dicit Reiffenstuel, dum etiam inter eas reperiuntur plures, quæ alias fuerunt & sunt honestæ vitæ. Nihilominus adhuc tenetur ducere vel dotare, qui priuscorruptam denuo vi, dolo, importunis precibus seducit, seu cognoscit, postquam per longum tempus emendatam honestamque vitam duxit; ideoque obtinendo, vel non curato priore delicto, spem proximam, vel promissionem boni matrimonii habet, aut alio beneficio fruitur, quo ob iterum lapsum privaretur, quia tali infertur per hoc injuria & damnum, in conscientia jure divino ac naturali resarciendum.

5. Resp. Ad secundum quarto: De cætero qui vi, dolo, metu injuste incusso, importunis precibus seduxit & defloravit puellam, non tenetur copulative ad eam ducendam & dotandam; sed satisfaciet in utroque foro eam ducendo, vel ei aut parentibus recusantibus matrimonium, eandem dotando. Barbos. *in cap.* 1. *de adult. & stup.* Abb. *ibid. num.* 4. Butrio *num.* 2. Clarus §. *stuprum num.* 3. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *cap.* 5. §. *quæres*, de Lugo *de J. & J. d.* 2. *sect.* 12. *num.* 41. Less. *l.* 4. *cap.* 10. *dub.* 13. Gutt. *qq. can. L.* 1. *quæst.* 31. *num.* 7. & *seq.* Pirh. *h. tit. num.* 45. Reiffenst. *num.* 87. aliique juxta Rotæ *decis.* 779. *p.* 4. *divers.* & receptissimam omnium tribunalium praxin & consuetudinem, teste Gutt. Arg. *cap.* 1. *de adult. & stup.* ubi seductor talis, seu deflorator in alternatione ad ducendum vel dotandum compellitur; in alternativis autem sufficit unum implere, juxta *cap. in alternativis, de reg. jur. in* 6. non obstante *cap.* 1. *eodem* ubi copulative per particulam & ad utrumque compelli videtur; quia ibi dictio & sumitur pro *vel*, sicut & non raro accipitur in aliis textibus juris, prout dicitur *l. Sæpe & l. conjunctionem ff. de V. S.* Quin & si ipsa seducta ejusve parentes recusant matrimonium cum seductore, tenebitur is determinate eam dotare. Holl. *in cap.* 1. *n.* 2. Gonz. *ibidem num.* 7. Clarus, Barb. *l. l. cit.* Less. *loc. cit. num.* 12. de Lugo *num.* 43. Farin. *de delictis carnis, quæst.* 147. *num.* 18. Pirh. *l. c. num.* 46. juxta *cit. cap.* 1. ubi expresse: *Si pater ejus noluerit dare abnuerit*, (intellige, illam violatam ei in matrimonium) *reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt*; quod multo magis locum habet, si ipsa illa, utpote principaliter offensa, ei nubere recusat: & ea etiam ratione, quod si carere deberet dote vel stupratore determinate sic volente, eundem forte non placentem ducere, privaretur adhuc libertate, quam prius habebat, nubendi, cui volebat.

6. Resp. Ad secundum quinto: Quod attinet ad quantitatem dotis, ad tantam puellæ defloratæ dandam obligatur seductor, quantam parentes consideratis puellæ & mariti, quem non violata accipere potuisset, qualitatibus & dignitate, revera daturi fuissent, nisi forte aliud habeat loci consuetudo, ita juxta textum *cap.* 1. paulo ante citatum Gloss. *in eodem cap.* 1. *v. juxta modum*, Gonz. *loc. cit. num.* 8. Farin. *loc. cit. num.* 24. & *seq.* Carpz. *pr. crim. part.* 2. *quæst.* 68. *num.* 13. Berlich *part.* 5. *concl. pract.* 38. *numer.* 20. Quin & sæpe etiam in foro externo deflorator majorem dare dotem debet, quam consideratis considerandis; nempe ejus nobilitate, specialibus naturæ donis, virtute singulari vel arte, qua pollet puella, etiam de cætero pauper (cum & tales puellæ pauperes, etsi careant dote, aut modicam habeant, insignia dictarum qualitatum plerumque æque præclaras nuptias acquirunt, ac aliæ ampliore dote instructæ) habere potuisset, si nimirum plus ei intulit damni, cum etiam in foro externo quivis teneatur resarcire totum damnum alteri injuste illatum; modo tamen damnum illud legitime probet, & satisfactionem, prout exigere potest, exigat. Secus si, etsi illud vere illatum, probare tamen nequit, aut eo prolato satisfactionem non exigat: tunc enim in foro externo sibi dote contenta esse debet; uti & ea contenta esse debet, etiam in foro externo, si dolis importunis, blanditiis eam seduxit; cum vel sic ei consentienti injuria, ideoque nec damnum contra justitiam inferatur. Reiffenst. *l. c. num.* 105. De cætero multum in hoc puncto relinquendum arbitrio prudentis & æqui Judicis, quantum æstimandum sit damnum illud; quod puella pauper nobilis, instructa jam dictis qualitatibus passa; non attento tamen, quod deflorator sit dives; cum exinde ad majorem dotem dandam, quam minus dives non astringatur. Quin &, si deflorator sit pauper, aut mediocris fortunæ, non teneatur dare dotem, quantam alias consideratis qualitate, & facultatibus parentum ejus, requireretur; sed solum tantam, quantam salvo suo statu & conditione dare potest; cum ad impossibile (cui æquiparantur valde difficilia) nemo teneatur. Tenetur tamen in utroque foro ducere in hoc casu puellam non notabiliter inferioris conditionis, dum ea illum habere vult; ad quod tamen etiam non tenetur, dum dotare eam non potest, si puella sit longe inferioris conditionis, ut de Lugo *d.* 12. *sect.* 1. *num.* 14. cum nemine, ut idem cum communi Theologorum, teneatur cum longe majore suo damno, resarcire damnum a se illatum alteri; quod etiam in foro externo procedere ait Reiffenst. *num.* 126. quem vide.

7. Porro procedunt hæc dicta de quantitate dotis etiam quo ad forum internum; nisi quod in hoc etiam ante Judicis sententiam resarciendum sit præter dotem puellæ considera-

tis

tis omnibus considerandis, competentem, omne damnum illi illatum, ad quod in foro externo ante sententiam non tenetur injustus deflorator. Imo ut pro foro interno is teneatur pro quantitate damni illati restituere dotem, etiam in casu, quo Judex in foro externo ad minorem dotem per sententiam eum obligavit, si vel ex negligentia vel simplicitate, aut ignorantia gravitatem damni non proposuit, aut propositam probare non potuit deflorata; eo quod sententia judicis, quæ non nisi secundum allegata & probata ferri potest & debet, juxta communem Theologorum non relevet in foro conscientiæ illum, qui revera plus damni se intulisse, aut debere novit. Secus tamen, si violata satis declarasset & probasset gravitatem damni; tunc enim pro justitia sententiæ, & æquitate Judicis præsumi debet, nisi aperte de injustitia constaret; ita fere Reiffenst. *num.* 104. Quamvis autem cum Gutt. *loc. cit. in fine*, valde probabiliter doceant plures, defloratorem æqualis conditionis & dignitatis offerentem se ad ducendam violatam, ea illum respuente & volente dotem, non teneri in foro conscientiæ ante sententiam Judicis dotem solvere; eo quod is in hoc casu in foro ad plus non teneatur, quam ad resarciendum damnum; illud vero ordinarie totum consistat in eo, quod æqualem sibi virum amplius nequeat accipere. Videntur tamen alii docere probabilius, in hoc casu posse adhuc in foro interno compelli defloratorem ad dotandam defloratam, eo quod in pœnam delicti defloratori sit adempta libertas deducendi vel dotandi illam; ea vero concessa defloratæ, ut, si defloranti nubere nolit, dotem prætendere possit.

7. Resp. Denique: qui ficta spe & matrimonii promissione fœminam seduxit ad copulam, non satisfacit eam dotando, sed tenetur in utroque foro determinate eam ducere, etiamsi non fuerit virgo, modo id sciverit deceptor. Sanch. *l.* 1. *de mat. disp.* 10. *num.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 11. Nav. *loc. cit. cap.* 16. *num.* 18. Less. *l.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Molin. *de J. & J. disp.* 12. *s.* 2. *num.* 20. Sylv. Pirh. & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. *h. tit. num.* 115. contra Perez. *de mat. disp.* 2. *s.* 3. fundantes suam sententiam non in damno inde secuto deceptæ, sed in natura contractus: *do ut des, facio ut facias*, (qualis in præsenti intervenit) vi cujus, etiam ficte celebrati, ex justitia commutativa, & naturali æquitate tenetur, postquam pars una illum implevit, pars altera eundem implere; quia acceptans alterius factum non nisi sub conditione facti ab altero reciproce præstandi, sua fictione & interna protestatione impedire nequit, quominus ex justitia, & naturali æquitate oriatur obligatio reciprocæ præstationis.

8. Limitanda tamen varie hæc responsio; & primo quidem; nisi fœmina ex verbis, aliisque conjecturis ex circumstantiis facile colligere potuisset fraudem & fictionem. Sanch. *loc. cit. num.* 7. Laym. *loc. cit.* Less. *loc. cit. num.* 24. Sylv. *v. luxuria qu.* 5. Reiffenst. *num.* 127. cum communi aliorum. Estque inter has circumstantias & illa, si vir notabiliter excedit conditionem fœminæ, v. g. dum ea pauperculi rustici filia & vir nobilis; tunc enim mulier id sciens facile suspicari potest, virum sine animo se ducendi in uxorem ex mera libidine prensasse usum sui corporis, quem ut obtineret, celebrasse secum contractum illum onerosum; *facio, ut facias*. Sanch. *loc. cit. num.* 5. Less. *loc. c. dub.* 3. Pirh. *de adult. & stup. num.* 57. Reiffenst. *num.* 121. Sylv. & Nav. *LL. cit.* Secus est, seu tenetur deceptor eam ducere, si mulier excessum illum ignoravit, vel etiam dum cognito ab illa excessu illo, vir ficte promittens, tali tamen modo, seu talibus utens verbis, (qualia refert Reiffenst. *num.* 123.) de serio animo ducendi eam assecurasset, ut ipsa & quilibet vir prudens credere potuerit, virum sincere promittere matrimonium, ut contra Sanch. & Pirhing. tenet communior & probabilior. Limitanda secundo: nisi fœmina jactaret & fingeret, se esse virginem, dum talis non est; cum ex tali causa etiam solvi possint sponsalia vata, adeoque multo magis tolli vel impediri obligatio eam ducendi. Sanch. *loc. cit. num.* 11. Less. *loc. cit. num.* 39. Ledesm. *de matr. qu.* 45. *ar.* 4. *dub.* 1. Laym. *loc. c.* & alii communiter. Quin & ipsum procedere, affirmant iidem, dum mulier non deciperet virum, dicendo, se esse virginem, sed pure non manifestando amissionem virginitatis, ad quod manifestandum non tenebatur, concessisset viro corporis sui usum. In quo casu adhuc vir in utroque foro tenetur eam dotare, si, quæ communiter habebatur virgo, inde diffamaretur & pateretur damnum. Less. Pirh. *LL. cit.* Cordub. *in sum. qu.* 49. Si vero ex illo damnum nullum sequatur, ad nihil tenebitur vir deceptor. Limitanda tertio; ut liberetur iniquus seductor ab obligatione tam ducendi, quam dotandi mulierem a se cognitam, quoties intervenit vel subsequitur circumstantia vel causa, ob quam juste dissolvi possunt sponsalia vere contracta. Sanch. *loc. c. num.* 13. Less. *num.* 30. Laym. *loc. c.* non enim apparet ratio, cur, si causa aliqua tollat vel impediat obligationem natam ex vera promissione, eadem non sit sufficiens ad tollendam obligationem natam occasione fictæ promissionis ex contractu innominato: *facio, ut facias*. De cætero si talis ficte promittens est conjugatus, aut clericus in sacris constitutus, fingens se esse laicum solutum, cum seductam sa ducere nequeat, tenetur determinate eam dotare in tantum, in quantum eam damnificavit.

QUÆSTIO XX.

Quid agere debeat in foro externo Judex, dum consideratis considerandis omnibus, manet dubius vel ambiguus, num sponsalia vere contracta, seu vera, sint, valeatque promissio matrimonii.

1. RESP. diversimode, pro ut ambiguitas & dubitatio oritur ex diversis capitibus, & primo quidem, si verba & signa, quibus exprimendus consensus & promissio ex seipsis & communi DD. habeant obscurum & ambiguum sensum, ipseque ea proferens, neget, se ea protulisse aut edidisse intentione promittendi matrimonii, Judex debet negantem absolvere, seu ab obligatione liberum pronunciare, saltem si copula non intercessit, quia *in obscuris minimum* (hoc est, quod minus gravat) *est sequendum*, juxta *c.* 30. *de Reg. Jur. in* 6. magisque in dubio præsumitur pro libertate, quam pro obligatione, juxta *l.* 47. *ff. de O. & A.* ibi: *ubi de obligando quæritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum; ubi de liberando ex adverso quæritur, ut faciliores simus ad liberandum*; & juxta *l. quidquid ff. de V. S.* ubi: *quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est: at certe secundum promissorem interpretamur; quia stipulatori liberum fuit verba late concipere*; vel debet Judex neganti deferre juramentum purgatorium, quod edendo talia signa non habuerit intentionem per ea significandi promissionem matrimonii, quia, cum quilibet sit suorum verborum interpres, in dubiis & ambiguis recurrendum ad mentem proferentis, eique saltem juranti credendum. Argum. *c. personalis de except.* & universaliter, dum de mente & conscientia agitur alicujus, statur juramento illius, ut Gloss. communiter recepta *in c. significasti, de homicid. volunt. v. si ita*. Felin. *in c. quando de præsumpt. num.* 6. Gail. *l.* 7. *obs.* 48. *a num.* 24. apud Reiffenst. *h. t. num.* 45.

2. Secundo: Si verba & signa clara, & ex communi loquendi usu, locique consuetudine, aut communi DD. sponsalia seu promissionem matrimonii significantia; pars autem adversa dicat, sa ea non serio, sed ex joco protulisse, Judex in foro externo præsumere & judicare debet, rem serio actam, & veram promissionem matrimonii factam; nisi jocus aliunde constet, aut sufficienter probetur, quia generaliter loquendo, dum verba juxta communem usum clare quid significant, juxta eorum tenorem præsumendum & judicandum. Si vero jocus ita probetur & appareat, ut adhuc maneat ambiguum, num serio, an jocose actum, deferendum est asserenti juramentum, eique standum juxta paulo ante dicta.

3. Tertio: Si verba sint clara, proferens vero dicat, aut convincatur prolata esse ex dolosa fictione & fraudulenter ad obtinendum usum corporis alterius, nullam in foro externo meretur fidem, nec ad juramentum admitti debet (allegans enim propriam turpitudinem suspectum se reddit & fide indignum & sic inhabilem ad hoc, ut ei juramentum deferatur) sed juxta externum verborum tenorem judicandus & condemnandus. Quod idem dicendum videtur, & si fictionem (quæ tamen dolosa fictio longe difficilius probatur, quam jocus; ut qui plerumque aperte patet & dignoscitur ex circumstantiis; fictio vero dolosa studio absconditur & ut actus serio & sincere gestus simulatur) in odium & pœnam dolosæ fictionis.

4. Quarto, si verba aut signa sunt clara & sponsalia, indubitate significant, reus autem absolute negat, se ea protulisse, & pars altera affirmans, ea prolata esse, solum semiplene probet, ita ut revera remaneat dubium, num prolata, causa decidi debet juramento legis decisivo; cujus dilatio cæteris paribus (dum nimirum reus est persona æque honesta ac actor, & uterque æque semiplenam sui asserti probationem affert) regulariter potius reo facienda (a quo præstitum juramentum dicitur purgatorium, quia purgat reum ab obligatione ei objecta; & juramentum

acto-

actoris suppletorium quippe supplens semiplenam probationem ab eo factam) utpote cujus tanquam possidentis seu existentis in possessione suæ libertatis, causa est melior; & dum partium jura sunt obscura, potius favendum reo quam actori, juxta *reg. 11. juris in* 6. secus est, si reus est vilis, infamis, de perjurio suspectus, aut etiam persona non legitima, tunc enim juramentum suppletorium deferendum potius actori, etsi sit fæmina, modo causam suam prius semiplene probaverit; de quo vide plura *l. 2. tit. 24. de jurejurando*.

CAPUT TERTIUM.

De pignoribus, pactis, pœnis, conditionibus, quæ contractui sponsalitio possunt, vel non possunt apponi.

QUÆSTIO XXI.

An in contractu sponsalium ob majorem ejus firmitatem adhiberi possint fidejussores, & apponi pignora.

1. Resp. Ad primum: affirmative. Castrop. *de sponsal. d. 1. part. 14. num.* 1. citatis Sanch. *disp.* 38. *num.* 1. Gutt. *de mat. c.* 22. hos tamen fidejussores, ait Castrop. obligari tantum posse ad solvendum interesse & damnum, quod ex violatione sponsalium parti innocenti provenit, non tamen ad solvendam pœnam, quia juxta §. 1. *Inst. de fidejuss. & ibi* DD. non possunt plus obligari, quam ipsi contrahentes, hi autem obligari non possunt ad pœnam juxta dicenda paulo post.

2. Resp. Ad secundum: Tametsi pignora apponi nequeant pro securitate pœnæ solvendæ (cum hæ ipsæ apponi nequeant, adeoque jam corruente principali, nempe obligatione ad pœnam, corruere etiam debet accessorium, juxta *reg. accessorium de Reg. Jur. in* 6. nempe appositio pignoris in securitatem pœnæ) possunt tamen apponi pro securitate arrharum non tantum, sed & pro interesse, quod amittere potest innocens, vel pro damno ei illato ex fide ei violata; cum enim contrahentes sponsalia obligari possint ad solvendum non tantum arrhas promissas, sed & ad interessu & damnum, si quod ex violatione sponsalium emergat, pro majore certitudine apponi possunt & pignora, non secus ac fidejussores; cum id nullo jure prohibeatur. Castrop. *l. c. n.* 3. quin & ipsæ arrhæ expresse tradi possunt tanquam pignus pro securitate futuri matrimonii, ita ut eas amittat tradens, si culpa sua non sequatur matrimonium; eo autem secuto redeant ad tradentem. Sanch. *l. 1. d.* 36. *a n.* 2. juxta *l.* 2. *C. de spons.* ubi: *arrhas sponsaliorum nomine datas defuncto dante jubemus restitui, nisi causam, ut nuptiæ non celebrentur persona defuncta præbuit.*

QUÆSTIO XXII.

An igitur sponsalibus adjici possit pactum expressum a contrahentibus, ut resiliens injuste compenset damnum emergens ex tali recessu.

Resp. Posse in pactum deduci compensationem damni emergentis innocenti ex tali recessu, non vero lucri exinde eidem cessantis. Castrop. *loc. cit. d. 1. part.* 9. *num.* 10. Sanch. *l. 1. d.* 30. *num.* 15. Gutt. *de mat. c.* 17. *num* 14. contra alios putantes posse venire in pactum compensationem, & damni emergentis & lucri cessantis, item contra alios putantes, neque compensationem damni emergentis, neque lucri cessantis posse venire in pactum. Ratio primæ partis responsionis, est, quod resiliens injuste committat injuriam & injustitiam adversus innocentem, adeoque damnum inde proveniens innocenti (quale v. g. esset, si impensas aliquas in sponsalibus contrahendis fecisset, vel ob eam causam alia sponsalia, non leviter sibi utilia amisisset) tenetur compensare, etiam seclusa omni pactatione, ergo hoc damnum resarciendum deduci poterit in pactum; quia non ex pacto, sed ex injustitia violatæ fidei debetur. Jus autem positivum irritat compensationem alias indebitam; non vero jure naturæ debitam; ita Castrop. contra quod nihil dici potest, quam quod hac ratione pactatio illa videatur superflua. Ratio partis alterius est, quod ad lucrum cessans innocenti ex eo v. g. quod sponsus resiliens sit ditissimus; neque alius æque dives haberi possit, innocens non habeat jus, nisi post contractum matrimonium; adeoque si contrahentes se mutuo obligare possunt ad tale lucrum compensandum, obligarentur ad solvendam pœnam alias indebitam, quæ obligatio a jure positivo annullatur, juxta paulo post dicenda.

QUÆSTIO XXIII.

An sponsalibus adjici possit pactum pœnæ solvendæ a resiliente.

1. Resp. Primo in genere: Pœna (intellige, proprie dicta, id est, quæ ex propriæ pecuniæ, patrimonii vel bonorum diminutione est persolvenda; non vero ea, quæ consistit in acquirendo lucro aliquo, de hac enim agetur *quæst. seq*) non potest venire in tale pactum; quia tale pactum prohibetur & annihilatur *in c. gemma mulier. h. tit.* ubi Pontifex urgentem istiusmodi pœnæ solutionem jubet etiam per censuras compelli ad desistendum urgere, motus ex eo, quod matrimonia debeant esse libera. Item a jure civili *in l. fin. de sponsal.* ubi: *si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit; cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat*; & *l. Titia ff. de V. S.* ubi dicitur, talis stipulatio esse contra bonos mores, & inhonestum videri vinculo pœnæ matrimonio obstringi, sive futura, sive contracta.

2. Extenditur responsio primo ita, ut hanc prohibitionem & irritationem non impediat, quod pœna apposita sit levis; quia jura indistincte prohibent pœnam apponi in sponsalibus, & quælibet pœna, etiam minima, ex se diminuit libertatem requisitam ad matrimonium; & quod, si in aliquo casu ea libertas non minuatur, id sit per accidens, quod jura non attendunt, sed ea, quæ frequenter contingunt, spectant Castrop. *l. c. n.* 1. Sanch. *cit. d.* 30. *nu.* 11. Gutt. *loc. c. n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 22. cum Abb. *in c. gemma nu.* 8. Covar. 4. *decret. p. 2. c. 3. §. 7. n.* 5.

3. Extenditur secundo; ut irrita quoque sit cujuslibet pœnæ appositio facta a sponsorum cognatis, amicis, tutoribus, nisi matrimonium sequatur; eo quod horum damnum sit etiam damnum sponsorum, eosque movere potest ad contrahendum matrimonium. Castrop. *l. c.* Sanch. *l. c. n.* 2. Gutt. *n.* 2. secus esset, si inter extraneos motu proprio, & non ea mandato sponsorum, vel eorundem parentum pœna apposita esset. AA. iidem.

4. Extenditur tertio ita, ut, etiamsi adjiciatur juramentum de pœna sponsalibus apposita solvenda, illud non tantum promissionem illam solvendi dictam pœnam non firmet, sed etiam non sit obligatorium; ita tenent Castrop. *l. c. nu.* 6. Sanch. *l. 1. d.* 32. *num.* 21. Gutt. *c.* 17. *num.* 21. Poncius *l.* 12. *c.* 19. *num.* 7. contra Molin. *de Just. Tom. 2. tr. 2. d.* 151. Lessium *l. 2. c. 17. dub. 7. num.* 56. sentientes juramentum illud obligare, etsi promissionem illam solvendi pœnam non firmet; eo quod etsi promissio illa, utpote prohibita sit peccatum; solutio tamen ipsa prohibita non sit; item contra Coninck. *d. 22. dub. 5. nu.* 25. & alios citatos a Sanch. censentes juramentum illud non tantum obligare ad solutionem, sed etiam firmare promissionem illam solvendi. Verum ratio extensionis, quo ad primam partem est, quod ad firmandum contractum alias nullum & prohibitum necesse est a iure sic disponente illius vitium purgari; quia iuramentum de non retractando contractu nullo & prohibito iniquum est, nisi ius ipsum in casu accedentis iuramenti tollat nullitatem & prohibitionem; sed nullibi stante tali iuramento invenitur a iure sublata prohibitio & nullitas talis promissionis de solvenda illa pœna apposita sponsalibus; ergo iuramentum illam promissionem firmare nequit. Ratio extensionis, quo ad secundam partem, nimirum quod iuramentum illud non sit obligatorium, est, quod ius interdicens promissionem pœnæ adjici sponsalibus non tam interdicit promissionem, quam solutionem faciendam; quia non tam promissio, quam solutio adimit libertatem matri-

monii;

monii; ergo iuramentum est de re probibita & illicita, adeoque obligare nequit; ita fere Castrop. qui etiam exinde confirmat extensionem; & fundamenta contrariæ opinionis diluit, quod solutio pœnæ, etsi per se mala non sit, quatenus tamen in sponsalibus promissa est, iniqua est ejus solutio, utpote iniquæ promissionis approbatio; secus accidit in solutione usurarum; quia earum promissio ob redemptionem vexæ est valida; item in solutione pecuniæ ob patratum homicidium, utpote cuius promissio non per se, sed per accidens, scilicet ex motione ad peccandum iniqua est, ac proinde sublata iniquitate obligat ad sui executionem, unde mirum non est, iuramentum de his pecuniis solvendis esse obligatorium; in Sponsalibus vero pœna apposita ratione sui prohibetur, ac proinde neque eius promissio, neque solutio ulla ratione honestari potest; & sic mirum non est, iuramentum de præstanda hac solutione non esse obligatorium, utpote de re prohibita & simpliciter illicita, non obstante, quod hæc prohibitio sit tantum a iure positivo, non vero a naturali; adeoque solutio illa sit tantum contra bonos mores civiles, non naturales; idem de promissione solvendi pecuniam amissam ludo vetito sentit Castrop. *l. c. num. 7.* illius solutionem illicitam esse, adeoque nec iuramento confirmari. Quod vero attinet quæstionem hinc natam; an recipiens mulctam pecuniariam promissam in Sponsalibus possit eam solutam retinere, relatis aliorum sententiis *num. 8.* respondet ipse *num. 9.* cum Gutr. *de mat. c. 17. num. 15. & seq.* sub distinctione, nimirum, si resiliens solvat illam, ut stet promissis etiam nullis, sciens eam esse indebitam, recipientem eam posse retinere, quousque ad restitutionem compellatur; quia eo casu non solvitur pecunia, quatenus vi promissionis debita, sed donatur promissa, eo quod promissa sit; iura autem non donationem, sed solutionem vi promissionis factam prohibent seu annullant; si vero promittens solvat illam, quia credit se obligatum esse, recipientem nullo modo posse eam retinere, quia nullum habet titulum, ratione cujus possit eam retinere.

5. Limitatur econtra responsio ita, ut locum non habeat dicta prohibitio & irritatio in resiliente iniuste & perfide. Castrop. *l. c. num. 3.* (etsi fateatur oppositam sententiam esse communem) citans Coninck. *d. 22. dub. 5. concl. 2. num. 29.* Suar. *Tom. 2. de relig. l. 2. de juram. c. 23. num. 5.* Vasq. *opusc. de testam. c. 3. dist. 2. num. 28.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. num. 8.* Pontium *de Sponsal. l. 12. c. 19. num. 8. &c.* Ratio limitationis est, quod id imprimis non prohibeatur iure naturæ; cum hæc pœna libertatem matrimonii non impediat, utpote ortum habens ab ipsismet contrahentibus, qui se solutioni pœnæ voluntarie subiecerunt; dein iure positivo solum prohibeatur apponi talis pœna solvenda a iusto resiliente; & nullus est textus, quo prohibeatur pœna imponi iniuste resilienti, uti id patet ex *c. gemma*; ubi Sponsalia contracta erant ante septennium, a quibus contrahens poterat licite resilire, ideoque mirum erat, solutione pœnæ obligari seu cogi ad perseverandum in sponsalibus. Neque etiam ex ratione ita decidendi *in cit. cap.* colligi potest, pœnam imponi non posse iniusto resilienti. Siquidam ratio movens ad prohibendam impositionem pœnæ hic est, ne matrimonio contrahendo adimatur aut minuatur aliqualiter libertas, at ex eo, quod iniuste cogitans resilire moventur solutione pœnæ ad celebrandum matrimonium, non minuitur eius libertas; quia nulla est libertas licita & honesta, quæ illa pœnæ solutione minuatur; cum compellatur ad id, nempe contrahendum matrimonium, ad quod iam iure naturali ac divino adstrictus est vi sponsalium; adeoque a quo abstinendi nullam amplius habet potestatem & libertatem (intellige) moralem seu civilem & iuridicam, etsi physicam habeat, quam, ne peccaminose exserat resiliendo, cohibetur illa solutione pœnæ; unde tamen non magis destituitur libertate requisita ad contrahendum valide matrimonium, quam is, qui ob illatam mulieri iniuriam per deflorationem tenetur eam ducere, vel gravem summam pecuniæ dotis loco ei persolvere, dum perterritus & cohibitus illa pecunia solvenda eam ducit; quorum contrarium est in eo, qui ex iusta causa posset resilire, adeoque habet libertatem licitam seu moralem non contrahendi matrimonium, quam proinde coarctari illa impositione vetant iura. Quin & positive probatur e Castrop. *cit. part. 9. nu. 3.* limitatio ex eo, quod teste Sanch. *l. 1. d. 30. num. 9.* Gutt. *c. 17. num. 7. & 8.* apud eundem licitum sit pœnam apponere contractui sponsalitio; ne coniux concubinam habeat; ne absque legitima causa divortium faciat; quia hæc appositio cedit in favorem matrimonii promissi. Sed neque limitationi contraria est *l. fin. de Sponsal.* nam postquam in ea statuisset Imperator, ut, si tantum unus ex sponsis tradat arrhas in pignus secuturi matrimonii, & culpa recipientis illas non sequatur matrimonium, hic teneatur in duplum (nimirum arrhas restituere, & tantundem de suo patrimonio) imo (si inter partes conventum sit) triplum & quadruplum, si culpabiliter resiliens sit major 25. annis; si autem minor, satisfaciat solum restituendo arrhas; statim subjungit: *extra definitionem autem leg. hujus cautio pœnam stipulationis continens, vires nullas habebit*: si nimirum contineat pœnam ultra quadruplum arrhæ, de qua immediate prius egerat, ut ibid. Gl. ergo per hanc legem non reprobatur omnis cautio pœnæ; sed potius stabilitur, & solum reprobatur excessus ultra quadruplum. Sed neque contraria est *l. Titia*, cum in ea aliud nihil dicatur, quam quod non teneat pœna, de qua persolvenda parentes insciis liberis pacto Sponsalibus adjecto conveniunt; eo quod iis non debeat aliunde injici necessitas matrimonii contrahendi, in quam ipsi non consenserunt; adeoque hac lege non reprobatur pactum pœnæ persolvendæ ab injuste resiliente, si ipsi liberi in eam consenserunt, dum nimirum ipsi vel eorum parentes ipsis consentientibus de ea pactum inierunt. Cui proinde legi non derogat, quin potius limitationem nostram stabilit Leo Imperator *in Novell. 18.* cujus verba utiliter leges apud Castrop. dum ibidem, ne Sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc est, facillime solvantur ob nimis levem jacturam solius arrhæ faciendam a resiliente, consuetudinem illam solvendi insuper pœnam graviorem ex pacto sponsalibus adjecto, in vim legis attullit, & pro vera lege observatā vult.

QUÆSTIO XXIV.

An pœna consistens in lucro non acquirendo (adeoque minus proprie pœna) adjici possit Sponsalibus.

1. Resp. primo: hæc pœna constituta ab uno contrahentium, v. gr. promittendo; si mihi nupseris, tantum tibi dabo: nisi id fiat ex rationabili causa, est nulla; quia præsumitur facta affectu libidinis, ideoque reprobata a jure, *l. si stipulatus fuero, ff. de V. S.* Sanch. *l. 1. dist. 33. n. 3.* Gutt. *de mat. c. 20. num. 2.* Castrop. *part. 10. nu. 1.* Secus est, si fiat ex rationabili causa, ut deciditur expresse *c. de illis de condit. apposit*, qualiter facta censetur ex rationabili causa, si fiat a fœmina; quia facta præsumitur in dotem, vel si fiat a viro sene vel ignobiliore puellæ nobiliori; quia censetur factam recompensatione juventutis, vel nobilitatis: AA. iidem, apud quos uti & Baldum *cit. l. ita si stipulatus fuero*; pro certo habetur, promissionem factam a viro fœminæ causa donationis propter nuptias validam esse; quia non est donatio gratuita, sed renunciatoria dotis receptæ, ut habetur *l. si constante C. de donat. ante nuptias*.

2. Resp. secundo: Valida est promissio ab alienis facta contrahentibus de lucro acquirendo, si nubant; cum hæc non sit pœna, sed præmium matrimonium contrahentibus propositum. Sanch. *l. c. num. 6.* Gutt. *nu. 4.* Castrop. *num. 4.* & apud hunc Mantic. *de conject. ult. volunt. tit. 18. nu. 2.* Molin. *de primogen. l. 2. c. 13. a nu. 1.* Atque ita valida erit donatio vel legatio hæreditatis Titiæ, si Caio nubat, Castrop. *l. c.* Sanch. *num. 7.* Gutt. *nu. 5.* Quin & valebit talis institutio hæredis, tametsi Caius, cui nuptura Titia, sit illius consanguineus intra quartum gradum, adeoque egens dispensatione pontificia obtentu facili. Idque non tantum, ut vult Sanch. *l. 8. d. 5. n. 19. & 26.* si testator dispensationis meminerit, sed etiam, ut Castrop. *nu. 5.* Molin. *l. c.* Gutt. *c. 26. nu. 6.* ubi nulla facta illius mentio; eo quod præsumendus sit eam velle: cum credendum non sit, testatorem velle, ut Titia nubat Caio contra iuris ordinem, vel ut sua institutio caduca fiat: In casu vero, ubi testator meminit dispensationis, & hæc impetratu difficillima. V. G. in secundo gradu consanguinitatis, conditionem illam, utpote ferme impossibilem, reiiciendam & legatum purum subsistere censent Molin. *l. c. nu. 12.* Henriq. *l. 12. de mat. c. 10. nu. 4.* Rectius sentiunt contrarium Sanch. *l. 5. d. 5. nu. 20.* Gutt. *c. 20. n. 7.* quibus inhærere videtur Castrop. *n. 5.* eo quod licet ista dispensatio obtentu sit difficilis, non tamen sit absolute impossibilis, cum sæpe concesse. Quod si tamen dicta conditio: si nubas Caio; apponatur legitimæ vel alias debitæ hæreditati, reiicienda est; cum, quod libere debitum est, nequeat gravari: Mantic. *l. c. n. 11.* Molin. *l. c. nu. 4.* Sanch. *cit. d. 33. num. 10.* Gutt. *c. 29. nu. 8.* Castrop. *nu. 6.* iuxta *l. in prioribus C. de inoff. testam.* Idem est, si nuptiæ essent indignæ hæredi vel legatario; eo quod ob difficultatem gravem, quam passurus esset legatarius in ea conditione implenda, ius etiam, ut impossibilem reiiciat, *l. cum ita legatur. ff. de condit. & demonstrat.* nisi tamen mulier, cui hoc gravamen impo-

imponitur, sit vidua; eo quod illa, etsi non teneatur nubere indigno, non teneatur tamen a nuptiis abstinere, si velit frui legato; quia in illa dispositione includuntur duo. Primum expresse, ut nubat indigno, quod rejicitur. Alterum tacite, ut nemini alteri nubat, quod in viduo vel vidua sustineri potest; ita tenent Sanch. Gutt. Castrop. *LL. cit.* Quod si etiam legatum fiat virgini; si nubat Cajo: ex eo non fieri illud caducum, si ea nubat alteri ex jussu paterno; eo quod conditio illa sic intelligenda erat, quatenus decenter & honeste impleri potest; decens autem non fit, ut virgo alicui nubat contra voluntatem patris, sustinent Sanch. *cit. d.* 33. *n.* 15. Gutt. *c.* 20. *n.* 51. Molin. *c.* 53. *n.* 22. Mantic. *l. c. tit.* 28. *in fine* apud Castrop.

2. Plures hujusmodi casus resolutos ex Sanch. *a nu.* 14. & Gutt. *c.* 20. *a num.* 12. vide apud Castrop. *a num.* 8. quorum aliquos, compendio subjungo. Primus: dum legatum (idem est de hæreditate) relictum sub conditione; ut nubas nobili, non satisfit huic dispositioni, & consequenter amittitur legatum, si ducas nobilem, & dein factus viduus ducas ignobilem; eo quod finis talis dispositionis, ne scilicet hæreditas ad ignobilem deveniat, procedit æque in secundo matrimonio, dum æque in eo liberi procreari possint. Sanch. *loc. c. num.* 14. Gutt. *c.* 4. *num.* 12. Castrop. *loc. cit. part.* 50. *num.* 8. Mantic. *nu.* 3.

3. Secundus: Gravatus ducere aliquam, si requisitus renuit, amittit legatum, ita ut, etiamsi pœniteat eum recuperare illud non possit, si legans voluit ipso facto privari non volentem acquiescere dispositioni, illudque applicatur successori. Secus, si non voluit actu privatum; eo quod tunc, quia nemini adhuc jus quæsitum, & res est integra, sit locus pœnitentiæ. Sanch. *n.* 15. Gutt. *n.* 13. Castrop. *n.* 9. cum Palez. *de majorat. p.* 1. *q.* 50. *n.* 13.

4. Tertius: Hæres vel legatarius gravatus ducere Titiam, amittit hæreditatem vel legatum, si aliam duxerit, etiamsi dein factus viduus velit ducere Titia; quia dispositio illa intelligitur de primis nuptiis, non de secundis, nisi tamen hæreditas vel legatum dilatum est pro tempore viduitatis. Molin. *num.* 16. Sanch. *num.* 17. Gutt. *num.* 15. Castrop. *num.* 10. Quin &, si in hoc casu tempore illo viduitatis Titia nubat alteri, legatarius ille non amittit legatum; neque etiam Titiam factam viduam tenetur ducere: AA. iidem.

5. Quartus. Legatarius gravatus ducere Titiam, si postquam ea primo renuit, dein annuat, nolit eam tunc ducere, legatum non amittit; quia conditio habetur pro impleta, si dictus legatarius tempore, quo Titia ducenda erat, & hæc renuit, nupsit alteri vel legatum adiit, vel si non adiit, legatum est non quantitatis, nempe pecuniæ, tritici; sed speciei nempe domus vel fundus. Si vero, nec nupsit, nec legatum adiit, nec illud est speciei, perdit legatum, si, Titia denuo consentiente, ipse abnuat; quia in hoc casu omnia sunt integra; ita Sanch. *n.* 18. cum Mantic. *a nu.* 38. & Menoch. *de præsumpt. l.* 4. *præsump.* 123. *a num.* 3. apud Castrop. *n.* 15.

6. Quintus: Hæres vel legatarius gravatus ducere Titiam, ea requisita renuente, non amittit hæreditatem vel legatum; Eo quod talis videatur gravari ad matrimonium contrahendum, non absolute, sed sub conditione, si Titia consenserit, adeoque ea renuente, cessare gravamen, & conditio reputatur impleta per *l.* 5. *C. de institut. & substitut.* Molin. *nu.* 24. Mantic. *nu.* 37. Menoch. *l. c. num.* 25. Sanch. *n.* 19. & 20. Gutt. *nu.* 8. apud Castrop. *nu.* 12. Idque licet Titia non expresse recuset, sed virtualiter, apponendo malitiose impedimentum, ne a gravatu requiratur ad nuptias. Molin. Sanch. Gutt. *LL. cit.* ita tamen, ut gravatus protestationem suæ intentionis ex mandato Judicis præstare debeat ad domum ipsius mulieris, ejusque consanguineis notam facere, ut de mulieris malitia & de gravati diligentia constet. AA. iidem. Illud hic notandum cum Sanch. *nu.* 21. Gutt. *num.* 19. & aliis communiter, quod prædicta solum procedant in ultimis voluntatibus, quarum favore introductum *cit. l.* 1. & aliis, nam dispositionis conditio censetur impleta, quoties per gravatum non stetit gravaminis executio; non vero in contractibus irrevocabilibus inter vivos; sed in his necessario conditio in specifica forma sit implenda, alias donatum deficiat, nisi aliud a donante exprimatur. Nihilominus ait Castropal. *numer.* 13. remittens ad Molin. quod etsi hæc sit sententia communis, & secundum illam consulendum, probabile tamen satis sit, & æquitati non parum conforme, donatarium, cui donatum conceditur sub conditione dependente ab alterius voluntate, retinere posse donatum, si per ipsum non stetit conditionis adimpletio; eo quod subintelligendum sit, donatum concedi sub conditione non impossibili, sed possibili, & rationabili, adeoque quatenus a donatario dependet.

7. Sextus. Dum Titiæ fit legatum sub hac forma: lego Titiæ, si Cajus cum ea contraxerit: & Cajus recuset, inspiciendum est, cujus favore testator voluerit matrimonium contrahi. Si id factum favore Titiæ, obtinebit legatum; Secus, si favore Caji, Sanch. *n.* 22. Gutt. *nu.* 20. quos sequitur Castrop. *n.* 14.

8. Septimus. Si alicui fiat legatum, vel donatio, ut faciat contrahi aliquod certum matrimonium, & is etiam omni diligentia efficere id nequiverit, non obtinere legatum, eo quod hæc non sit pœna, sed præmium propositum, quod non censetur oblatum, nisi effectu secuto, sentiunt Sanch. *n.* 23. Gutt. *n.* 21. credit nihilominus Castrop. *cit. n.* 14. talem posse retinere legatum; quia secundum dicta in ultimis voluntatibus censetur impleta conditio, quoties is, cui imposita, non est in culpa exequendi illam; Secus vero esse quoad donatum; quia in donationibus istiusmodi conditionatis ex communi sententia non spectatur diligentia, sed effectus secutus.

9. Octavus. Dum conditio pendens a plurium voluntate deficit, v. g. si Titia instituta hæres vel legataria, si nubat Cajo, & Cajus moriatur, deberi hæreditatem vel legatum Titiæ; non vero, si ipsa moriatur Titia, deberi ejus hæredibus, tradit Molin Jesuita *de Just. tr.* 2. *disp.* 206. & 207. apud Castrop. *num.* 55. verum, ut apud eundem Molin. Jurista *loc. cit. a num.* 23. Mantic. *nu.* 37. Menoch. *præsump.* 183. *num.* 40. & 41. Sanch. *num.* 24. Gutt. *num.* 22. & habet communis in utroque casu perire hæreditatem & legatum concessum sub conditione nuptiarum, ut habetur *l. legatum C. de conditionib. insert.* nisi suppleatur conditio a jure, uti contingit, dum ex malitia pars non gravata nuptias recusat. Cujus sententiæ tamen plures vide limitationes apud Castrop.

10. Nonus. Legatum relictum determinatæ personæ, si matrimonium contrahat, conceditur eidem, si matrimonium spirituale ineat ingrediendo religionem. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 19. *num.* 10. Menoch. *l.* 3. *præsump.* 148. *a num.* 53. Gutt. *num.* 27. & *l.* 1. *qq. can. num.* 20. Sanch. *num.* 29. Molin. Jesuita *loc. cit. disp.* 707. *concl.* 2. Castrop *num* 18. juxta expressam decisionem, *§ sed & hoc præsentis auth. de sanctiss. Episc. collat.* 9. *& auth. nisi rogati, eod. ad Senat. Consult. Trebell.* cujus resolutionis ait Castrop. frivolam esse rationem, quam tradunt aliqui, nimirum quod hac ratione præcludatur via statui perfectionis; eo quod viam illam non præcludat, etsi statum matrimonii, quod bonum est, foveat; cum puella possit relicto legato amplecti religionem, & nemo obligetur bona sua in opera perfectiora exponere, sed sufficiat expendere in opus honestum, quale est dotare puellas pauperes. Proinde aliud hujus resolutionis est fundamentum, nempe præsumptio juris de voluntate testatoris, qui creditur in legato facto determinatæ personæ in matrimonium collocandæ, solum spectasse, quod tali personæ utile est, collocando eam in statu decente, qualis status utilis illi, & decens est religio. Extenditur quoque resolutio ut legatum relictum certæ personæ, ut in matrimonium collocetur, illi obveniat, etsi tempore conditi testamenti nupta esset, ne dispositio testatoris irrita censeatur. Sanch. *num.* 32. Gutt. *num.* 28. Tiraq. *de conf. cessante limit.* 8. *num* 4. apud Castrop. *num.* 20. Secus tamen est, si legatum relictum personæ determinatæ, non simpliciter, ut matrimonium contrahat, sed expresse, ut illud contrahat cum determinata persona; eo ipso enim satis exprimit, se velle matrimonium carnale. Castrop. *cit. n.* 18. adeoque etiam, ut idem, si persona illa, cui nubere debebat, jam obierat, antequam ipse esset in mora, necessario debebit nubere, si legato frui velit; quia id in casu non conceditur ob vitam cælibem, sed ob matrimonium. Nihilominus frui adhuc posset legato ea præsumpta in eo casu testatoris voluntate, si religionem ingrederetur. Siquidem cum cessaverit matrimonium, cum determinata persona contrahendum, & solum relinquatur obligatio matrimonii contrahendi, redit præsumptio juris, velle testatorem tam ad nuptias spirituales, quam carnales concedere legatum. Ita Castrop. de cætero legatum relictum non personæ determinatæ, sed indefinite puellis maritandis, obvenire nequit puellis ingredientibus religionem; eo quod *Auth. de sanctiss. Episc. collat.* 9. solum est de legato relicto certæ personæ; adeoque trahi non debeat ad legatum incertis personis relictum; cum sit dispositio exorbitans a jure communi, quod exigit conditiones in forma specifica & propria non ficta impleri, *l. Mævius & l. qui hæredi, ff. de condit. & demonst.* religio autem, non propria, sed juris fictione vocetur matrimonium. Sanch. *n.* 29. Gutt. *n.* 27. Mantich. *n.* 26. &c. Secus tamen adhuc est, dum

dum legatum relictum indefinite pro puellis consanguineis testatoris, ita ut hæ religionem ingressæ illud obtineant; eo quod in hoc casu propter affectionem testatoris legatum recipiat latam interpretationem, *l. Aurelius ff. de liber. legat.* censeturque ac si factum determinatæ personæ, Castrop. *num.* 19. Sanch. *n.* 32. Gutt. *cit. n.* 22. Mantic. *lib.* 8. *de conject. ult. volunt. tit.* 5. *num.* 22.

QUÆSTIO XXV.

An pœna lucri non acquirendi retrahens a nuptiis valide adjici possit legato vel donationi.

1\. RESp. Primo: Pœna hæc in ultimis voluntatibus apposita ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit, hac v. gr. ratione: instituo te hæredem, vel lego tantum, ne ineas matrimonium; est nulla, remanetque hæreditas & legatum relictum subjecti conditione purum, exclusa illa conditione, seu dicta pœna tanquam impossibili (pœna enim illa, ut contraria bono communi reipublicæ, cui expedit filiorum procreatione ex legitimo matrimonio augeri, reprobatur a jure, *l.* 2. *cap. de indicta viduit. tollend.* Conditiones autem a jure reprobatæ impossibiles reputantur, *l. conditiones quæ contra bonos mores ff. de conditionib. institut.*) Sanchez *lib.* 1. *d.* 34. *a num.* 2. Gutt. *de matrimon. cap.* 21. *a num.* 1. Castrop *part.* 11. *numer.* 1. juxta quod expresse habetur, *l. quoties*, *l. cum tale*, *l. Titia si non nupserit*, *ff. de condit. & demonstr.* & §. *impossibilis instit. de hared. instit.* Nisi tamen forte favore libertatis dicta conditio fuisset adjecta. Sic v. g. dum legantur Titiæ 100 ne nubat, & si nupserit, applicantur ad concedendam servo alicui libertatem, tenet conditio, & Titia nubens amittit legatum, illudque servo applicatur ex *l. si Titio ff. de condit. & demonstr.* Idem est de favore piæ causæ, ut si legentur Titiæ 100. ne nubat, & si nupserit, applicentur pauperibus, alterive loco pio. Prout ex *cit. L.* deducunt Tiraq. *de privil. piæ causæ privileg.* 18. Sanch. *cit. d.* 38. *num* 34. Mantic. *de conject. ultim. volunt. l.* 11. *tit.* 18. *num.* 8. Gutt. *cap* 21. *num.* 36. apud Castrup *numer.* 10. Nihilominus tamen etiam sustinenda est conditio prohibens nuptias pro aliquo determinato tempore, modo id non sit ita longum, ut eo transacto commode matrimonium iniri non possit, alias enim esset prohibitio absoluta, & perpetua, Sanch. *num* 6. Gutt. *num.* 37. Mantic. *tit.* 19. *a.* 9. Castrop. *numer.* 18. qui etiam adjicit hanc rationem; quod, cum nuptiæ non sint nisi consulto celebrandæ; merito jus permittat pro aliquo tempore illis interdici, ne absque matura deliberatione fiant. De cætero, quod tempus sit moderatum, relinquitur Judici arbitrandum. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. citat.* Illud certum, prohibitionem nuptiarum usque ad ætatem 25. annorum justam esse; quin ea dilatio jure approbata. AA. iidem.

2\. Resp. secundo: dicta conditio, seu pœna apposita ex contractu irrevocabili inter vivos ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit, non excluditur a contractu, sed eum omnino vitiat, Castrop. *numer.* 2. dicens id omnino receptum esse, arg. §. *impossibilis instit. de inutilib. stipul.* ubi: *Si conditio impossibilis obligationibus adjiciatur, nihil valeat stipulatio.* Item *l. non solum ff. de action. & obligat. l. si super impossibile ff. de fidejuss.* Ratio autem, cur dicta pœna in modum conditionis adjecta ultimis voluntatibus ab eis excludatur, apposita vero contractibus ab eis non excludatur, relicto in valore suo contractu, sed eum vitiet, seu faciat nullum, hæc assignatur a Castrop. *loc. cit.* ne alias dispositio testatoris, quam ipse, utpote non amplius superstes, emendare non poterat, corrueret; promittens vero & donans, utpote post contractum suum superstes, emendare illum possit, jura noluerunt contractum talem sustinere rejecta conditione, sed potius voluerunt eum nullum esse, ut integre a contrahente emendaretur.

3\. Dixi signanter in utraque responsione: *ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit:* Nam si viduus aut vidua esset, cui apponitur ea conditio non nubendi, ea non secluditur, sed est exequenda. Idque attento jure novo authenticarum, quo jus antiquum digestorum corrigitur, ut constat ex *auth. de nuptiis §. quia vero collat.* 4. *& auth. cui relictum cap. de indicta viduit.* honestum enim est a secundis nuptiis abstinere, *cap. fin.* 30. *quæst.* 1. tum ne videatur indulgeri voluptati; tum ne prior conjux videatur minus æstimari. Ac ita docent Molin. *de Just. tract.* 2. *d.* 257. Sanch. *lib.* 1. *d.* 34. *a n.* 79. Gutt. *de matr. c.* 21. *a n.* 32. apud Castrop. *a* 10.

4\. Ex dictis deducuntur sequentia. Primo, posse aliquem hæreditatem vel legatum relictum sub conditione non nubendi adire, tametsi primo & iterato nubat; eo quod esto, obligari quis possit, ne secundas nuptias ineat, at cum ex modo & forma, qua apponitur dicta conditio, nuptiæ illi interdicantur, conditio illa ut turpis & impossibilis rejicitur, & legatum purum subsistit. Gutt. *num.* 8. Sanch. *num* 5. Acosta *in cit. l. cum tale §. si arbitratu alimit. ult. num.* 5. Castrop *p.* 11. *num.* 2. Secundo rejici illam conditionem, dum legatur fœminæ non nubenti major quantitas quam nubenti, quia excessus retrahit a nuptiis, & est expresse contra *l. Titia si nupserit ff. de condit. & demonstr.* Sanch. *n.* 6. Covar. *lib.* 1. *var. c.* 19. *n.* 9. Castrop. *n.* 3. Tertio: si legatum sic factum: lego Titiæ 100. si non nupserit; quod si nupserit, restituat Cajo: Titiam nubentem posse retinere legatum; quia est conditio retrahens a nuptiis, ideoque reprobata, Sanch. *numer.* 9. Gutt. *num.* 11. Castrop. *numer.* 4. juxta *L. quoties ff. de condit. & demonstr.* Quarto: Legatum factum alicui tertio hac conditione: Si Titia non nupserit, Titia nubente legatarius amittit legatum, si fuerit Titiæ conjunctus sanguine, affinitate, amicitia aliove modo, ita ut merito præsumi possit, Titiam exinde retrahendam a nuptiis. Secus, si non fuerit illi conjunctus. Sanch. *num.* 10. Gutt. *num.* 12. Castrop. *n.* 5. Quinto rejici conditionem, & remanere purum legatum factum sub conditione ex alterius consensu & arbitrio, *l. cum tale ff. de condit. & demonstr.* cum vel sic diminuatur libertas matrimonii, & legatarius retrahatur a nuptiis; cum alter ille posset denegare suum consensum in eam personam, quæ legatario placet. Molin *de primogen. l.* 13. *num.* 35. Sanch. *a numer.* 19. Castrop. *numer.* 6. Secus esset, si legatum factum sub conditione petendi consilium; quia ad hoc sequendum non astringitur legatarius. Molin. *num.* 37. Sanch. *num.* 24. quin &, si is, a quo petendum consilium, sit absens, & periculum in mora, aliaque via peti nequeat consilium illius, posse legatarium contrahere matrimonium irrequisito consilio, & obtinere legatum; quia per ipsum non stetit executio conditionis, docet Sanch. *a num.* 25. Gutt. *num* 24. tenetque idipsum, si vivo testatore decedat is, a quo petendum consilium, Sanchez *num.* 27. Gutt. *num.* 30. Castrop. *loc. citat.* de cætero extenditur hæc illatio ita, ut etiamsi legans expresserit voluntatem suam verbis negativis, privantibus hæreditate vel legato eum, qui absque consensu alterius designati (etiam parentum, quorum consensum requiri sit honestissimum, noluit tamen jus in favorem libertatis matrimonii testatoribus concedere potestatem imponendi eam obligationem suis hæredibus & legatariis) nupserit, adhuc legatarius obtineat legatum; cum conditio illa ex se, & non ea addita expresse privatione hæreditatis vel legati, minuat libertatem matrimonii, & retrahat a nuptiis; ergo si simpliciter apposita rejicitur a legato, rejicienda quoque est ab eo apposita expresse hæreditatis privatione. Castrop. *num.* 8. citatis Mulin. *num.* 35. & Molin. Jesuita *tract* 2. *d.* 207. Sanch. *num.* 21. Henriq. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 12. *num.* 6. contra Gutt. *a num.* 18. & alios. Non obstante huic extensioni, quod, ut admittit Castrup hæres vel legatarius obligari possit sub privatione hæreditatis vel legati ad nubendum certæ personæ absque eo, quod per hoc retrahatur a nuptiis; quia non est par ratio de obligatione nubendi ex alterius consensu; cum is vi hujus dispositionis non cogatur ad præstandum consensum, etsi officio Judicis suppleri possit. Sexto denique rejici conditionem: Si non procreaverit liberos, seu sine liberis decesserit. Nam gratia procreandæ sobolis rejicitur conditio avertens a matrimonio, adeoque multo magis avertens directe a procreatione liberorum. Sanchez *n.* 7. Gutt. *nu.* 9.

QUÆSTIO XXVI.

Num valida sit conditio apposita in ultima voluntate, vel contractu inter vivos retrahens a nuptiis spiritualibus, hoc est, statu Clericali vel religioso.

RESp. affirmative Castrup. *cit. part.* 11. *num.* 12. & apud hunc Molin. *de Just. tr.* 2. *d.* 207. *ad finem.* Sanch. *lib.* 1. *d.* 34. *num.* 11. Gutt. *de matrim. c.* 21. *num.* 14. conditiones enim appositæ in contractibus, & ultimis voluntatibus licitæ & honestæ sunt exequendæ, quamdiu a jure non reprobantur; talis autem est dicta conditio; quia eo fine non apponitur, ut legatarium vel donatarium a statu ecclesiastico vel religioso retrahat: sed ut familia conservetur, & Respublica sobolis procreatione augeatur; & nullibi reperitur a jure reprobata; esto enim in *cit. Authent. de Sanctiss. Episcop.* matrimonio æquiparetur religio, id tamen extra illum casum specialem, de quo ibi, non est extendendum; cum a jure communi exorbitet argumentum a matrimonio carnali ad spirituale valet, dum in utroque adest finis legis, & dispositio nemini præjudicat; in præsenti autem, conditio retrahens

a ma-

a matrimonio carnali ideo rejicitur, quia obstat procreationi liberorum, & auctioni reipublicæ præjudicat; qui finis non procedit in matrimonio spirituali. Unde jam etiam deducunt citati AA. validam & observandam esse dispositionem, qua pater legat filiæ 200. si nupserit, & nonnisi 100. si religionem ingrediatur; quia hæc dispositio non fit animo avertendi filiam a religione, sed quia ad onera matrimonij portanda pluribus eget.

QUÆSTIO XXVII.

Num rejici debeat conditio ineundi matrimonium spirituale seu ingrediendi religionem adjecto legato vel hæreditate.

RESp. Negative, Sanch. *l.* 1. *d.* 33. *num.* 15. Molin. *cit. d.* 207. Covar. *l.* 1. *var. c.* 19. *num.* 10. Ant. Gomez. *var. c.* 12. *a.* 78. Castrop. *cit. p.* 11. *n.* 13. contra Riminald. *cons.* 215. *a n.* 176. Bartol. *cons.* 45. quia licet religio sit status excludens omnino nuptias, id tamen testator per se & directe non intendit, sed solum incitare ad statum religionis perfectissimum; textus autem reprobantes conditionem retrahentem a nuptiis loquuntur de retractione per se & directa, ut videre est *in l. quoties, l. cum tale, l. Titia ff. de condit. & demonst.* Verum num hæres vel legatarius ingrediens religionem animo perseverandi, si postmodum egrediatur ex novitiatu, satisfaciat huic conditioni, non conveniunt AA. negant Paulus *in l. si quis hæredem C. de subsstit. & Instit. n.* 3. Alex. *ibid. n.* 2. *& in l. in substitutione ff. de vulgari num.* 12. *& ibid.* Imol. *n.* 4. eo quod testatoris intentio esse videatur, ut legatarius assumat statum religionis firmiter & perseverantem, sitque verus religiosus. Contrarium tamen probabilius censet Castrop. *n.* 15. eo quod, si testator restringere voluisset intentionem suam ad perseverandum in religione, id exprimere debuisset, & non uti verbis generalibus usitatis & communibus, nempe ingrediendi religionem, vel fieri religiosum, quæ juxta communem loquendi modum (qui in legibus & dispositionibus ultimarum voluntatum spectandus est) satis verificantur per assumptionem habitus religiosi; neque enim præsumendus est testator disponere contra juris ordinem; neque verba in alia strictiore significatione sumere, quam a jure communi sumuntur. Confirmat hæc a simili Castrop. dum juxta D. Thom. 2. 2. *qu. ult. ar.* 4. & communem satisfit voto ingrediendi religionem, si animo perseverandi quis ingrediatur, tametsi postmodum exeat, modo id fiat ex rationabili causa; eo quod talis vovens intelligatur vovere religionis ingressum, qualis est a jure præsumptus cum libertate egrediendi, si religio displiceat.

QUÆSTIO XXVIII.

An subsistat conditio sub privatione hæreditatis vel legati, si nubat extra familiam vel oppidum, vel ne nubat ignobili aut descendenti ex Judæis.

RESp. Affirmative. Castrop. *p.* 11. *num.* 17. citatis Molin. *d.* 207. *circa finem.* Sanch. *l.* 5. *d.* 34. *n.* 39. Gutt. *c.* 21. *n.* 40. & 41. *&c.* juxta *l. cum ita, & seq. ff. de condit. & demonst.* ubi deciditur: esto, quo ad personas, quibus cum contrahendum matrimonium, restringatur potestas, absolute tamen non restringitur, cum liberum sit virgini, cui prohibitum aliis nubere, & absque gravi difficultate id præstare potest. Adhæc, ut Castrop. conditio retrahens a nuptiis rejicitur ab ultimis voluntatibus, non jure naturali, sed positivo; jus autem positivum rejicit conditionem absolute retrahentem a nuptiis, non vero retrahentem a nuptiis singularibus & determinatis; cujus etiam est ratio, quod ex absoluta prohibitione nuptiarum impeditur sobolis procreatio & reipublicæ augmentum, sed non ex prohibitione aliquarum nuptiarum; quin etiam prohibitio specialium nuptiarum utilis esse potest testatori; non vero absoluta quarumcunque. Porro procedit responsio, non solum de primis nuptiis, sed & reliquis nuptiis; quippe in omnibus est eadem ratio, ne nimirum testatoris bona ad extraneos, vel sanguine infectos deveniant. Gutt. *n.* 41. Sanch. *l. c. nu.* 34. Castrop. *n.* 17. proceditque item, modo matrimonium sit validum, esto, non sit consummatum; cum satis sit potuisse consumari. AA. iidem.

QUÆSTIO XXIX.

An & qualiter conditiones aliæ adjectæ contractui sponsalitio eundem vitient.

1. RESp. primo: Conditio necessario futura, v. gr. si sol cras oriatur: adjecta sponsalibus æque relinquit ea valida, ac si nulla conditio adjecta esset; Ratione enim necessitatis reputatur quo ad obligationem, acsi jam evenisset, *§. conditio Instit. de V. O.* ubi: *quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem &c.* suspendit nihilominus executionem sponsalium, quæ fit per initum matrimonium, donec reipsa eveniat, & ideo prius non obligaris ea sponsalia exequi, Castrop. *p.* 16. *n.* 2.

2. Resp. secundo: Conditio impossibilis vitiat contractum sponsalium; turpis vero suspendit illum, quousque ponatur. Castrop. *nu.* 4. citatis Rebell. *l.* 2. *de matrim. qu.* 10. *s.* 5. Pont. *l.* 2. *de sponsal. c.* 7. *n.* 3. contra Sanch. *l.* 5. *d.* 17. *num.* 2. & alios apud illum censentes, conditiones tam turpes quam impossibiles, sicut excluduntur a matrimonio seu in favorem illius, habentur pro non adjectis, sic etiam habere se respectu sponsalium, utpote quæ via sunt ad matrimonium. Ratio responsionis est, quod jure naturæ conditio impossibilis vitiet contractum, turpis vero illius obligationem suspendat; hoc autem jus naturæ correctum non est in sponsalibus, sed in matrimonio, *in c. fin. de condit. apposit.* ex eo autem, quod correctum sit in matrimonio, non magis sequitur, quod correctum etiam sit in sponsalibus, quam ex eo, quod matrimonium clandestinum redditum sit invalidum jure novo, sequatur, idem dicendum de sponsalibus clandestinis, *l. oratio*: ratio vero probans dispositum de matrimonio, dispositum quoque esse de sponsalibus, solum obtinet, ubi in utroque est eadem ratio. V. g. in personis inhabilibus ad contrahendum matrimonium, dum hæ etiam contrahere nequeunt sponsalia.

3. Resp. tertio: Conditiones possibiles & honestæ adjici possunt sponsalibus. Tametsi autem contractus ille, quousque conditio eveniat non constituit sponsalia; quia non inducit obligationem contrahendi matrimonii; inducit tamen absolutam obligationem exspectandi conditionis eventum, proinde si interea sponsalia absoluta contrahantur, hæc nulla sunt, quia obligationi obstant. Sanch. *l.* 5. *disp.* 8. Pontius *l.* 12. *c.* 7. *num.* 1. Castrop. *p.* 16. *n.* 5. Coninck. *d.* 29. *dub.* 1. *nu.* 21.

QUÆSTIO XXX.

An impediti contrahere sponsalia sub hac conditione: si Papa dispensaverit; ea contrahere possint.

1. RESp. Quamvis sententiam negativam probabilem dicat Castrop. affirmativam tamen tanquam veriorem amplectitur, citatis pro ea Coninck. *ubi ante concl.* 5. *nu.* 18. Pont. *l.* 3. *de matr. l.* 15. *nu.* 2. Sanch. *cit. disp.* 5. *a nu.* 12. Rebell. *l.* 2. *de mat. qu.* 10. *s.* 6. Ratio est, quia talis conditio est possibilis (contra quod sentiunt plures apud Sanch. *num.* 5. eo quod, quæ a voluntate Principis pendent, censeantur quasi impossibilia, *l.* 1. *l. stipulatio l. continuus ff. de V. O.*) & est honesta (contra quod sentit Henriq. *l.* 12. *de mat. c.* 10. *num.* 4. eo quod ea posita juri communi derogetur, quod servare honestius, quam in eo dispensationem procurare) illud enim reputandum est honestum & possibile, quod sæpe honeste fieri solet; sed posita causa legitima, sæpe solet, quandoque debet dispensare Papa in impedimentis matrimonii. Confirmatur a simili: votum factum ab Episcopo ingrediendi religionem, si Papa dispensaverit, est validum; litigantes super beneficio, licite paciscuntur de pensione concedenda, si Papa permiserit. Neque primo obstant citatæ paulo ante leges; quia intelligendæ sunt, quod conditio illa reputetur turpis, quando non adest causa legitima dispensandi, vel etiam impossibilis, quando in ea Princeps non solet dispensare. Neque secundo, *l. inter stipulantem ff. de V. O.* ubi, quod nulla sit stipulatio de re sacra, publica, vel de homine libero, etsi res sacra fieri potest profana, publica privata, homo liber servus; quia stipulatio non secundum tempus futurum, sed secundum tempus præsens est mensuranda, nam stipulatio talis conditionata: si res sacra fiat profana, sive stipulatio talis relata in tempus, quo fiat profana, tanquam turpis annullatur a jure; quia est conditio incivilis, tristis, derogans dignitati & statui hominis liberi, rei sacræ, publicæ, ideoque potius timenda quam exspectanda, secus ac

res

res se habet in conditione dispensationis in impedimento matrimonii.

2. Verum circa talem contractum notanda sunt sequentia: Primo nemini ex taliter contrahentibus licitum esse resilire, neque ante, neque post impetratam dispensationem. Castrop. *l. c. n.* 10. Sanch. *l. c. d.* 5. *n.* 13. Pont. *l. c. cap.* 13. *n.* 21. contra Gutt. *l.* 1. *qq. can. c.* 22. *a n.* 17. Rodriq. *tr.* 1. *c.* 244. *n.* 9. siquidem contrahentes sub conditione sibi invicem obligantur ad rem promissam non absolute, sed dependenter a conditione; sed si unusquisque eorum pro libitu resilire posset ab obligatione, sibi invicem obligati non essent: Neque his obstat, (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) quod impuberes contrahentes obligentur, & licet durante impubertate non possint resilire, possint tamen id nacta pubertate: nam id non jure naturæ, sed a jure positivo favore ætatis concessum. Secundo ante impletam conditionem contractum illum non esse sponsalia; quia non est obligatio absoluta & directa matrimonii contrahendi; quod necessario ad sponsalium valorem, ex quibus oritur impedimentum publicæ honestatis, requiritur, ut deciditur *c.* 1. *b. t. in* 6. Castrop. *n.* 11. Tertio adveniente conditione, opus non esse novo consensu, sed consensus & contractus prior jam evadens absolutus constituit vera sponsalia; cum obligatio conditionata conditione posita transeat in absolutam. Castrop. *l. c.* Pont. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 7. ConincK. *d.* 29. *d.* 1. *n.* 2. Sanch. *l. c. num* 24. contra Henriq. *l.* 12. *de mat. c.* 13. *in fine*. Quarto dispensationem illam communibus sumptibus procurandam (nisi forte pars una expresse se obligaverit) quia negotium commune est. Sanch. *nu.* 37. Con. *l. c.* Castrop. *nu.* 12. Quinto, de cætero eum, qui promisit consanguineæ matrimonium sub dicta conditione, si Papa dispensaverit, teneri eam procurare, tenent Tabien. *V. sponsalia qu.* 8. *n.* 9. Armill. *n.* 11. Pet. Ledesm. *de mat. d.* 5. *qu.* 6. *n.* 36. quos refert & sequitur Sanch. *nu.* 36. eo quod matrimonium illud cum perfici nequeat sine dispensatione, promittens illud, tacite promittat, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria. Contrarium nimirum nullam esse obligationem procurandi dispensationem, & quidem, etiamsi sub dicta promissione matrimonii violata sit virgo, tenet Castrop. *cit. n.* 12. citatis Nav. *l.* 4. *consil. de sponsal. cons.* 25. Con. *dub.* 2. *n.* 35. eo quod posito, quod non promiserit quis procurare dispensationem, ad eam procurandam obligari nequit, nisi quatenus se obligavit ad contrahendum matrimonium; ad illud autem se non obligavit absolute, sed posita dispensatione, quam procurare non promisit; non secus ac qui promisit matrimonium sub conditione; si pater consentiat, non exinde tenetur procurare patris consensum, sed is eum procuret, cujus interest. Addit tamen Castrop. quod, si quis promittens puellæ matrimonium, dixerit, se facile impetraturum consensum, & sub ea spe puella deflorationi consensit, teneri illum dispensationem (etsi non solis suis sumptibus) procurare; quia eo casu tacite vel potius expresse eam procurationem promisit, ut ConincK. *n.* 35.

QUÆSTIO XXXI.

An valeat pactum sponsalibus adjectum, quod vir teneatur in certo loco commorari.

1. RESP. primo: Si pactum tale sit de commoratione in certo loco pro determinato tempore, licite apponitur contractui tam sponsalium quam matrimonii; quia obligatio permanendi in aliquo loco pro aliquo determinato tempore ob honestam causam assumpta ex propria voluntate libertati naturali contraria non est. Castrop. *l. c. p.* 15. *§.* 2. *nu.* 1. dicens esse fere communem.

2. Resp. secundo: si vero sit de habitatione perpetua, Dinus, Bart. Bald. Alberic. *in l. Titio centum §. eodem ff. de condit. & demonst.* & plures alii apud Castrop. *l. c. nu.* 2. censent esse invalidum, & pœnam impositam non servanti non deberi. Econtra validum esse tale pactum, probabilius tenent Castrop. *nu.* 3. citatis addition. ad Bartol. *in cit. l. Titio centum* Host. *in sum. de conjug. servor. n.* 9. Sylv. *v. uxor. qu.* 8. Rebuff. *de privil. Scholast. privil.* 77. *in fine* Pont. *l.* 12. *de sponsal. c. ult. n.* 3. & 8. Gutt. *de mat. c.* 23. *nu.* 25. Sanch. *d.* 40. *a nu.* 2. Tale enim pactum non reprobatur jure positivo, ut constabit ex mox dicendis; quin approbatur *l. cum scimus C. de agricol. & censitis*; ubi deciditur, posse quemvis se efficere colonum adscriptitium obligatum fundi culturæ perpetuo insistere, neque inde sine licentia domini recedere. Neque repugnat juri naturæ; quia non adimitur libertas, etsi aliqualiter restringatur, quæ restrictio propria voluntate admissa est licita, & honestatur ob traditam sibi uxorem, & bonum, quod inde accipit, sicut honestatur obligatio, quam moniales contrahunt manendi in certo monasterio; quin & est matrimonio favorabilis, dum unius domicilii electio & retentio individuam & inseparabilem conjugii vitam fovet; & esto uxor viro subdita sit, illumque constituentem sibi domicilium sequi teneatur, potest tamen vir ipse obligare se uxori, quod extra talem locum domicilium non constituet, cum nulla in hac obligatione sit turpitudo; præsertim cum unusquisque possit rem propriam tradere sub conditione, quæ sibi placet *l. in traditionib. ff. de pactis c. verum, de condit. apposit* approbandaque sit talis conditio habitandi in aliquo loco, dum exigitur ab eo, qui in eam personam, a qua exigitur, jus aliquod habet vel habiturus est, ut uxor jus in maritum habet, & sponsa in sponsum habitura est. Neque his obstat *cit. l. Titio centum*, ubi dicitur: *Titio centum relicta sunt ita, ut de monumento meo non recedat; vel in illa civitate domicilium habeat, dici potest non esse locum conditioni, per quam jus libertatis infringitur &c.* Nam id verum est, seu rejicienda a Legato est conditio, quando eidem vane & inutiliter apponitur; secus, quando juste, utiliter & in favorem alicujus statuitur, ut contingit in præsente, dum cedit conditio in maximum uxoris favorem, ne patria deserta & consanguineis relictis cogatur inter extraneos vivere. Gutt *c.* 23. *n.* 15. Sanch. *l. c.* Acosta *l.* 2. *selectar. interpret. c.* 19. *num* 5. Castrop. *n.* 10. qui etiam *ibid.* ex eodem Acost. notat, diversa esse legare 100. Titio sub conditione, quod in tali loco habitet, & legare ei, dum in tali oppido fuerit; & in priori rejici conditionem, legato subsistente, si in nullius favorem cedat ista conditio, utpote quæ servitutis speciem contineat; in secundo vero retineri conditionem, etsi in nullius favorem cedat; eo quod non gravetur legatarius ob legatum ad onus sustinendum, sed spe legati obtinendi alliciatur ad portandum onus.

3. Ex dictis deducuntur sequentia; primo; posse similiter apponi pactum non ingrediendi talem vel talem urbem, eo quod abstinere ab ingressu civitatis, ex quo oriri possunt rixæ aliave gravia incommoda, honestum est, & reipublicæ conveniens, adeoque ad hoc obligari quis potest. Castrop. *l. c. n.* 12. Pont. *l.* 12. *de mat. c.* 20. *n.* 9. secundo tametsi pœna apposita sponsalibus pro eorum securitate reprobetur *c. gemma b. t.* non tamen ea, quæ apponitur in matrimonii favorem, & ob mutuam conjugum cohabitationem; adeoque, si sub aliqua pœna obligetur maritus ad non mutandum domicilium, teneri eum eam solvere interveniente sententia. Castrop. *n.* 4 citatis Abb. *in c.* 1. *qui matrim. accus. poss. num.* 5. Alex. *n.* 6. Ponc. *c.* 20. *n.* 8. Sanch. *l.* 1. *d.* 40. *n.* 5. Gutt. *c.* 23. *n.* 16. Tertio uxorem non obligari sic discedentem maritum comitari; cum pactum hoc eo fine, præcipue ne uxor cogatur relinquere patriam, parentes, consanguineos, quod durum est, adjectum sit. Castrop. *n.* 6. Sanch *n.* 6. Gutt. *n.* 18. Quarto, maritum discedentem injuste a loco promisso posse ab uxore vindicari, ut in loco promisso demoretur, quia uxori infert injuriam eam injuste deserendo. Gutt. *l. c.* Castrop. *n.* 5. & apud illum alii.

4. Porro num maritus obligationi suæ satisfaciat solvendo uxori interesse, etsi in loco promisso non habitet, in eo non conveniunt AA. Covar. 4. *decret. p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Gutt. *l. c.* & plures alii affirmant, eo quod promittens factum, si solvat, quod interest promissarii, ab obligatione liberetur, *l. in stipulationib. l. stipulationis de V. O.* Nihilominus contrarium sentit Castrop. *n.* 8. cum Pont. *l. c. n.* 7. eo quod optime quis possit obligari ad factum præcise, ut Gutt. *de juram. confirmator. p.* 1. *c.* 39. *n.* 5. dicta autem obligatio manendi in loco promisso est juri naturali conformis; est etiam Jure civili permissa, *l. juris gratia ff. de pactis*, & Jure canonico approbata; *c. qualiter de pactis*; sæpe enim paciscenti interest factum, quo casu, ut Bald. *in l. cum precibus C. de rerum permut. n.* 1. satisfieri non potest solutione pecuniæ uxori paciscenti, ne maritus ex tali loco discedat, quia omnibus divitiis habitationem mariti in eo loco præfert.

5. De cætero hucusque dicta procedunt, modo non emergat causa nova mutandi domicilii; V. G. quia locus sanitati mariti est nimis noxius, vel in eo capitales inimicitias contraxit; quia tunc non tenetur stare promissis etiam juramento firmatis, absque ulla obligatione solvendi pœnam aut interesse. Pont. *n.* 8. Sanch. *d.* 40. *n.* 3. Gutt. *c.* 28. *n.* 17. Tiraq. *lege connub. gl.* 1. *p.* 1. *nu.* 39. Castrop. *n.* 9. Uxor vero obligatur tunc comitari virum in iis eventibus, in quibus esset obligata, si pactum non intercessisset; quia dictum factum, cum cesset, diminuere nequit obligationem uxoris, Castrop. *l. c.* cum Gutt. *n.* 19.

CAPUT QUARTUM.

De Arrhis & Sponsalitia liberalitate.

QUÆSTIO XXXII.

Arrhæ quid importent, & quæ earum natura.

1. RESp. ad primum; Sumuntur primo minus proprie pro ipsis Sponsalibus: *l. 1. §. 1. si nuptiæ ex rescripto petantur.* Secundo magis proprie pro eo, quod a sponso sponsæ, vel contra datur in pignus promissi matrimonii contrahendi *l. 3. & l. fin. C. de Sponsal.* Tertio pro donationa facta a sponso sponsæ in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis vel dotis sponsæ, quamque sponsa lucratur soluto matrimonio; quæque successit donationi propter nuptias hodiedum abrogatæ, quæ alias soluto matrimonio redibat ad virum donantem, sicut ab uxore tradita viro redibat ad uxorem.

2. Resp. ad secundum; Ea est natura arrharum, quæ pignus sunt matrimonii contrahendi, ut fidei violator eas amittat, *l. arrhis, l. fin. C. de sponsal.* congruentia vero præcipua, cur hæ arrhæ amittendæ, cum & earum amissio sit pæna quædam, quæ potius permittuntur a jure, quam alia pæna sponsalibus adjecta, hæc assignatur a Castrop. *de sponsal. part. 12. §. 1. num. 1.* quod arrhæ (utpote statim tradendæ, cum alias a pura pæna non differrent, *l. mulier. l. arrhas l. fin. C. de sponsal* Sanch. *l. 1. dist. 35. num. 3.* Gutt. *de mat. c. 18. num. 3.* apud Castrop. *l. c. num. 2.* quamvis tamen etiam arrhæ promitti, & loco illarum pignus æquivalens dari possit. Castrop. *l. c.* Coninck. *d. 22. dub. 3. nu. 13.*) in exigua quantitate & matura deliberatione concedi solent; pæna vero, quia non traditur, sed promittitur, facile & incaute in magna quantitate offertur; dum homines faciles sunt in promittendo, difficiles ad tradendum. Porro an & qualiter arrhæ probentur confessione recipientis, vide apud Castrop. *l. c. n. 3.*

QUÆSTIO XXXIII.

Num arrhæ utrimque constitui possint.

RESp. Quamvis communis sententia teste Sanch. *l. c.* id neget; eo quod hæc arrharum mutua traditio videatur superflua, dum superfluum est dare aliquid, ut tantundem recipiatur: Argum. *l. qui sic ff. de solutionib.* tamen tanquam probabilius defendunt Castrop. *l. c. nu. 9.* Sanch. *nu. 14.* Gutt. *c. 18. num. 8.* Pont. *l. 12. cap. 19. in princ.* Coninck. *dist. 22. dub. 13. num. 15.* eo quod leges non reprobent illam mutuam arrharum donationem, sitque ea utilis, etiam dum arrhæ constituuntur utrimque in eadem specie & quantitate; siquidem fidem violans perdit arrhas datas, & restituere debet acceptas, innocente recuperante datas & retinente acceptas; citata autem *l. qui sic* loquatur de alienatione, in qua tantundem recipitur, absque obligatione illud reddendi.

QUÆSTIO XXXIV.

Num arrhæ constitui possint tam in specie, V. G. fundo, quam in quantitate, & quidem in quacunque quantitate.

1. RESp. ad primum affirmative. Covar. *de sponsal. part. 2. c. 3. §. 7. num. 7.* Cuchus *Inst. mor. tit. 12. num 203. & 207.* Gutt. *l. c. nu. 7.* Sanch. *d. 35. nu 12.* quos citat & sequitur Castrop. *n. 7.* contra Abb. *in c. gemma b. t. nu. 8.* Butr. *nu. 8.* Anchor. *n. 10.* Brunell. *de sponsal. concl. 10. num. 3.* nam imprimis non reprobantur tales arrhæ a jure, licet *in l. fin. C. de sponsal.* non fiat mentio nisi arrharum in quantitate constitutarum; potestque non minus constitutarum in specie dari possessio, vere realiter, vel etiam ficte per clausulam *constituisse*, sicut in contractu emptionis & venditionis; possunt etiam duplicari, si non in eadem specie, saltem in æstimatione.

2. Resp. ad secundum: in eo non conveniunt AA. In magna quantitate constitui posse negant Jo-And. *c. gemma b. t. nu. 9.* Abb. *ibid. num. 8.* Brunell. *concl. 16. num. 4.* Sylv. *v. sponsalia qu. 9. dicto 2. &c.* eo quod ideo concedantur, & reprobatur pæna apposita Sponsalibus; quia arrhæ non censentur minuere libertatem, utpote quæ dantur in exigua quantitate; pæna autem, utpote promissa, non tradita, in magna constitui soleat. Non debere excedere quantitatem dotis, vel donationis propter nuptias, & iis cessantibus, quantitatem præscriptam *l. jubemus, ff. de repudiis*, tenent Bart. *in l. Titia de V. S. n. 5.* Cuchus, *l. c. a n. 20.* Salicet. *in l. fin. de spons. num. 15.* eo quod apud Romanos matrimonium contractum dissolvens non amittebat nisi dotem; adeoque æquum non sit per dissolutionem sponsalium, quæ sunt minoris momenti, plus amitti. Denique quod constitui possint in quacunque quantitate, tenet Castrop. *cit. §. 1. nu. 6.* eo quod leges permittentes eas loquantur indistincte absque ulla limitatione; adeoque licet in iis militet eadem ratio, quæ in pæna, adhuc dispositio de pænis non sit extendenda ad arrhas; cum leges odiosæ & restrictive ex sola identitate rationis ad similes casus non extendantur; quamvis insuper sit disparitas in hoc, quod saltem plerumque arrhę dentur in minore quantitate, &, utpote jam datę, amittantur suavius & facilius.

QUÆSTIO XXXV.

Arræ datæ in pignus matrimonii contrahendi an, cui, & qualiter reddendæ.

1. RESp. primo, arrhę, cum contracto matrimonio jam non possint amplius habere rationem pignoris matrimonii contrahendi, reddendę sunt ei, a quo datæ, *l. fin. C. de sponsal.*

2. Resp. secundo: si matrimonium ob culpam tradentis arrhas non contrahatur, is simpliciter amittit eas, & eas remanent apud recipientem; si vero non contrahatur culpa recipientis eas, & qui vicissim non dedit arrhas, is eas superaddito tanti, quanti valent arrhę, restituere debet; *cit. l. fin.* Minores 25. annis non tenentur nisi arrhas restituere, sive ipsi, sive eorum parentes, aut cutores nomine eorum promittentes matrimonium eas receperint. Ad hęc *rinat. leg.* permissum contrahentibus non minoribus 25. annis convenire inter se, non solum de restitutione arrharum, sed etiam de reddendu duplum vel triplum ultra arrhas.

QUÆSTIO XXXVI.

An pœna illa dupli vel quadrupli adjecta traditioni arrharum obtineat in Jure Canonico, & solvenda in foro conscientiæ.

1. RESp. ad primum affirmative. Sanch. *l. 1. d. 36. n. 11.* Gutt. *de matr. c 18. nu. 7.* Duncen. *de sponsal. ad tit. ff. solut. matrim. §. 4. in fine.* Pont. *l. 12. c. 19. nu. 2.* Con. *l. c. dub. 3. n. 14* Castrop. *nu 3.* correctio enim legum, quantum fieri potest, evitanda, ergo Jus Canonicum reprobans pœnam sponsalibus adjici, intelligendum de pœna per se sumpta & propria sponsalium, quę a Jure civili reprobatur, non de pœna arrharum contractui conjuncta, & a Jure civili approbata, ut ita jura juribus sint conformia. Neque etiam eadem est ratio in hac pœna dupli vel quadrupli, ac in mera pœna sponsalibus adjecta, dum hęc in magna quantitate plerumque constituatur; quia nihil trahitur tempore contractus, ex quo limitationem recipiat. Pœna vero dupli vel quadrupli plerumque sit in exigua quantitate, & ex arrhis limitationem recipiat. Ita Castrop. *l. c.*

2. Resp. ad secundum: Nisi aliud verbis expressum sit, non debetur pœna illa dupli vel quadrupli ante sententiam Judicis saltem declaraturiam; nec satis est illam a parte peti (quam petitionem ad minimum necessariam esse ad executionem hujus pœnæ communiter astruunt omnes. Pont. *l. c. n. 5.* Gutt. *c. 18. n. 19* Con. Less. &c.) Castrop. *l. c. n. 4.* remittens ad seipsum, *p. 1. tr. de LL. d. 2. p. 3.* ubi probabilius censuit, pœnam conventionalem non deberi ante sententiam Judicis sal-

saltem declaratoriam. Et de pœna quidem, quam *cit. l. fin.* statuit, nimirum ut recipiens, & non vicissim tradens arrhas, si culpabiliter resiliat, reddat arrhas, & insuper earum valorem, dicit esse communem sententiam, teste Sanch *d. 37. n. 5.* Gutt. *l. c. n.* 18. eo quod hæc non sit pœna conventionalis, sed legalis. Quamvis ipse dasendat non esse pœnam pure legalem, cum, ut Con. *l. c.* 18. lea illa non statuat ultra arrhas reddi valorem in pœnam alicujus culpæ, sed ut æqualitas servetur in contractu, nempe ne illas tradens amittat, & recipiens nihil ex propriis amittat. Contrahentes vero præsumi debeant contrahero juxta æquitatem a jure præscriptam; ideoque recipiens illas censendus sit obligari ex contractu ad illas illarumque valorem restituendum, & consequenter valor eorum debitus est, non ex lega tantum, sed ex conventionn de pœna hac solvenda ob violatam fidem, & ideo sententiam Judicis requirat. Sed neque ex eo, quod tradens arrhas injuste resiliens amittat eas sine ulla exspectata Judicis sententia, sequitur, quod recipiens illas teneatur quoque ante sententiam ad duplum illud vel quadruplum; sequeretur enim alias, ne quidem ad hoc requiri petitionem partis, sicut ea non requiritur, ut tradens eas amittat. Sed illud solum sequitur, quod recipiens illas teneatur ante sententiam Judicis, & ante petitionem partis eas reddere, quia hæc non est pœna contractui adjuncta, sed ipsius contractus natura; cum natura pignoris in securitatem contrahendi matrimonii concessi petat ipso jure reddi concedenti, dum per eum non stetit matrimonium non iniri: quia non absolute donavit, sed sub conditione, quod injuste non exequstur contractum matrimonii. At ultra pignus reddere illius valorem, vel etiam triplum aut quadruplum est contractui accidentarium, & solum ex mutua conventione debitum, ac proinde in pœnam; adeoque, cum expediens sit, ut omnis pœna conventionalis in illius executione imitetur legalem, quæ sententiam Judicis requirit, etiam pœna illa reddendi duplum, triplum &c. utpote conventionalis, dictam sententiam requirit.

QUÆSTIO XXXVII.

Quæ sit natura arrharum datarum sponsæ a sponso in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis, & dotis acceptæ.

1. R Esp. primo: Hæ arrhæ, quæ apud Germanos veniunt nomine *Morgengabe* seo doni matutinalis, ut Krimer. *in 4. decret. n.* 1711. differunt plurimum ab arrhis datis tanquam pignus pro securitate matrimonii contrahendi: cum etiam dari a marito possunt uxori post contractum matrimonium, quin & dari solitæ altero nuptiarum die novæ nuptæ pro thesauro pudicitiæ. Dantur nihilominus atiam a sponso sponsæ de futuro in præmium virginitatis a sponso lædendæ, ut Castrop. *l. c. p.* 12. *§. 3. nu.* 1. & in quibusdam locis solis virginibus constitui possunt. Krimer. *l. c.* ex Haunold. *de Just. tr. 4. n.* 330. posse tamen etiam concedi viduæ, cum non necessario concedantur in præmium virginitatis, sed atiam vidualis pudicitiæ, docet Castrop. *l. c. num.* 2. cum Gutt. *cit. c.* 19. *num.* 9. & aliis. Quin &, si sponsa, quam sponsus putabat esse virginem, talis non sit, posse nihilominus has arrhas eam detinere, contra Vegam *l. 1. sum. casu* 387. & alios sentit Castrop. *nu.* 3. citatis Gott. *n.* 8. Sanch. *l. 6. d. 27. a nu.* 4. idque etiam si tradens illas traditurus non fuisset, si scivisset, non esse virginem. Quinimo etiamsi in instrumenta donationis sola apposita fuerit causa virginitatis ad has arrhas conredendas, id æstimandum sit ex stylo imperito notariorum factum, & non ea voluntate contrahentium. Castrop. *loc. cit.* citans Covarr. *in rub. de testam. p. 2. n.* 4. Gutt. Tiraquel. & alios, rationem reddens, quod arrhæ hæ non tantum dentur in præmium virginitatis, sed etiam in compensationem nobilitatis, & dotis receptæ; adeoque non cessaret finis adæquatus, etsi contingat error circa eam sam minus principalem, seu potius impulsivam, & extrinsecam. Secus tamen videtur dicendum, non tantum, ubi sponsus ea pressisset contrarium, sed etiam manifestum, non adesse nobilitatem, aut dotem, quæ compensetur, ex quibus infero, &

2. Resp. secundo: Donationem harum arrharum non habere rationem meri lucri, seu procedere ex mera liberalitate, sed esse donationem remuneratoriam, & onerosam; cum præcedat in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis; adeoque licitam etiam inter de facto conjoges, ut Sanch. *l. 6. d.* 29. Gutt. *num.* 19. quin & prærequirat oblationem virginitatis, & pudicitiæ, quæ utique est res pretio, & remuneratione digna, non tantum facta ante matrimonium,

quando uxor potest nolle pudicitiam suam prostituere in matrimonium, nisi arrhis sibi designatis, ut Castrop. *l. c. qu.* 9. *n.* 5. sed & matrimonio jam contracto, dum prostitutio virginitatis, vel pudicitiæ adhuc non est simpliciter debita, quia uxor Jure Canonico habet duos menses ad deliberandum pro transitu ad religionem.

QUÆSTIO XXXVIII.

In qua quantitate, & ex quibus bonis hæ arrhæ constitui possint.

1. R Esp. ad primam: Alii a sponso concedentes has arrhas nomine proprio, & ex bonis propriis concedere eas possunt in qualibet quantitate. Castrop. *l. c. d. 4. nu.* 1. Sanch. *l. 6. d. 29. num.* 18. Gutt. *c. 19. num.* 25. ex bonis vero donantis, neque ab ipso donante, neque ab alio constitui posse has arrhas ultra decimam partem bonorum donantis spectato Jure Regis Hispaniæ, ait Castrop. *loc. cit.* in re autem communi nullam factam restrictionem in hac arrharum constitutione.

2. Resp. ad secundum primo: Arrhæ hæ constitui possunt ex bonis, quæ donans tempore donationis, vel promissionis arrharum habet, & non ex iis, quæ postmodum habiturus est. Sanch. *l. c. num.* 6. Gutt. *l. c. num.* 18. Castrop. *loc. cit. num.* 2. Unde si tempore promissionis nulla habeat bona, tametsi ea habeat postmodum, nulla est promissio, & ad nihil tenetur; quia non ex futuro eventu, sed ex præsente regulanda est promissio; promittit enim arrhas ex suis bonis, bona autem futura non sunt, sed erunt AA. iidem. Neque obstat *l. fin. c. quæ res pignori*, ubi sub hypotheca bonorum non solum præsentia, sed & futura intelliguntur. Id siquidem est speciale in hypotheca; eo quod ex comprehensione futurorum bonorum non extendatur obligatio (sicut in præsenti casu contingeret) sed obligationis securitas. Sanch. *num.* 7. Castrop. *loc cit.* Quod si tamen expresse non solum de præsentibus, sed & de futuris (uti facere potest. Castrop. *loc. cit.*) promitteret arrh a, donatarius poterit eligere tempus, in quo fiat bonorum computatio, dum forte alicubi lex vel mos est, ut non excedant arrhæ decimam, aliamve certam partem bonorum. Sanch. *num.* 5. Castrop. *cit. nu.* 2.

3. Resp. ad secundum secundo: Bona tradentis, vel promittentis arrhas sunt, quæ remanent deducto ære alieno; quia quæ aliis debentur, nostra censeri non debent, & bona appellatione naturali alicujus sunt, quæ supersunt deducto ære alieno, *l. Subsignatum ff. de V. S.* Sanch. *num.* 11. & 12. Gutt. *qq. pract. quæst.* 42. Castrop. *loc. cit.* & in contractibus sumuntur bona appellatione naturali. Rebuff. *in l. bonorum appellatione ff. de V. O.* bona vero, quæ vere aliena sunt, & alteri debita, tametsi ut propria bona etiam fide possideantur, computari non debent; eo quod alteri debetur, non est proprie suum, sed alienum, etsi ob ignorantiam proprium esse credatur; ergo computandum non est in bonis tuis maxime in tibi præjudicantibus, quales sunt promissiones, & obligationes, etsi de cætero in favorabilibus, & ad effectus civiles, v. g. ad actionem, & exceptionem, ad præscriptionem, ad possidendum officium, quod es instituto vel lege cavetur, ut nemo possidere possit, qui non habet v. g. in bonis suis mille, censeantur propria. Ita tenent Castrop. *loc. cit. num.* 4. Sanch. *l. 6. d* 30 *num* 2. Gutt. *de matrim. l. c. num.* 27. contra Molin *de Just. Tom. 2. tr. 2 d.* 431. & alios plures apud Castrop. *num.* 3. quibus non favet *loc. cit. bonorum*, cum in ea non dicatur, bona nostra esse, quæ bona fide possidemus, sed in bonis nostris spectari quod minus est, ad quem effectum sufficit bona fides. Neque illud, quod asserunt de præsentato a possidente bona fide jus patronatus, qui non removetur, tametsi postmodum præsentator a possessione, & jure patronatus removeatur; quia in præsentatione non attenditur proprietas, sed possessio juris patronatus, cum sit veluti fructus, qui debetur bonæ fidei possessori. Econtra inter hæc bona computari debent bona, quæ tibi debentur, & ad quæ recuperanda habes actionem; quia moraliter tua sunt, *cit. l. bonorum* Sanch. *n.* 13. Gutt. *cit. n.* 17. item officia, v. gr. tabellionatus, dum vendibilia sunt, uti & alia vendibilia, dum enim vendi, & pretio æstimari possunt, sunt habenda in parte bonorum. AA. iidem.

4. Resp. ad secundum tertio: Posse quoque has arrhas constitui in feudo cum consensu Domini directi, vel etiam sine illo, dum feudum est hæreditarium. Krimer. *cit. num.* 1711. citato Haunold. *Tom. 1. de Just. tr. 4. num.* 330. qualiter vero, dum constituitur a possessione majoratus, spectandus non

sit valor majoratus, sed fructus, vide apud Castropal. *loc. cit. num.* 6.

5. Resp. ad secundum quarto: Arrhæ hæ promissæ a marito habente filios ex priore thoro, vel etiam his cessentibus, alios ascendentes legitimos, num extrahendæ sint arrhæ promissæ, uti & alia debita ex communi corpore hæreditatis, an vero solum ex ea parte hæreditatis, de que libere disponere potest, non conveniunt AA. prius affirmant aliqui; eo quod arrharum constitutio non sit gratuita, & liberalis donatio, sed remuneratoria; donatio entem remuneratorie, utpote debita ex honestate, extrahende ea cumulo hæreditatis. Negat econtre Castrop. *l. c. n.* 7. citatis Spino *in speculo testam. gl.* 18. *num.* 94. Sanch. *l.* 6. *disp.* 38. *num.* 15. Gutt. *cit. c.* 19. *num.* 39. eo quod cum nullo juro astringatur sponsus arrhas sponsæ assignare, & tametsi hæc assignatio sit aliquo modo remuneratoria, sit tamen voluntaria, æquum non sit propterea legitimam filiorum aut ascendentium, quæ ex rigore justitiæ debetur, minuere. Secus tamen, ut iidem AA. esset, seu ex toto cumulo hæreditatis arrhæ extrahendæ, ubi tempore, quo arrhæ promissæ, nulli fuerunt ascendentes aut descendentes, ita ut dein nativitate filiorum aliorumve descendentium hæc arrharum donatio non revocetur, aut aliquo modo restringatur; utpote quæ non omnino libera, sed remuneratoria, per quam jus sponsæ quæsitum. De cætero, an, ubi in certa quantitate determinata arrharum constitotio, valeat excedens illam quantitatem quantitas, vide apud Castrop. *l. c.* §. 5. *per totum.* Item a quo probandum, contineri arrhas intra dictam quantitatem, vide apud eundem, §. 6.

QUÆSTIO XXXIX.

Qui arrhas constituere, & promittere possint.

1. RESp. primo: Eas tam sponsus, quam ejus parentes & consanguinei, quin & quilibet extraneus nomine illius promittere potest. Econtre tamen quandoque sponsa ejusque parentes, sponso constituere possunt arrhas in præmium nobilitatis & divitiarum excessus. Sanch. *l.* 6. *d.* 29. *n.* 4. Gutt. *l. c. n.* 16. Castrop. *l. c.* §. 8. *n.* 1.

2. Resp. secundo: Si minor carens curatore promittat seu donet arrhas de bonis immobilibus, vel mobilibus, quæ servando servari possunt, nulla est promissio aut donatio, nisi facta sententia Judicis intercedente; Horum enim bonorum alienatio absque sententia & decreto Judicis interdicitur minoribus, *l. non solum l. prædia c. de prædiis minorum* Sanch. *l. c. d.* 38. *n.* 37. Castrop. *l. c. n.* 2. Verum elapso quinquennio post ætatem 25. annorum ipso jure ratificatur, & confirmatur talis arrharum promissio & donatio, sicut si alienatur res immobilis titulo oneroso. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Bart. Bald. Salicet. &c. id probantes ex *l. fin. c. si major factus alienat. factam sine decret. Jud. ratam hab.* Si vero minor 25. Annorum arrhas ex rebus mobilibus, quæque servando servari nequeunt promitteret, vel donaret in ea quantitete, quam leges permittunt, valide erit donatio & promissio; quia fecit illud, quod quisque major & prudens fecisset. Sanch. *nu.* 41. Castrop. *l. c.* Arg. *l. non videtur c. de in integ. restit.* & licet ad hanc promissionem seu alienationem non requiratur Judicis decretum, requiritur tamen curatoris, si quem habet, authoritas, alias nulle erit promissio vel donatio. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Arg. *l.* 2. & *l. mulier. c. de jure dot.* & *l. si curatorem c. de in integ. restit.* Valebit tamen & tunc, si minor eam juramento confirmet, jure sic disponente in *Auth. Sacramenta impub. c. si adversus vendit.* Sanch. *n.* 43.

3. Resp tertio: Filius familias pubes inconsulto patre arrhas promittere potest de bonis, quorum ipse dominium & administrationem habet; nam, ut habetur *in l. filius familias ff. de A.* & *O.* filius familias ex omnibus causis tanquam pater familias obligatur, & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias potest, Sanch. *d.* 39. *n.* 11. impubes vero etiam ex patris licentia arrhas nec dare nec promittere potest, uti nec ullum alium contractum celebrare, Castrop. *l. c.* citans Molin. *tr.* 2. *d.* 261. *juxta* §. *pupillus Inst. de inutil. stipulat.* ubi: *Sed qui in potestate parentis est impubes, ne authore quidem patre obligatur.* De cætero etsi pubes adhuc ex bonis, quorum pater babet administrationem seu usumfructum, non potest (de hac tamen potest: Molin. *loc. cit.* Sanch. *cit. d.* 39. *nu.* 7.) promittere arrhas, ut deciditur *l. fin. C. de bonis quæ liber* ubi: filiis autem familias in iis duntaxat casibus, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, donec parentes vivunt, nec de his rebus testari permittimus, neque citra voluntatem eorum, in quorum potestate sunt, ulla licentia eis concedenda, dominium rei ad illos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare vel pignori assignare. Quænam vero bona filiifamilias computanda, ut constet, num arrhæ excedant quantitatem alicubi forte a lege vel consuetudine taxatam, vide apud Castrop. *loc. cit. num.* 4. Illud hic notandum circa dicta hucusque de arrhis constituendis, promittentem eas, sive major, sive minor, sive juramento confirmaverit, sive non, obligatum non esse eas solvere, si dos promissa culpabiliter non solvatur, vel non solvatur integre; quia promissio illa arrharum censetur esse facta in dotis remunerationem; idque etiamsi a principio arrhæ promissæ nulla facta dotis promissione; sed postmodum secuta. Arrhæ siquidem semper promittuntur in dotis remunerationem, & retinentur; quasi in pignus & depositum dotis debitæ & non solutæ; & ita docent teste Castrop. Roland. *a* Valle *tit.* 1. *cons.* 10. *a num.* 1. Mol. *de Just. Tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 431. Sanch. *l.* 6. *d.* 37. *n.* 1.

QUÆSTIO XL.

Qualiter hæ arrhæ acquirantur sponsæ.

1. RESp. primo: Arrhæ nullatenus acquiruntur sponsæ irrevocabiliter ante consummatum matrimonium; unde dissolutis sponsalibus, vel matrimonio ante consummationem per mortem vel ingressum in religionem, vel ob aliam causam sine culpa promittentis seu dantis, huic reddendæ sunt. Castrop. *loc. cit. part* 8. *num.* 1. & plures alii apud illum. Sanch. *l. c. d.* 22. *nu.* 8. si vero promittens vel donans in culpa fuit, cur matrimonium non fuerit consummatum, sponsa lucrabitur arrhas eo modo, acsi matrimonium consummatum esset; cum sponsi injustitia impedire nequeat jus sponsæ obtentum.

2. Resp. secundo: Si vero intercesserit osculum, sponsa solutis sponsalibus vel matrimonio non consummato (intellige, sine culpa promittentis vel dantis) secundum aliquos lucrabitur medietatem arrharum non interveniente sponsalitia largitate; hac vero interveniente, utriusque medietatem vel alterutrius, prout placuerit, lucrabitur. Econtra tenent Sanch. *cit. d.* 38. *n.* 8. Gutt. *c.* 19. *nu.* 94. sponsam non lucrari per osculum illud medietatem arrharum, sed solum sponsalitiæ largitatis, sive arrhæ intervenerint sive non. Tertio tenet Castrop. *n.* 3. per osculum lucrari sponsam medietatem omnium, quæ ab ipso sponso ipsi donata sunt, sive sint arrhæ, sive sponsalitia largitas absque ulla electione, consummato autem matrimonio lucrari integras arrhas vel sponsalitiam liberalitatem. Verum quia hæc ab ipso aliisque illis AA. fundantur præcipue in legibus Regni Hispaniæ, non lubet his diutius immorari.

QUÆSTIO XLI.

Qualiter uxor obtinens arrhas vel etiam sponsalitiam largitatem de iis disponere possit.

RESp. Si mulier non nubat alteri, posse eam æque de arrhis & sponsalitia liberalitate ac de aliis bonis, quæ vere illius sunt, disponere, ait Castrop. *l. c. p.* 9. *n.* 1. Si vero transit ad secundas nuptias, & habet ex priore marito concedente arrhas filios, de iis libere disponere non posse, sed necessario eas reservare debere dictis filiis, secundum *l. fæminæ c. de secund. nupt.* & *Auth. ex testam. eod. tit.* æqualiter inter eos dividendas, *Auth. lucrum eod.* reservato sibi solo usufructu, communis habet sententia, ut videre est apud Molin. *l.* 1. *de primog. c.* 10. *n.* 62. Gutt. *l.* 2. *qq. pract. qu.* 18. *in fine* Sanch. *l.* 6. *d.* 41. *n.* 3. eo quod de bonis concessis a marito donatione (intellige libere & non onerosa) sive inter vivos, sive in testamento, nullatenus disponere valeat uxor transiens ad secundas nuptias, si filios habeat prioris mariti, sed ea debeat reservare his filiis; arrhæ autem hæ non conceduntur uxori titulo oneroso; sed lucrativo, nempe in præmium pudicitiæ per matrimonium amittendæ, & ad quam amittendam, cum obligetur matrimonio contracto, non censetur aliquod onus subire, ratione cujus dicantur titulo oneroso concedi, uti & in hoc, quod de sponsalitia largitate disponere nequeat talis uxor, sed teneatur eam relinquere dictis filiis, reservato sibi solo usufructu, convenire omnes DD. ait Castrop. *l. c. n.* 2. qui tamen ipse *n.* 3. censet omnino contrarium de dictis arrhis, nempe competere uxori liberum dominium & dispositionem circa dictas arrhas, etiamsi habeat filios ex priore marito, citato pro hac sententia Molin. Jesuita *de Just. tr.* 2. *d.* 431. &c. quam etiam satis probabilem reputat Sanch. *d.* 41. *nu.* 2. quamque tenet Krimer. *in* 4. *decret. nu.* 1215.

num. 1715. opposita omnino moti ratione; nempe quod arrhæ non concedantur donatione liberali & munifica, sed potius quasi permutatione in compensationem pudicitiæ, nobilitatis, dotis; quod & ex hoc confirmat, quod arrhæ hæ plerumque in pactum deducantur, ita, ut eas concedens, etsi in contrahendo voluntarius & liber extiterit, celebrato tamen hoc contractu, non libere, sed ex obligatione donat; sæpe namque uxor, ut matrimonium contrahat, exigit, tot sibi arrhas concedi, alias non contractura, & sub ea conditione maritus arrhas ei concedit; quæ autem titulo oneroso conceduntur a marito uxori, non reservantur filiis mariti; sed de his tanquam de bonis propriis libere disponere potest uxor. Confirmat idem exemplo dotis, quam concessam uxori adolescentiori, & nobiliori non tenetur ea reservare filiis, quod ipse docet Sanch. *d.* 8. *num.* 2.

QUÆSTIO XLII.

Quid sit sponsalitia largitas, & quæ veniant illius nomine.

1. RESp. ad primum: Submissio munerum facta a sponso sponsæ, vel contra in significationem amoris, animo, spe & causa matrimonii contrahendi, vocatur sponsalitia largitas, & ab aliquibus donatio ante nuptias; unde vides, eam non esse confundendam cum concessione arrharum, quæ titulo oneroso justa dicta conceduntur.

2. Resp. ad secundum primo: Num omnia, quæ sponsus mittit sponsæ ante consummatum matrimonium (dum de animo mittentis expresse non constat, si enim de eo constet, cessat quælibet alia præsumptio) censeatur sponsalitia largitas, seu vere donari, ita ut integre sint illius matrimonio consummato; an vero commodata solum illi ad honorandam tamen illam, animique affectum erga illam ostendendum, qualiter ab eo tractanda tempore matrimonii, idque, ut ornatior ad virum accedat, dominio tamen ad illam non transeunte, sed penes sponsum remanente, in hoc, inquam, non convenit inter AA. prius de omnibus indifferenter, sive sint pretiosa, sive ordinaria, sentit Anton. Gomez, & alii apud Castrop. *part.* 13. *§.* 1. *num.* 1. contrarium de omnibus sentit Molin *de Just. tract.* 2. *d.* 290 eo quod donatio nunquam præsumi debeat, quoties ex alia causa quam donationis intelligi potest aliquid alteri concessum, ut contingit in iis, quæ traduntur gratia tradentis; uti in præsente contingit, dum sponsus mittit sponsæ munera; tum, ut ad ipsum ornatior accedat, tum ne ipse vilis & avarus reputetur. Mediam viam ingreditur Castrop. *loc. cit. numer.* 3. citans pro hoc Sanch. *lib.* 6. *d.* 15. *numer.* 28. Clarum *lib.* 4. *receptar. §. donatio quæstion.* 10. Villalob. *in commun. opinion. lit. u. verb. vestes, numer.* 47. *&c.* nimirum si munera sint tam exigua, ut si contracto matrimonio missa sponsæ, censerentur donata, si vero ita magna & pretiosa, ut, si darentur stante matrimonio, censerentur solum ad usum commodari, eo quod non ad communem uxoris ornatum, sed ad singularem & extraordinarium, censerentur solum commodata sponsæ. Rationem dat, quod cum hæc munera mittantur in signum amoris & testimonium, qualiter contracto matrimonio tractanda sit ab eo, signum exigui amoris præbeat sponsus, quin & testimonium manifestum aspere, & arcte tractandam tempore matrimonii, si solum usum cujusque muneris exigui concedere intendit; quæ ratio non procedit in muneribus pretiosis, & quorum dominium non conceditur stante matrimonio, sed solus usus; cum ad significandum amorem, & qualiter tractanda ab eo sufficiens signum sit ista pretiosorum commodatio absque donatione. Quod si tamen alicubi consuetudo esset, ut ea, quæ sponsus mittit, etsi sint pretiosa, non reputentur (uti Castrop. citato jure recentiore Regni Castellæ, quælibet, sive pretiosa, sive vilia, a sponso sponsæ vel contra concessa, censenda esse donata, adeoque sponsalitiam largitatem) sponsus censendus sit ea donare; quia præsumendus est, ea mittere juxta regionis consuetudinem. Castrop. *loc. cit. numer.* 4. Sanchez *loc. cit. num.* 16. qui etiam *num.* 18. subjungit, munera a sponso missa præsumi donata, si sponsa prius aliqua misit; quia adest præsumptio remunerationis, quod approbat Castrop. si constaret sponsam animo donandi misisse, eaque sponsum non satis remunerari solo usu pretiosorum concesso. Atque ex dictis jam deducitur idem dicendum de muneribus missis a Socero nurui; cum enim socer contemplatione sponsi ea mittat, ac proinde reputandus ac si sponsus ea mitteret, censendus socer ea donasse, quæ sponsus donasset: ea ad usum solum concessa, quæ sponsus ad illum concessisset. Castrop. *loc. cit. num.* 7.

3. Resp. ad secundum secundo: Donata a consanguineis, vel amicis sponsi sponsæ vel contra in sententia docentium acquiri ea integre donatario non habent rationem sponsalitiæ largitatis; cum non sit donatio inter sponsos, hoc est, unius sponsi facta alteri. Sed neque in sententia asserente ea acquiri sponso, concesso solo usu sponsæ (quam tenet Castrop. *num.* 8. citatis Claro *loc. cit.* Mascard. *de probat. concl.* 564. *a num.* 5. Gutt. *qq. can. l.* 2. *quæst.* 120. *num* 9. Molin &c. eo quod, dum aliud non expressum, cum consanguineus sponsi ob favorem, quem suo consanguineo præstare intendit, donet sponsæ, donatio potius censenda sit fieri sponso quam sponsæ; & argumenta in oppositum adducta solvit, *num.* 9.) sunt sponsalitia largitas. Castrop. *loc. cit. num.* 10. Sanch. *lib.* 9. *d.* 26. *num.* 22. Molin. *de Just. tract.* 2. *d.* 430. *concl.* 3. eo quod, licet sponsus approbet donationem illam factam sponsæ, non tamen inde inferatur illum hac sua approbatione concedere sponsæ, quod sibi concessum; sed solum approbare concessionem juxta modum, quo facta est, ac proinde reservare sibi velle dominium. Ad hæc ad minimum dubium est, num sponsus approbans hanc donationem a suis factam sponsæ, velit acquiri sponsæ, vel sibi retinere; in dubio autem nemo præsumendus est velle donare, *l. cum indebiti ff. de prob.* Mascard. *de arb. lib.* 2. *casu* 88.

QUÆSTIO XLIII.

In qua quantitate, & ex quibus bonis sponsalitia largitas fieri possit.

1. RESp. ad primum: Jure communi nullam taxatam esse huic largitati quantitatem, ut constat ex toto tit. *ff. & Cod. de donatione ante nuptias*; in regno vero Castellæ ait Castrop. *loc. cit. §.* 2. *numer.* 1. eam non posse excedere octavam partem dotis uxoris; quod si tamen eam excedat, non totam vitiari, sed tantum quoad excessum illum, ut habet Castrop. *numer.* 3. *in fine*, & quod si fiat sponsæ nullam dotem afferenti, esse illam totaliter seu omnino nullam; neque eam lucrari sponsam per osculum aut copulam, ut habet *num.* 4 & 5.

2. Resp. ad secundum: Loquendum hoc in puncto sicut de arrhis, nimirum posse tantum desumi ex bonis, de quibus sponsus libere disponere potest; item posse desumi ex corpore hæreditatis, si tempore promissionis caret filiis, & ascendentibus; quid vero possit in hac parte filius familias: vide *q. ante hanc* 4. par enim in hoc est ratio, quæ de arrhis.

QUÆSTIO XLIV.

Quo tempore concedenda sponsalitia liberalitas.

1. RESp. primo: debet necessario concedi post sponsalia contracta; quia est concessio inter sponsos sub spe matrimonii contrahendi, & ob ejus causam. Hinc si ante sponsalia celebrata ei, quam sperat sponsam habere, munera mittat animo statim donandi ea, sponsalitia liberalitas nominanda non sunt. Castrop. *loc. cit. §.* 3. *num.* 1. Sanch. *lib.* 6. *d.* 24. *num.* 2.

2. Resp. secundo: Jure communi antecedere debet, non solum matrimonii consummationem, sed etiam ejus contractum; cum matrimonio contracto, juxta *L. si a sponso, Cod. de donat. ante nupt. L. inter eos ff. de donat. inter virum & uxorem.* Donatio inter conjuges, utpote facta inter virum & uxorem sit prohibita, Castrop. *loc. cit. numer.* 5. ubi etiam, quod spectato jure recentiore Castellæ fieri possit matrimonio jam contracto, modo fiat ante consummationem illius, postquam donatio facta, esse donationem inter conjuges, & juxta ejus regulandam, habet Castrop. *num.* 4. Quod si autem sponsus nuntio sponsæ tradiderit jocalia deferenda sponsæ, antequam consummatum matrimonium, & ea nonnisi post consummatum matrimonium perveniant, validam fore donationem, quippe facta ante consummationem; cum sponso eo ipso, quo nuncio tradita (utpote quem ad ea recipienda destinavit) ea recepisse censenda sit. Secus vero esse, si sponsus nuncio suo ea tradiderit deferenda, & antequam ea sponsæ delata, consummavit matrimonium, tradit Castrop. *numer.* 7. cum Sanchez *lib.* 6. *d.* 23. *numer.* 7. De cætero vestes, & alia ornamenta pretiosa ante consummationem matrimonii data sponsæ in ipso nuptiarum die, vel proximo, non censeri sponsalitiam largitatem, asserunt Gutierez *qq. pract. L.* 2. *quæstion.* 19. *numer.* 1. &

alii apud Castrop. *loc. cit. num.* 8. eo quod præsumantur donata & collata in tempus matrimonii, & concessa sponsæ, non ut sponsæ: sed ut uxori, utpote concessa ea præcipue intentione, non ut deserviant sponsæ tempore sponsalium, sed tempore matrimonii. Contrarium existimat Castrop. *num.* 9. cum Sanch. *lib.* 6. *d.* 28. *num.* 9. nimirum ea munera habere rationem sponsalitiæ liberalitatis, & sponsam lucrari eorum medietatem per osculum, & integre per copulam. Vide eosdem.

QUÆSTIO XLV.

Qualiter sponsalitia largitas acquiratur, & amittatur.

1. RESP. primo: Sponsalia largitas jure antiquo *ff. & cod.* ante Constantinum Imperatorem acquirebatur donatario, eratque donatio simplex, & pura, nisi in ea expressum esset, fieri ob matrimonium contrahendum, & ob ejus causam, *L.* 1. *ff. de donationib. L. si filia, L. si tibi, C. de donat. ante nupt.* At post Constantinum illa conditionis expressio non requiritur, sed ex ipsa legis dispositione, & ex præsumpta partium voluntate prædicta conditio (si matrimonium sequatur) subintelligitur ex *l. cum veterum, C. de donat. ante nupt.* ac proinde hæc donatio non refertur in tempus matrimonii, alias esset donatio inter conjuges prohibita, *L. quod sponsa C. de donat. ante nupt.* ubi: *Quod sponsæ ea lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiscatur, cum nuptiæ fuerint secutæ, sine effectu est.* Sed eo ipso, quo hæc donatio fit, habet effectum, & quæritur donatario, sub onere tamen, ne matrimonium contrahere omittat. Quare matrimonio contracto pleno jure & irrevocabiliter donatio fit donatarii; eo vero non contracto culpa donantis, is donatum amittit, & reddit, si quid ab alio accepit; eo vero non contracto culpa donatarii, is, quod sibi datum, restituere tenetur. Uti hæc habentur in *L. veterum C. de donat. ante nupt.* Ita fere Castrop. *loc. cit.* §. 4. *num.* 1.

2. Resp. secundo: Quod si sponsa ante consummatum matrimonium osculum recepit, aut dedit, lucratur medietatem jocalium, seu sponsalitiæ largitatis: prout deciditur *L. si a sponso de donat. ante nupt.* & ibi Gl. sponsus vero dans, aut recipiens osculum, medietatem jocalium non lucratur, Arg. *ejusdem legis*. Rationem hujus diversitatis dat Gloss. *in cit. L.* §. 1. quod sponsa semper censeatur osculum dare, & non recipere, propter quod digna sit præmio. Aliam addit Castrop. *numer.* 2. (quæ tamen videtur in hisce partibus esse exigui momenti) nimirum quod sponsus ex osculo sponsæ voluptatem acquirit, & in nullo gravatur; sponsa vero ruborem & verecundiam sustineat, & non levem honestatis diminutionem patiatur, ita ut decedente sponso, a quo constat deosculatam esse, alium sponsum non tam facile inveniat. Per copulam vero consummativam matrimonii tam sponsus, quam sponsa æqualiter lucrantur sponsalitiam largitatem, hoc est, sponsus totam sibi concessam a sponsa, & hæc totam sibi concessam a sponso, cum uterque in dicta copula sint æquales, & ex illa æquale jus & obligatio procedat. Arg. *L. si sponso, & L. cum veterum de donat. ante nupt.* quod ipsum in his, quæ sponso a sponsa de futuro, sive ante contractum matrimonium data sunt, certissimum se existimare, ait Castrop. eo quod licet regulariter fœminæ donare non præsumantur, *L. si a sponso*, eo ipso tamen, quo sponte sponsalium tempore jocalia mittit, ea donare præsumantur, dum contrarium non exprimitur; quia præsumitur ea mittere juxta jocalium naturam, quæ est eorum dominium in alium transferre. Quæ vero data sunt sponso a sponsa, & vice versa stante matrimonio ante illius consummationem, æqualiter ab utroque lucrari, ait Castrop. Porro osculum, vi cujus medietatem acceptorum lucratur, debet subsequi sponsalia, & non sufficit datum ante illa; quia tunc necdum erat osculum sponsi; sive autem præcedat, sive subsequatur donationem, idem est. Castrop. *num.* 3 cum Sanch. *L.* 6. *d.* 19. *numer.* 6. Copulam autem, vi cujus sponsi integre lucrantur jocalia, non sufficit præcessisse matrimonium; quia debet esse consummativa matrimonii contracti, antequam per solum contractum matrimonii dicta jocalia donatario non acquiruntur. Sanch. *loc. citat. numer.* 1. Castrop. *numer.* 4. qui etiam *num.* 5. subdit, hinc deduci, quod si solutis sponsalibus vel matrimonio ante consummationem sponsus repetat jocalia, teneatur probare, se ea dedisse tempore sponsalium. Si autem sponsa, ejusve hæredes renuant ea integre, vel ex parte restituere, teneantur probare, osculum vel copulam post matrimonium contractum intervenisse. De cætero, quod dictum de osculo, nimirum quod lucretur sponsa vi illius medietatem jocalium, aliqui idem non improbabiliter teste Castrop. *num.* 7. sentiunt de amplexu, eo quod is osculo æquiparetur, & ex eo æque ruborem sustineat, sponsa, contrarium tamen sentit Castrop. *num.* 8. cum Sanch. *lib.* 6. *d.* 18. *num.* 8. & aliis; eo quod *L. si a sponso*, meminerit solius osculi, si autem voluisset dispositionem extendere ad amplexum; facile illius meminisse potuisset. Item quod osculum fere contineat amplexum; cum raro quis mulierem deosculetur, quin amplectatur; amplexus vero non contineat osculum. Ac denique quod licet amplexui assimiletur osculum aliquo modo, non tamen integre, ac perfecte. Idem quoque, quod dictum est de osculo, dicendum esse quoque de tactu impudico, & copula (intellige interveniente ante contractum matrimonium) & quidem a fortiore, astruit Castrop. *n.* 9. eo quod ratio; cur ob osculum concedatur medietas sponsæ fundatæ in rubore, quem patitur ex eo sponso, & ob periculum non ita facile inveniendi alium sponsum, efficacius procedat in tactibus & copula. Neque obstat, quod sint illiciti, & pœna digni coram Deo; cum lex in concessione jocalium non attendat, an osculum & tactus sint licita, an illicita, sed tantum, quod ex iis gravetur sponsa.

3. Resp. tertio: Sponsalibus nullis, v. g. ob impedimentum consanguinitatis, dum sponsus conscius impedimenti sponsæ illud ignoranti dedit jocalia, sponsa deosculata medietatem retinere poterit, non quidem in vi sponsalitiæ largitatis; cum vera sponsa non sit, sed ob deceptionem sponsi & injuriam ab eo acceptam, & ob voluntatem, quam abunde significavit, donandi, ut Castrop. *n.* 10. cum Sanch. *lib.* 6. *d.* 20. *num.* 10. Si vero sponsus ignarus dedit sponsæ consciæ impedimenti, hæc integre reddere debet; quia nulla est donatio, utpote ex falsa causa, & quia sponsa in causa, cur sponsalia careant effectu; AA. iidem. Si uterque ignarus fuit ignorantia non crassa, sed probabili, sponsam nihil lucrari per osculum aut copulam, nullamque esse sponsalitiam largitatem, defendit Castrop. *num.* 12. contra Sanch. *num.* 3. & alios. Ratio illius est, quod datum ob causam, causa non subsistente, sit nullum, & danti restituendum, *l. ea quæ, C. de donat. ob caus.* Sponsi autem sponsalitiam largitatem sibi concedunt sub spe matrimonii veri, & ob illius causam; unde si matrimonium non subsistit, neque datum illius causa subsistit. Ad hæc datio jocalium hanc tacitam habeat conditionem: si matrimonium sequatur; at in præsente matrimonium esse, & sequi nequit, cum sit impedimentum. Ac denique verba legum, maxime in contractibus, accipienda sint in significatione propria; leges vero loquentes de sponsalitia largitate adesse requirunt sponsalia esseque sponsos, quales in præsente non sunt, sed solum sponsalia ficta, & sponsi putatitii. Si uterque sponsus conscius est impedimenti, censent plures apud Castrop. *num.* 14. donatarium nihil lucrari, neque etiam donanti reddendum, sed spectare ad fiscum; quamvis eorum aliqui teneant, non esse tradendum fisco ante sententiam Judicis. Sanch. tamen *loc. cit. num.* 7. & cum eo Castrop. *num.* 15. sentit, donatarium retinere posse donatum, non in vi sponsalitiæ largitatis, quæ impossibilis est in hoc casu, sed in vi gratuitæ & liberalis donationis ad similitudinem sponsalitiæ largitatis; quia sciens matrimonium esse impossibile, si ob illius causam donet, censendus est pure donare, & solum in apparentia donare ex causa; ac proinde repetere nequit. Et licet per donatarium stet, quo minus matrimonium perficiatur, quin tamen id æque stat per donantem, ideo donanti donatum non est restituendum.

4. Resp. quarto: Sponsalibus dissolutis sine culpa utriusque sponsi, v. g. sponsu & sponsa ingrediente religionem, sponsus nihil acquirit ex his, quæ a sponsa accepit, sed integre reddere tenetur omnia, etiamsi sponsam osculatus; quia prædicta conceduntur sub spe matrimonii contrahendi, & ob illius causam, qua cessante cessat concessio, & sponso ratione osculi nihil conceditur. Idem dicendum est de sponsa; quæ tamen, si osculum concessit, medietatem retinere poterit, *L. si sponso, l. cum veterum de donat. ante nupt.* Sanch. *lib.* 6. *d.* 21. *num.* 3. & 4. Molin. *de Just. tract.* 2. *d.* 290. §. *habent vero*. Castrop. *cit.* §. 4. *numer.* 16. Quod si tamen etiam sponsalia dissolvantur mutuo consensu, ratione osculi concessi nihil deberi, sentiunt cum Sanch. *n.* 6. apud Castrop. *numer.* 17. plures, eo quod tunc videantur tacitum pactum inire, ut quilibet eorum alteri accepta restituat. Putat tamen Castrop. neque in hoc casu, dum osculum intercessit, sponsam amittere medietatem, & præsumendum amittere solum ea, quæ ratione prioris contractus acquisivit; quia in ea parte est æqualis sponso, secus quæ via alia non communi sponso, nempe ratione osculi acquisivit.

5. Resp.

5. Resp. quinto: Dum sponsus vel sponsa recedunt a sponsalibus ob alicujus culpam, v. g. fornicationem, innocens a se donata recuperat, & accepta acquirit seu retinet, *l. cum veterum l. si a sponso*. Procedereque idipsum, etiamsi antequam innocens ratam habeat dictam dissolutionem, nocens causam dissolutionis emendet, v. g. ex itinere redeat, & dein resiliat a sponsalibus, tenent Castrop. *num.* 18. Sanch. *loc. cit.* contra alios; eo quod uno ex contrahentibus inique resiliente, alter ipso jure obtinent libertatem, & acquirit jus tum retinendi accepta, tum recuperandi donata, *l. cum veterum*, satisque est, quod innocens causam illam dissolutionis sponsalium non remittat, etsi de cætero expresse & signanter illam non acceptet; siquidem prædictum jus lege sic disponente conceditur innocenti.

CAPUT QUINTUM.

De personis habilibus ad contrahendum sponsalia, & horum obligatione & effectu.

QUÆSTIO XLVI.

Quinam contrahere possint sponsalia.

Resp. omnes & soli, qui aliquando licite, & valide contrahere inter se possunt matrimonium, modo de præsente capaces sint præbere mutuo consensum, & nisi jure positivo prohibeantur; sive qui carent impedimento de se perpetuo ad contrahendum matrimonium; siquidem promissio rei illicitæ vel impossibilis, etiam juramento firmata, non valet. Dicitur primo: qui licite contrahere possunt matrimonium. Hinc prioribus sponsalibus indissolutis & validis, a neutro sponsorum alia sponsalia, cum tertio, vel tertia contrahi queunt valide; quia cum illo licite contrahi nequit matrimonium, etsi valide contrahere possint, & contrahant matrimonium. Dicitur secundo: qui carent impedimento de se perpetuo; quale verb. gr. est consanguinitatis, affinitatis. Etsi enim illud tolli possit per dispensationem, de se tamen est perpetuum, nulloque tempore accidente tollibile. Hinc promissio, qua consanguinei, vel affines aliove impedimento tollibili per dispensationem ligati promittunt sibi matrimonium, etiam sub conditione impetratæ dispensationis, non constituit sponsalia, quousque dispensatio impetretur; quia ante eam nullus ex contrahentibus (licet obligentur exspectare, & procurare dispensationem) jus habet in alterum ad matrimonii celebrationem. Castrop. *de sponsal. part.* 6. *num.* 1. videtur tamen hic intervenire aliquid quæstionis de nomine, dum ab aliis talia sponsalia dicuntur valida ante eventum dispensationis. E contra promissio de contrahendo matrimonio facta inter impuberes de facto valet, & constituit sponsalia, etsi pro eo tempore contrahere nequeant matrimonium; quia laborant impedimento contrahendi matrimonium de se non perpetuo, sed temporali tollibili accedente tempore citra dispensationem. Idem est de obstrictis voto castitatis ad unum alterumque annum. Quod autem impuberes septennio minores valide nequeant celebrare sponsalia, tametsi habeant solum impedimentum temporale contrahendi matrimonium, est, quod Jus Canonicum id specialiter prohibeat; unde additum in responsione: nisi jure positivo caveatur contrarium, Sed de hoc ex professo *Tit. seq.* Dicitur tertio: modo de præsente capaces sint præbere consensum: Nam tametsi carentes usu rationis aliquando, nempe pro tempore & casu, quo ad usum rationis redeunt, celebrare possint matrimonium, de præsente tamen nequeunt sponsalia celebrare; quia libertate destituti non sunt capaces obligationis. Unde sit

QUÆSTIO XLVII.

An & qualiter carentes usu rationis contrahere possint sponsalia.

1. Resp. primo: Sponsalia a furiosis, amentibus, & similibus carentibus usu rationis contrahi nequeunt ob defectum pleni, & deliberati consensus. Ita AA. communiter juxta *c. dilectus de sponsal.* censebitur autem quis sufficienter pollere usu rationis ad contrahendum valide sponsalia, si aptus existat ad merendum, vel demerendum vitam æternam. Castrop. *loc. cit. num.* 2. Sanch. *L.* 1. *de sponsal. d.* 10. *num.* 15. *juncto num.* 9. Videtur quoque non sufficere semiplena advertentia, qualis est in semi-ebrio, vel semi-sopito, & sufficit ad peccandum venialiter, non vero ad peccandum mortaliter, seu demerendum vitam æternam; cum per sponsalia contrahatur obligatio ad rem gravissimam, & summi momenti, nempe matrimonium. De cætero inquiunt iidem sine fundamento a D. Thoma, Petr. Ledesm. Henriq. Gutt. *de matrimon. cap.* 2. *num.* 12. requiri insuper discretionem, ut de futuris providere possint; cum Jura, nulla facta mentione discretionis, & providentiæ futurorum, non requirant nisi septennium, quo quidem præsumitur haberi discretio, non tamen illa providentia futurorum. Neque audienda est Gloss. *in cit. cap. dilectus v. furiosus*, dum videtur admittere a furioso valide contrahi, si alter contrahentium sit furoris conscius, eo quod tunc non patiatur injuriam. Nam nullitas talis non oritur ex injuria, quæ alteri furoris ignaro fieret, sed ex defectu deliberationis & libertatis.

2. Resp. secundo: Si tamen furiosus haberet quandoque lucida intervalla, posset horum tempore sponsalia, & matrimonium contrahere, ita ut etiam postmodum redeunte furore sponsalia, & matrimonium non reddantur invalida. Quamvis & tunc regulariter licite, & sine peccato non contrahantur, dum perpetuo furiosus ineptus est ad prolem educandam, nisi forte id munus alteri committi posset. Sanch. *L.* 1. *d.* 8. *num.* 15. *& seq.* quem citat Pirh. *loc. cit. num.* 10 Krimer. *loc. cit. num.* 117. Videtur tamen etiam causa sufficiens resiliendi a talibus sponsalibus contractis tempore lucidi intervalli, dum pars altera credidit furorem imposterum cessaturum. Porro dum dubitatur, an actus a furioso gestus tempore furoris, vel lucidi intervalli præsumitur gestus tempore furoris; quia furor præsumitur durare semper, nisi præsumatur ex actus qualitate, eum gestum tempore sanæ mentis Sanch. *num.* 17. Pirh. *loc. cit.* & alii ex Barbos. *in cap. dilectus num.* 6. Quod dictum de furioso & amente, locum quoque in ebrio habet, dum tempore ebrietatis contrahit sponsalia; quia & hic caret consensu libero & deliberato. Sanch. *loc. cit. num.* 29. Item in correpto æstu iracundiæ turbante usum rationis, ita ut adimat debitam intellectus deliberationem necessario requisitam ad consensum plenum, de quo intelligendæ *l. quidquid calore ff. de reg. juris*, *l.* 3. *ff. de divortiis*, dum dicunt, quod calore iracundiæ factum est, nullius roboris & momenti reputari, & pro infecto haberi, nimirum dum agens ita motu iræ concutitur, ut quid agat, fere non percipiat, ut Menoch. & alii apud Barbos. *in c. dudum de convers. conjugat. num.* 2. Eum autem calorem iracundiæ fuisse tantum, ut impediverit voluntarium ad peccatum mortale requisitum, adeoque valorem promissionis matrimonii, merito præsumi potest, si sedato animo in promissione prius facta non perseveret. Vix tamen locum dicta habent in promittente matrimonium in vehemente & cæco æstu libidinosi amoris; eo quod licet is multum obnubilet rationem, dicaturque furor & amentia quædam; vix tamen unquam tantus sit, ut excuset simpliciter operantem a peccato gravi; adeoque vix unquam in foro externo præsumi possit defuisse sufficiens deliberatio & consensus, & Judex in casu istiusmodi dubitandi judicare debeat secundum ea, quæ plerumque contingunt, ut dicitur in *c. inspicimus*, *de reg. jur. in l. c.* Krimer *numer.* 119. Gobat. *Theolog. experim. tr.* 10. *num.* 27. Quamvis, ut Idem *numer.* 26. negari nequeat, eam promissionem in circumstantia libidinosi æstus in vetante copulam non raro esse dubiam, & ambigi de sufficiente deliberatione. Quod si tamen quis ita contraheret: volo, ut si in ebrietate etiam plena aut æstu iracundiæ promisero tibi matrimonium, obliger tibi ad illud contrahendum, & pars altera id acceptet repromittendo, erunt quidem sponsalia, sed non formaliter vi istius promissionis factæ in ebrietate, sed antecedentis voluntatis libere habitæ ante ebrietatem sese obligandi, & dicta promissio facta in ebrietate habebit se tanquam conditio.

QUÆSTIO XLVIII.

Utrum surdus tantum, & mutus tantum, & mutus & surdus simul, vel etiam insuper cæcus contrahere possint sponsalia.

1. RESp. ad primum: De surdo tantum & muto tantum non esse dubium, quin valide contrahere possint sponsalia. Quin etiam surdi & mutui simul a nativitate contrahere possunt sponsalia, & matrimonium, *c. cum apud h. tit.* Sanch. *l. 1. de sponsal. c. 8. n. 12.* Pirh. *l. c. n. 11.* Sunt enim tales satis perspicacis ingenii, ut signis doceri possint, quid sit matrimonium, & nutu, aliisve signis indicare consensum; cum etiam confiteri, & absolvi possint a peccatis.

2. Resp. ad secundum: Surdum simulque mutum, & cæcum contrahere posse sponsalia, & matrimonium, negat Sanch. *l. c. num. 13.* eo quod mutus solis signis instrui possit, quid sit matrimonium; cæcus autem hæc signa percipere nequeat, nec etiam verba, cum simul sit surdus. Estque hoc verum moraliter loquendo & ordinarie, etsi forte physica non sit impossibile, ut tales ob perspicaciam ingenii sola ratione naturali cognoscant rationem Sacramenti matrimonii, ut Pithiog. ex Tanner. *tom. 4. disp. 8. dub. 2. numer. 32.*

QUÆSTIO XLIX.

Num raptor cum rapta contrahere queat sponsalia.

RESp. Quemadmodum matrimonium jure novo Trid. *Sess. 24. de reform. matr. c. 1.* contractum a raptore cum
rapta, quamdiu hæc est in ejus potestate, irritum est, ita
quoque sponsalia inter tales contracta esse irrita, exinde
inferunt propter paritatem rationis, quæ est defectus ple-
næ libertatis. Sanch. *l. 7. de matr. d. 13. num. 271.* & ex il-
lo Robert. Konig. *tract. de jure matrim. Princip. & privator.*
tit. 7. in 4. decret. p. 3. §. 5. Contrarium tradit Perez. *de ma-*
tr. disp. 38. sect. 4. num. 8. & ex eo Wiestn. *de imped. matr.*
ar. 16. n. 9. quorum fundamentum fere consistit in dilutione
fundamenti oppositæ sententiæ. Nam imprimis negant pa-
ritatem rationis, quæ in matrimonio irritando fuit defectus
omnimodæ & plenæ libertatis, utpote quod semel contra-
ctum valide nullo jure humano rescindi potest; talis autem
plenitudo libertatis non requiritur in sponsalibus, utpote
quæ etiam valide contracta facile rescindi possunt; adeoque
non exigunt tantam immunitatem a vi & metu, quantam
exigit consensus in matrimonio contractum semel factum non
amplius rescindibilem. Quin & negant illud principium ab
adversariis assumptum, quod lex etiam correctoria juris an-
tiqui & pœnalis extendi debeat ad casum, in quo eadem
omnino militat ratio; eo quod, cum tota vis legis & juris
positivi pendeat a voluntate legislatoris ex justa ratione pro-
cedentis, in tali casu, identitas rationis quidem bene con-
cludat, etiam alterum, in quo est eadem omnino, vel
etiam major ratio, æque dignum prohibitione, non autem
concludat esse æque prohibitum, nisi probetur voluntatem
legislatoris ex illa ratione motam, tam ad hoc, quam ad
illud prohibendum, uti contingit, dum prohibitio est uni-
versalis, & casus non expressus continetur sub universa-
li, ex qua est illatio necessaria ad particularia sub illa uni-
versali contenta, ut Barb. *tract. locor. com. arg. a loco 68. nu. 3.*
Ostendunt hoc ipsum exemplis. Primo, dum *c. quanto de di-*
vortiis, ubi Papa consultus, num uno conjugum incidente
in hæresin, alter possit ad secunda vota transire, rescribit,
& affirmat, id fieri posse, dum unus infidelium conjugum
convertitur ad fidem, altero in infidelitate permanente, aut
nullo modo illi cohabitare volente, aut non nisi cum injuria
creatoris, vel periculo perversionis. Negat autem, si unus
conjugum labitur in hæresin, aut errorem gentilitatis, etsi
in hoc major (ut inquit textus) appareat injuria creatoris.
Secundo, dum dispositio (quæ juxta plures est correctoria ju-
ris antiqui & odiosa, utpote restringens jus asyli, seu favo-
rem Ecclesiarum, secundum alios vero etiam favorabilis,
utpote directe intendens reverentiam & favorem Ecclesiæ,
intellige in casu homicidii commissi in Ecclesia) per quam
ab asylo Ecclesiæ excluduntur rei assassinii, læsæ majesta-
tis, depopulationis agrorum, homicidii vel mutilationis com-
missæ in Ecclesia, extendi non debeat ad casus non expres-
sos, etiam graviores ex ulla quantumcunque causa gravi, ne
quidem ob paritatem, aut etiam majoritatem rationis, ut
constat ex Constit. Gregor. XIV. quæ incipit: *Cum aliat nonnulli, edita anno 1591.* Unde jam etiam generaliter non subsistit dictum principium in subordinatis, ita ut, quando est eadem omnino ratio, dispositio, quo ad unum afficiat etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur, nisi ad summum (intellige in prohibitionibus) dum subordinatum ducit ad id, cui subordinatur, illicite & invalide faciendum; jam vero sponsalia inter raptorem & raptam fieri possunt de celebrando matrimonio, tunc, quando rapta fuerit in tuto & extra potestatem raptoris; adeoque non est, unde sponsalia illa invalidentur.

QUÆSTIO L.

An & qualem obligationem pariant sponsalia de futuro.

1. RESp. Primo: Imprimis sponsalia celebrata inter puberes pariunt obligationem contrahendi matrimonii, *c. Atbo c. dispensata c. de conjugali 27. quæst. 2. c. ex literis c. requisivit. h. tit.* standumque in hoc juri canonico, per quod jus civile, quo desponsata alteri nubere non prohibetur, correctum sentiunt fere omnes. Sanch. *l. 1. de matrim. disp. 28.* Gutt. *de matrim. cap. 15. num. 1.* Castropal. *de sponsal. part. 7. numer. 1.* Dixi celebrata inter puberes; nam contracta inter impuberes, cum hæc adveniente pubertate dissolvi possint, cessat obligatio, *c. a nobis de despons. impub.*

2. Resp. Secundo: Est hæc obligatio naturalis; jure enim naturali obligamur servare fidem alteri legitime datam & acceptatam, implereque pacta & utrinque conventa; ergo, cum sponsalia habeant rationem pacti, (sunt enim contractus nominatus) pariunt obligationem naturalem, & vinculum conscientiæ obstringens sub peccato. Pariunt item obligationem civilem, qualis arguitur, quando contra violantem aut renuentem implere obligationem jure constitutam vel approbatam alteri conceditur actio, nimirum jus persequendi, hoc est, legitima facultas, seu authoritas permittens persequi in judicio id, quod sibi debetur; at sponsalibus de futuro legitime contractis conceditur actio tam jure civili, quam canonico; quia sunt contractus, qui jure civili actionem parit, & quia habent positivam juris canonici assistentiam.

3. Resp. Tertio: Est obligatio gravis seu sub peccato mortali; quia circa materiam gravem, qualis est matrimonium contrahendum. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *l. 1. de sponsal. d. 27. num. 2.* cum communi; & quidem non solius fidelitatis (nisi forte contrahentes contra naturam alias sponsalium, aut etiam promissionis, ita restrinxissent intentionem suam, ut neuter alteri voluerit se obligare ad constituendum promissario jus exigendi promissum, sed solum ex fidelitate & veracitate, quæ virtutes secundum Caiet. *t. 2. quæst. 423. ar. 1.* & quosdam alios inducunt solum obligationem sub veniali conformandi facta dictis repromissis) sed veræ justitiæ, ita ut, si non stetur conventioni huic sponsalitiæ, agatur contra jus alterius, inferatur ei injuria; promissio siquidem acceptata est pactum, quod est consensus plurium in idem, *l. 1. ff. de pactis*, & ex accepta promissione promissarius acquirit jus exigendi promissum, diciturque is, cui pactum non servatum, passus injuriam, *c. 1. & c. qualiter de pactis*, ac denique omnis contractus obligat ex justitia. Pirh. *h. tit. num. 15.* cum communi; jam vero sponsalia sunt verum pactum, & promissio utrinque facta & acceptata contractus nominatus; facio, ut facias; ergo ex dictis infero, &

4. Resp. Quarto: Ex dicta obligatione contrahendi matrimonium orta ex sponsalibus, oritur obligatio abstinendi ab omni eo, quod eorum executionem impedire potest inste, religionis ingressu excepto; cum obligatus ad finem consequendum tacite quoque obligetur, ne huic consecutioni impedimentum præstet, Castrop. *loc. cit. num. 3.* cum Coninck *disp. 22. dub. 1. concl. 2.* sequi quoque videtur, sponsos fornicantes cum aliis peccare non solum peccato intemperantiæ, ut docent satis probabiliter Pontius *de sponsal. l. 12. c. 6. num. 8.* Henriq. *l. 11. c. 18. num. 4.* Covar. & alii apud Castrop. *num. 4.* ex ea ratione, quod non peccetur contra fidelitatem, seu non violetur fides, quippe quæ data tantum de contrahendo matrimonio; non autem de non fornicando interea cum aliis; neque committitur injustitia; eo quod, quamdiu sunt sponsalia, nec dum corpus unius sit alterius, ac proinde fornicando tradatur alienum; sed & committitur infidelitas & injustitia; adeoque hæc circumstantia in confessione fornicationis exprimenda, prout probabilius docent Sanch. *de sponsal. l. 1. d. 2. n. 5. & 6.* Coninck. *l. c. nu. 6.* Mol. *tom. 3. d. 73. nu. 8.* Laym.

L. 5. tract. 10. cap. 1. num. 6 Gutt. *de matrimon. cap. 5. sub finem*, quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit. numer. 5.* Ratio est, quia imprimis sponsi sibi invicem fidem dant de corpore nemini alteri tradendo, nisi sibimet; sed, dum alteri extra matrimonium copulantur, alteri tradunt corpus, cujus usus erat sponso reservatus. Dein sponsi sibi invicem jus acquirunt per sponsalia, ut sibimet, & non alteri corpus alterius tradatur, etsi traditio corporum de facto necdum sit. Ad quod tamen satis plausibiliter dici videtur; acquiri per sponsalia jus, ne corpus sponsi tradatur alteri per contractum matrimonii, seu stabiliter; non vero, ne tradatur alteri per fornicationem, & quasi transeunter, quemadmodum venditor equi obligatur ad tradendum emptori equum, ut is tanquam proprietarius utatur illo pro libitu suo; non tamen obligatur ante traditionem illius ad non permittendum alteri usum equi pro una alterave vice, si per hoc equus non deterioretur; quod ipsum efficaciter diluere non videtur Castrop. dicendo simpliciter, & non probando, falsum esse, quod sponsus non obligetur ad non tradendum corpus alteri per copulam fornicariam, cum traditio hæc per copulam fornicariam sit detestabilior, quam matrimonialis traditio. Nam si loquatur de traditione matrimoniali corporis, quæ fit per matrimonium contractum, & non de traditione corporis consistente in ipso actuali usu corporis in matrimonio, detestabilius videtur peccatum violatis sponsalibus tradere corpus alteri, seu contrahere cum alia matrimonium, quam stantibus sponsalibus fornicari cum alia. De cætero docet Sanchez *loc. citat. num. 6.* cum aliquibus per fornicationem factam a sponso non irrogari sponsæ gravem injuriam, & consequenter non committi gravem injustitiam; eo quod communi æstimatione nulla aut exigua irrogetur infamia sponsæ per hoc, quod ejus sponsus sit fornicatus cum alia, neque sponsa eam injustitiam magni ducat; cum videat ob hominum malitiam id frequens esse in sponsis; secus accidit, dum sponsa fornicatur cum alio, cum ea fornicatio graviter injuriosa sit sponso, non solum ob periculum concipiendæ prolis, sed & ob infamiam, quam incurrit ducendo talem, quæ tanta est, ut vix etiam infimæ sortis velit ducere corruptam ab alio. Quæ infamia & injustitia non tollitur per hoc, quod fornicatio sponso, aliisque sit incognita; cum hoc sit per accidens, dum fornicatio hæc per se sit apta causare talia damna. Quæ tamen distinctio non placet Gutt. *loc. citat. capit. 5. numer.* 10. ConincK, *loc. cit. dist. 1. circa finem*, Pont. *loc. cit.* Castrop. *cit. part. 7. num.* 6. sed putant adhuc gravem committi injustitiam, & injuriam inferri sponsæ per fornicationem sponsi ex eo, quod fornicatio tam sponsi, quam sponsæ præstat parti innocenti sufficientem causam solvendi sponsalia, & delinquentem repudiandi, *c. quemadmodum de jurejur.* dissolutio autem sponsalium & delinquentis repudiatio sit grave quid, & repudiato graviter nocivum, adeoque supponit gravem injustitiam, ex qua oritur. Item quod ex illa fornicatione sponsi nasci possit proles sumptibus sponsæ alenda non sine gravi præjudicio sponsæ. Ac denique, quod per hoc detur sponsæ causa gravis tristitiæ, dum videt aliam fœminam plus diligi a sponso, & justo timere potest, ne sponsus idem faciat contracto matrimonio. Porro licet dicta fornicatio sit contra justitiam, non habet tamen rationem adulterii, ut Castrop. *num.* 8. Sanchez *L. 1. d. 2. num. 2.* Gutt. *num.* 16. cum communi. Adulterium siquidem est alieni tori violatio, *L. inter §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* at dum corpus sponso promissum, necdum tamen traditum est, non est totum illius, siquidem eo uti non potest; ergo usus, quo alius utitur illo, non est violatio tori alieni. Item adulterium *cit. l. inter* definitur, quod sit accessus ad nuptam, sponsa autem de futuro non est adhuc nupta, ergo accessus ad eam non est accessus ad nuptam.

QUÆSTIO LI.

Quandonam obligatio sponsalium exequenda.

RESP. Dum terminus certus non est præfixus executioni (is enim alias servandus est, nisi statuatur aliud lege vel sponsorum mutuo & legitimo consensu facta illius prorogatio) non statim, data tamen opportunitate, obligationem dandam executioni, sed tunc quando pars contrahens requisierit, docent Sanchez *l. 1. d. 28. num. 2.* Gutt. *de matrimon. cap. 15. num. 5.* juxta generale principium, quod debitor obligatus non sit solvere debitum, nisi requisitum, dum terminus præfixus non est; eo quod debitor non exigens debitum tacite dilationi consentiat; secus sit, si ob nimiam verecundiam, reverentiam, debiti ignorantiam, vel alterius inconvenientis timorem omittit exigere, uti sæpe in sponsalibus ex parte fœminarum contingit, quæ, etsi maxime appetant sponsalia perfici, petere tamen non audent ob naturalem pudorem, vel ob sponsorum timorem, ne tædio affecti desistant. E contra tenet Castrop. *num.* 2. citans pro hoc Pont. *loc. cit. cap. 6. num.* 1. Con. *loc. cit.* Bartolom. Ledesm. *de matrimon. dub. 13. sub initium*, teneri sponsos sponsalia absoluta & pura exequi ab ea die, qua contracta, seu quamprimum opportune fieri potest; Arg. *L. in omnib. obligat. ff. de reg. Jur.* ubi: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; & *L. cum qui ff. de V. O.* ubi: *quod sine termino debetur, statim debetur.* Secus est in mutuo & precario, quæ non statim, ac contrahuntur, debent reddi, sed arbitrio prudentis; cum alias nullius essent utilitatis. Fatetur tamen Castrop. regulariter loquendo aliquem a sponsalibus, alteriusve debiti solutione debitorem excusatum esse creditore non exigente; quia creditur tacite consentire dilationi, nisi omittat exigere ob gravem verecundiam & metum reverentialem &c. Sed dicit, hanc excusationem esse per accidens; quia debitum, excepto precario & mutuo, per se debeatur a die, quo contractum est.

QUÆSTIO LII.

Qualiter obligentur, qui pro aliis sponsalia promittunt.

RESP. Tametsi promissio pure alieni facti proprie & in rigore sit nulla, adeoque nullam inducat obligationem, utpote de re, quæ sub promittentis dominio & potestate non est. Tametsi etiam jure communi (intellige civili) sit nulla; quia accipitur pro ut verba sonant; Jure tamen Canonico promissio facti alieni (adeoque & matrimonii contrahendi a Titio) valida est & firma, non quatenus est facti alieni, sed quatenus facti proprii; sonus enim verborum est facti alieni, sed sensus est facti proprii. Siquidem promittens factum alienum, non ipsum, sed curam & diligentiam, ut efficiatur, promittit. Castrop. *loc. cit. part. 5. num. 3.* Molin. *tract. 2. d. 258.* Sanch. *l. 1. d. 24. num. 2. &c.* hinc promittens Titio filiam suam in matrimonium, eo hanc promissionem acceptante, obligatus est serio ac diligenter procurare filiæ consensum, nec sufficit ficte ac simulate eum procurare, cum ea non sit procuratio, sed procurationis simulatio. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *num.* 12. Gutt. *de matrimon. cap.* 14 *num.* 5. Quod si tamen promissioni facti alieni, scilicet matrimonii (idem est de sponsalibus) a tertio contrahendi pœna adjecta est, eam solvere non est obligatus promittens effectu non secuto, si diligentiam debitam, ut sequeretur, adhibuit; non enim justum est, pœna affici, qui nullius culpæ reus est. Molin. *d.* 268. Gutt. *num.* 6. Sanch. *lib. 1. d. 25. num.* 3. Castrop. *num.* 4. Secus tamen est, casu quo promissor intenderit se ad solutionem pœnæ obligare effectu non secuto, tametsi omnem diligentiam adhibuerit; quia tunc tenetur ad solutionem, non quatenus pœna est, sed quatenus est facti alieni compensatio. Castrop. *num.* 5. citatis Marant. *in qq. pract. quæst. 7. numer.* 23. Covar. *de pactis part. 2. sect. 5. num.* 5. Sanch. *num.* 6. Gutt. *numer.* 8. Quemadmodum etiam promittens fraudulenter, nimirum sciens aut scire debens factum alienum eventurum non esse, obligatus est æstimationem rei promissæ solvere, quia promissarium decepit. Molin. Castrop. *ll. cit.* Sanch. *numer.* 5. Gutt. *num.* 7.

QUÆSTIO LIII.

Qualiter compellendus, qui renuit implere sponsalia.

1. RESP. Injuste renuens implere sponsalia, in foro tam interno quam externo ad ea complenda, seu ad contrahendum matrimonium compelli potest. In foro quidem interno seu conscientiæ pœna omnibus existentibus in peccato, & nolentibus ab eo desistere communi, nempe per negationem Sacramentorum. Castrop. *loc. cit. p. 8. num.* 1. In foro vero externo seu judiciali per Judicem ecclesiasticum commonendus prius est, ut obligationi suæ satisfaciat, sin minus, censuris ecclesiasticis compellendus est. Castrop. *loc. cit. num.* 2. Sanchez *l. 1. d.* 29. Gutt. *cap. 15. num.* 2. Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 1. num.* 4. Pirhing *h. t. num.* 17. Pont. *l. 12. cap. 4. num. 2. &c.* cum communi juxta *cap. ex literis il 2. h. tit.* quin & incarceratione aliisque pœnis, ut Castrop. citatis iisdem AA. quia Judex ex officio tenetur procurare, ne subditi injuriam patiantur, neve jus eis debitum negetur; adeoque si a subditis injuriam patientibus requiratur, ut injuriantem com-

compellat ad desistendum ab injuria, isque persistat; obligatus est ea uti compulsione, qua prudenter judicaverit, hic & nunc opus esse ad dictæ injuriæ remotionem. Proceduntque hæc ipsa, sive sponsalia jurata sint, sive non; tametsi enim *cit. cap. ex litteris*, loquatur de sponsalibus juratis, & ibi dicat Pontifex: *Quia contra juramentum venire periculosum est, mandamus, ut eum moneas, & si monitis non acquieverit, censura compellas, ut in uxorem recipiat &c.* decisio tamen non nititur juramento, sed sponsalium obligatione & injustitia, quæ committitur per non impletionem sponsalium, sive ea jurata sint, sive non. Pirh. Castrop. *LL. cit.* quamvis, ut iidem cum Sanch. *lib. 1. d. 29. num. 4.* arctius cogendus sit resiliens, dum sponsalia jurata sunt, & arctissime, si puella sub ea fide deflorata.

2. Neque his obstat primo, *cap. requisivit h. t.* ubi: *mulier quæ juravit nubere alicui, si postea non vult, monenda potius quam cogenda, quia matrimonia debent esse libera, & coacta sæpe habent exitus difficiles*; nam *vò potius* accipiendum est pro *vò prius*, ita ut sensus sit, prius monendam, & postmodum, si monita non acquieverit, cogendam, sive præcipue utendum monitione, & coactione nonnisi secundario, minus principaliter, & non proficiente monitione; & hoc modo *dictum cap.* non contradicit *cap. ex litteris*. Pirhing *loc. citat. numer. 20.* & alii apud Barbos. *in cap. ex litteris*. Sed neque talis compulsio, seu coactio obstat libertati matrimonii; ad quod requiritur, ut liberum sit ab omni necessitate extrinseca; non vero etiam ab omni intrinseca, orta nimirum ex jure naturali, supposito libero consensu contrahentium sponsalia, & quam sibi ipsi contrahentes voluntarie & libere injecerunt; quin & per metum gravem verb. gr. intentatæ excommunicationis vel incarcerationis, juste tamen incussum non vitiatur matrimonium. Krimer. *ad 4. decret. n. 176.* adeoque non subsistit universaliter intellectum, quod ait Pirhing *h. t. n. 20.* matrimonium ejus, qui libere sponsalia contraxit, metu graviter postmodum contractum est ipso jure nullum. Nihilominus argumento & occasione dicti *c. requisivit*, observant & monent Gutt. *de matr. cap. 1 n. 2.* Con. *d. 22. dub. 1. n. 10.* Castrop. *n. 3.* Pirh. *n. 19. & 20.* & AA. passim, Judicem uti debere coactione moderata, & ad aliquod breve tempus, & non absolute & in perpetuum; quin &, cum tales coactiones, ut dicitur *cit. c. requisivit*, soleant habere exitus difficiles, dum prævidentur & juste timentur publica scandala & gravissima mala, expedit quandoque abstinere a tali compulsione, & sic permittere minus malum (quale est violatio sponsalium) ut majus malum (quale sunt dicta scandala) evitetur, præsertim cum spectet ad Judicem cogere sponsos ad matrimonium contrahendum, si id expediat ad finem matrimonii, non vero ubi id repugnaturum creditur huic fini, qui est mutuum obsequium & conjugalis amor, quem sibi invicem exhibere debent conjuges. Unde si videat Judex, se nihil profuturum censuris, aliisque pœnis, alia via compellendus erit resiliens, ut parti læsæ satisfaciat, Sanch. *cit. d. 29. num. 7.* Quin etiam ubi videt, se jam imposita censura nihil proficere, & sponsum pertinacem remanere, debere ab ea illum absolvere etiam non petentem, docent Sanch. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit.* citans Covar. *in epitom. 4. decret. part. 2. cap. 4. n. 5.* Castrop. *cit. num. 3.* ne censura coactus fingat consensum, & sponsa deflorata recedat.

3. Neque secundo obstat *L. stipulationes §. Celsus de V. O.* ubi deciditur, in obligationibus facti neminem compelli, sed soluto interesse liberari; nam id intelligendum, ut Castrop. *n. 4.* de factis, quæ æstimationem recipiunt; cum horum obligatio ex tacita contrahentium voluntate non sit ad factum præcise, sed ad factum vel illius interesse; secus de factis, quæ æstimationem non recipiunt, seu pretio compensari nequeunt, ut sunt sponsalia & matrimonium.

QUÆSTIO LIV.

Quis sit Judex compulsionis in hac materia, & dum adest causa dissolvendi sponsalia, a quo ea debeat judicialiter cognosci.

1. RESP. Ad primam: ubi movetur quæstio de valore sponsalium, vel de causa ea dissolvendi, Judex cognitionis est tantum Judex ecclesiasticus; quia agitur de jure spirituali, seu vinculo annexo causæ spirituali & peccato vitando. Si vero agatur de solo facto vel obligationis executione, Judex compulsionis esse potest tam laicus, quam ecclesiasticus; uterque enim compellere potest resilientem, ut contractum observet, etiamsi juramento firmatum. Castrop. *cit. part. 8. num. 6.* citatis Abb. *in cap. ex litteris il 2. h. t. num. 4.* Sanch. *L. 1. d. 29. num. 9.* Gutt. *de matr. cap. 35. num. 8.* Pont. *L. 12. cap. 6. num. 5. &c.*

2. Resp. Ad secundum: Dum causa resiliendi justa allegatur, & defertur ad Judicem, opus non esse eam judicialiter cognosci, sed satis esse, si Judex ex iis, quæ præ oculis habet, eam intelligat, tradit Sanch. *loc. cit. num. 6.* citans pro hoc Gutt. *cap. 15. n. 2.* Pont. *ubi ante n. 5. in fine*, contrarium, nempe opus esse judiciali cognitione, censet Castrop. eo quod, cum Judex officio obligatus sit compellere resilientem sine causa, nequeat ab hac obligatione publica liberari, nisi ex causa authentice probata.

QUÆSTIO LV.

Quis præter obligationem sit effectus sponsalium.

RESP. Illum esse duplicem, nempe impedimentum duplex matrimonii cum alio: Primum impedimentum est impediens matrimonium cum quocunque vel quacunque alia; dum nimirum stantibus sponsalibus, tam sponsus quam sponsa impeditur contrahere matrimonium cum tertio, ita ut, si alteruter sponsorum violata fide contrahat matrimonium cum alia, vel alio, contractus hic matrimonialis valeat quidem, nec compelli possit ullatenus, ut redeat ad priorem sponsum, vel sponsam, peccet per hoc tamen mortaliter, & ad injuriam & damnum illatum alteri compensandum compelli possit. Alterum impedimentum non tantum reddens illicitum matrimonium cum alio, sed & dirimens illud contractum cum consanguineis alterius; diciturque impedimentum publicæ honestatis, ex eo, quod regulariter minus decens & justum videatur, ut sponsus in uxorem habeat sponsæ suæ consanguineam, vel sponsa in maritum consanguineum sui sponsi. Verum de hoc commodius infra, ubi de impedimentis matrimonii dirimentibus.

CAPUT SEXTUM.

De dissolutione Sponsalium.

QUÆSTIO LVI.

An & qualiter per ingressum religionis solvantur sponsalia.

1. RESP. Primo: Indubitatum esse solvi ea ex parte utriusque per ingressum religionis professione secuta in religione approbata; siquidem hac etiam solvuntur sponsalia de præsente, seu matrimonium ratum, ita ut etiam alteri parti sit licitum transire ad secunda vota, seu nubere alteri, prout hæc clare habentur *cap. 2. de convers. conjugat.*

2. Resp. Secundo: Per ingressum religionis, vel potius novitiatus, sive animo vero, sive ficto emittendi professionem, hac non secuta, solvuntur sponsalia ex parte remanentis in sæculo, ita ut illa mox deobligetur, possitque licite contrahere matrimonium cum alio. Sanch. *L. 1. d. 42. num. 2.* Gutt. *cap. 25. num. 1.* Pont. *loc. cit. cap. 10. num. 3.* Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 2. num. 2.* Rebell. *de matr. l. 4. quæst. 6. sect. 6.* Castrop. *part. 18. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 50.* cum communi contra Covar. Cajet. Palud. Pet. Ledesm. & alios apud Sanch. *loc. cit.* sponsalia siquidem de futuro hanc tacitam imbibunt conditionem; si non contingat notabilis mutatio, seu non reddatur sponsus vel sponsa deterior; jam vero dubium non est per illum ingressum in novitiatum, & assumptionem habitus religiosi, ejusque abjectionem fieri notabilem mutationem, dum non levi probro tribueretur remanenti in sæculo, si teneretur recipere in sponsum vel maritum aut uxorem eum, vel eam, qui, vel quæ habitum Religiosum excussit & religionem deseruit. Item gravi foret oneri, si toto tempore novitiatus deberet eum expectare. Adde, quod ingrediens novitiatum, præsertim animo vero emittendi professionem, ipso hoc facto suo censeatur renunciare sponsalibus, & alteri

parti

parti remittere obligationem. Econtra non solvuntur ea parte ingredientis ante emissam professionem, ut probabilius docent Layman *loc. cit. num.* 3. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Pont. *loc. cit.* Henriq. *L.* 15. *cap.* 14. *num.* 3. Pirh. *cit. num.* 50. contra Sanch. Gutt. *L.L. cit.* Tolet. *l.* 7. *capit.* 21. Sylv. *v. sponsalia, quæst.* 10. *cas.* 2. siquidem imprimis per hoc sponsalia non solvuntur ea natura rei; cum possit ex novitiatu exire & complere sponsalia, dum talis ingressus in religionem, seu novitiatus non sit status aliquis incompossibilis cum matrimonio. Sed neque jus ullum positivum dissolutionem sponsalium ex tali causa concedit, male etiam ex eo, quod jus id concedat in favorem religionis, respectu matrimonii rati tantum, infertur, concedi quoque id ipsum respectu sponsalium; cum in his, quæ a jure positivo pendent, non sit argumentandum ab uno casu ad alterum, maxime, ubi est diversa ratio, uti est in præsente, dum professio constituit statum perfectionis, quam religiosus delerere non potest; novitiatus vero neque est status, neque via firma ad statum, cum non includat obligationem emittendi professionem, sicut sponsalia includunt obligationem contrahendi matrimonium. Neque denique solvuntur ab extrinseco, nimirum ex eo, quod pars remanens in sæculo obligationem ingredienti novitiatum remittere præsumatur; quia illa præsumptio nullo fundamento nititur; dum licet, ut dictum, ex assumptione in maritum vel uxorem, qui habitum religionis abjecit, oriatur dedecus aliquod, frequentissime tamen pars altera hoc non attento parata sit cum tali contrahere matrimonium, si egrediatur, & hinc non gravetur exspectare absolutionem novitiatus. Neque opponi potest, quod sicut obligatio voti religionis facti bona fide, seu animo perseverandi solvitur per ingressum in religionem, ita ut licet contingat voventem ex justa causa rursus egredi ad sæculum, sit tamen liber a voto; ita etiam sponsalia solvi per ingressum religionis factum bona fide, ut licet contingat eum justa de causa egredi, tamen liberetur ab obligatione sponsalium; nam disparitas in eo est; quod votum ingrediendi religionem, utpote imbibens hanc tacitam conditionem: si religio mihi placuerit seu conducat, jam impletum sit per ingressum in novitiatum bona fide factum, adeoque egrediens justa de causa jam amplius eo non obligetur; sponsalia vero per talem ingressum non sunt impleta, cum talem conditionem non imbibant.

QUÆSTIO LVII.

An post consecrata sponsalia & juramento firmata liceat ingredi religionem.

RESp. affirmative: ita Sanch. *L.* 5. *d.* 43. *a num* 3. Gutt. *cap.* 25. *num* 2. Pont. *cit. cap.* 10. *a num.* 9. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 3. Castrop. *cit. part.* 18. *num.* 5. contra Rebellum, *loc. cit. quæst* 8. *sect.* 6. *concl.* 2. Nav. Vegam & alios apud Sanch. natura enim matrimonialis promissionis, cui adhæret, & quam sequitur juramentum, imbibit hanc conditionem: nisi promittens velit etiam ingredi religionem: quæ conditio, cum non insit sponsalibus jure positivo, sed ea naturali aut divino privilegio ob perfectionem status religiosi majorem, non potest ab Ecclesia ab iis excludi; sponsalia enim jurata exequi, non est ita perfectum, ac est status religiosus. Neque opponas primo *c. commissum h. t.* ubi, cum quidam, postquam fœminæ sub juramento fidem dedisset de matrimonio contrahendo, vellet ingredi religionem, consultus Papa respondit, tutius esse religione juramenti servata, postea (hoc est, contracto matrimonio, eoque non consummato) si elegerit (hoc est, persistat in animo ingrediendi religionem) ad religionem migrare: ergo non licet post contracta sponsalia jurata, non contracto prius matrimonio religionem ingredi: nam negatur sequela; non enim dicit Papa, non licere ingredi religionem, non contracto prius matrimonio; sed dicit esse tutius prius contrahere, & postmodum ante consummationem ingredi; quod solum est consilii, ut Sanch. *d.* 43. *num.* 3. Barbos. *in cit. c. numer.* 2. & hæc est communis interpretatio *cit. cap.* Quin etiam, ut addit Castrop. citatis Sanch. Gutt. Covar. juvenem illum, de quo *cit. c. commissum*, nondum firmiter statuisse de ingressu religionis, ut colligunt ex illis verbis: *Si postea elegerit religionem, & ad eam suspiret:* quo casu sine dubio tutius erat juramentum implere, quam cum non deliberatione religionem ingredi, aut etiam protrahendo matrimonium sub religionis tepido desiderio exponere se periculo violandi juramentum. Posse autem aliquem inire matrimonium animo ingrediendi religionem ante consummationem, certum videtur, quia utitur jure sibi concesso; esse tamen hoc ipsum peccatum contra charitatem, si matrimonium ineatur isto animo sponsæ non manifestato (nisi forte ex ista manifestatione damnum aliquod tali animo contrahenti immineat) docent Castrop. *num.* 7. Sanch. *d.* 43. *num.* 12. Gutt. *cap.* 25. *num.* 5. eo quod præsumi possit sponsam non consensuram contractui, si eum animum sciret, cum cogatur esse absque nuptiis, quousque talis profiteatur, vel etiam, si is religionem deserat, esse uxor illius, qui fuit monachus. Quod si tamen etiam interesset alterius ex contrahentibus, matrimonium prius contrahi, V. G. quod hac ratione famæ fœminæ consulatur, & proles ex ea nata legitimaretur, Sanch. Gutt. Henriq. apud Castrop. *loc. cit. num.* 5. censent non posse talem ingredi religionem. Quod certum est, ubi spe matrimonii deflorata mulier; vel etiam, si non secuta copula, gravem tamen famæ jacturam fecit; cum talis non potest injuriam virginitatis, aut famæ aliter resarcire. Pirhing *numer.* 54. citans Sanch. *lib.* 1. *d.* 44. *num.* 3. & 4.

QUÆSTIO LVIII.

An & qualiter sponsalia dirimantur susceptione ordinis sacri.

1. RESp. Ad primum: Affirmative est communis; quia per susceptionem ordinis sacri assumitur status incompatibilis; cum matrimonio, seu quo quis redditur inhabilis ad matrimonium contrahendum.

2. Resp. Ad secundum: Solvuntur tamen hac ratione sponsalia illicite; seu illicite, renuente sponsa, suscipiuntur ordines sacri, Pirh. *h. t. num.* 55. Castrop. *part.* 19. *num.* 2. citatis Rebell. *l.* 4. *de matrim. quæst.* 9. *sect.* 9. Sanch. *d.* 47. ConincK *d.* 23. *dub.* 3. *num.* 25. contrarium sentientibus Pont. *l.* 12. *cap.* 11. *num.* 3. Gutt. *cap.* 26. *num.* 2. Henriq. *l.* 11. *cap.* 14. Nav. *cap.* 22. *num.* 25. & idem indicante Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. contrario omnino fundamento nituntur hi AA. Posteriores in eo fundant se, quod velint in sponsalibus tacite includi hanc conditionem: nisi elegero statum perfectiorem. Negant idipsum alii, ajuntque ideo in sponsalibus conditionem status religiosi subintelligi exceptam; quia vel jure divino, vel saltem ecclesiastico sponsalia dirimit ob specialem ejus perfectionem, uti & propterea matrimonium ipsum ratum dirimit. *Extrav. antiqua de vot.* Ordo autem clericalis vel etiam sacer nec jure positivo nec divino dirimit sponsalia; si enim ea hoc dirimeret, ea censeretur conditio imbibita in sponsalibus; quia est status perfectior quam conjugalis; jam omnia juramenta præstita in favorem hominis posset quis non exequi, affirmans in iis imbibi conditionem: nisi perfectiua elegero; quod falsum est; confirmatur etiam ab illis ea praxi, qua ab initiando sacris ordinibus quæri solet, num contraxerit sponsalia; quod signum est, neminem his contractis licite promoveri posse ad ordines.

QUÆSTIO LIX.

An & qualiter sponsalia impediantur vel solvantur, per votum ingrediendi religionem vel ordinis sacri suscipiendi, vel continentiæ.

1. RESp. Ad primum: Votum religionem ingrediendi (idem est de voto suscipiendi sacrum ordinem aut servandi continentiam) conceptum ante sponsalia, reddit ea, etiam juramento firmata, irrita *cap. rursus, qui clerici vel voventes*. Siquidem per talia sponsalia promittitur res illicita. Nihilominus si post tale votum honestam fœminam sub fide data de contrahendo matrimonio quis defloraverit, non tantum poterit (quod negant Nav. *lib.* 4. *consil. tit. de sponsal. consil.* 21. Rodriq. *sum. tit.* 1. *cap.* 208. *numer.* 13. Vivald. *candel. aur. part.* 3. *de Sacram. cap.* 14. *num.* 65.) sed & tenetur fœminam illam ducere, non tam ob promissionem præcise, sed ob traditionem corporis sui bona fide (secus si puella conscia voti illius fuerit) factam sub conditione & pacto matrimonii futuri; æquitas enim naturalis non permittit, ut cum damno tanto proximi quis sit liberalis. Cumque votum tale per matrimonium non extinguatur, sed suspendatur; suspensio autem voti talis fieri possit ob varias causas incidentes, V. G. ob supervenientem parentum indigentiam, poterit quoque & quidem a fortiore fieri ob honorem puellæ deceptæ servandum. Hanc sententiam tenent Sanch. *d.* 45. *num.* 3. Gutt. *capit.* 25. *num.* 7. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 14. Vasq. *de rest. cap.* 3. *in fine*. Laym. *loc. cit. n.* 4. Castrop. *loc. cit. p.* 18. *n.* 9.

2. Resp. ad secundum primo: Post contracta sponsalia etiam jurata utrinque emissum votum in religionem, vel etiam suscipiendi ordinis sacri sufficientem sponsæ præbet causam

resilien-

resiliendi a sponsalibus; cum talis vovens tacite suo juri renunciet, Castrop. *part.* 20. *num.* 1. Sanch. *d.* 46. *num.* 5.

3. Resp. ad secundum secundo: Tametsi Laym. *l. c.* Sanch. *num* 2. Gutt. *cap.* 26. *num.* 3. Pont. *loc. cit. cap.* 11. *num.* 2. & alii cum communi doceant, absolute per votum religionis dirimi præcedentia sponsalia; censet nihilominus Castrop. ex parte voventis non solvi sponsalia, priusquam professionem emittat. Unde dum liberaretur a voto illo, eo quod in nullam religionem admittatur, vel admissus in ea non perseveret, obligatus esset ad sponsalia implenda sponsa volente; cum nullibi cautum, tali voto, uti nec habitus religiosi susceptione, professione non secuta, solvi sponsalia. De cætero num post emissum votum tale possit quis adhuc inire matrimonium, animo ante consummationem illius ingrediendi religionem, non convenit inter AA. affirmant aliqui apud Sanch. *d.* 43. *num.* 6. Negant ipse Sanch. *num.* 7. Gutt. *cap.* 25. *num.* 4. Castrop. *part.* 18. *num.* 8. eo quod talis ineundo matrimonium exponat se manifesto periculo violandi votum suum, cui periculo se exponere est illicitum, nisi causa aliqua gravis excuset.

4. Resp. ad secundum tertio: Per votum suscipiendi ordinem sacrum solvuntur sponsalia, non secus ac per votum ingrediendi religionem in eorum sententia, qui docent, susceptione ordinis sacri ob hujus perfectionem solvi sponsalia; contrarium est in sententia docentium, contractis sponsalibus illicite suscipi ordinem sacrum; adeoque invalidum esse votum de eo suscipiendo.

5. Resp. ad secundum quarto: Voto continentiæ non tantum ex parte non voventis (utpote qui cognito tali voto potest cum alio inire licite sponsalia, & matrimonium) sed integre solvi sponsalia; docent Pont. *loc. cit. c.* 12. *num.* 4. Vasq. *opusc. de rest. c.* 3. §. 3. *dub.* 6. *num.* 17. Suar. *lib.* 2. *de voto cap.* 4. *num.* 13. Gutt. *de matrimon. cap* 26. *num.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 21. *quæst.* 10. Castrop. *part.* 20. *num.* 6. contrarium tenent Sanch. *lib.* 1. *d.* 46. *num.* 9. Laym. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 6. non negant tamen hi posteriores AA. votum tale esse omnino invalidum; sed docent, quod quamvis invalidum sit, quatenus continet obligationem non contrahendi matrimonium cum eo, cui fidem dederat, valeat tamen, quatenus continet obligationem contracto matrimonio non petendi ab ea debitum, neque etiam non nubendi alteri; nec mirum sit, quod ex parte sit validum, & ex alia parte invalidum; cum respiciat diversa objecta juxta *cap. placet de convers. conjugat.* Ratio vero horum AA est, quod conditio illa: nisi voluero cælibem vitam ducere: non intelligitur seu imbibitur in contractu sponsalium ex natura rei; quia alias in qualibet promissione facta homini intelligeretur excepta conditio de meliore bono, quod, ut ait Castrop. absurdum est. Unde etiam quod dicitur *cap. pervenit de jurejur.* promissum non censetur infringere, qui in melius commutat, intelligendum est de promissionibus soli Deo factis; non vero in iis, quæ fiunt in favorem hominum, quibus non semper placent meliora, & quorum violatio derogat juri quæsito alterius. Barbos. *in cit. capit.* 2. Neque ea subintelligitur ex jure positivo; cum solus religiosus status ob singularem ejus perfectionem inveniatur exceptus, quæ exceptio ad alios casus non est extendenda; cum hæc extensio cedat in præjudicium juris acquisiti alteri. Neque etiam ex mutuo consensu contrahentium, cum hi nihil minus quam jus servandi castitatem sibi reservare intendant. Ac denique votum castitatis non judicari sufficiens ad solvenda sponsalia patet ex eo, quod sponsus renuens implere sponsalia compellitur a Judice, tametsi affirmet, se astrinxisse voto castitatis, nisi religionem ingrediatur, ut tenet ipse Azor. *loc. cit.* Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *cas.* 5. Sylvest. *v. sponsalia quæst.* 2. Ad illud autem, quod obmovent adversarii, nimirum dum duo vincula incompatibilia concurrunt, fortius prævalere; vinculum vero castitatis esse fortius vinculo sponsalium, facile respondent, vinculum illud castitatis respectu ad sponsum non esse validum: esse vero validum quo ad alios, adeoque non impedire sponsalia contracta, sed contrahenda. Porro cum talis vovens juxta hos AA. teneatur contrahere matrimonium, & reddere debitum, non tamen possit illud petere, expedit, eum petere ab Episcopo aliisve privilegium habentibus dispensationem, quæ facile concedi solet ob periculum incontinentiæ. Laym. Castrop. *ll. cit.* De cætero is, qui ante vel post sponsalia, aut etiam matrimonium ratum vovit castitatem, non tenetur ingredi religionem vel ordinem sacrum suscipere, etsi hæc sit via tutior servandi illud votum, ut tenent, Vega Nav. Palud. Sylv. & alii apud Castrop. *num* 8. cum non teneatur uti medio tam arduo & difficili ad voti observationem, ut cum communi tradunt Sanch. *d.* 46. *num.* 13. Gutt. *cap.* 26. *num.* 1. Laym. *loc. cit. num.* 9. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 52. Castrop. *num.* 9. Quod attinet ad *cap. veniens qui clerici vel voventes*; in quo se fundant utriusque partis AA. ubi quædam mulier sponsalia contraxit cum alio absente, cujus sævitia perterrita ex suasu alicujus Eremitæ emisit votum castitatis, quo emisso & viro illo ad alias nuptias transeunte, ipsa quoque nubere alteri volebat ob periculum incontinentiæ, Papa Alexand. III. desuper consultus respondit: *Hoc itaque attendentes tutius esse, ut præfata mulier post fidem, & votum simpliciter oblatum matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat, mandamus, quatenus, si plus non processit, sibi de fide mentita & voto violato satisfactionem indicas, & ei, cui vult nubere, in Domino licentiam concedere non postponas.* Ex quo, ut censent AA. primæ sententiæ, patet, votum illud validum fuisse, alias dispensatione non eguisset; quod autem videantur & sponsalia valuisse, dum fœminæ ob violatam fidem imponitur pœnitentia, id Azor. & Pont. dicunt processisse quo ad forum externum, in quo nondum de voto constabat; eo vero probato concessam fuisse dispensationem in voto. E contra AA. alii, *cit. cap.* suæ potius sententiæ favere putant; eo quod Papa præcipiat illi fœminæ injungi pœnitentiam, & pro violato voto (per voluntatem nimirum, quam habebat violandi illud nubendo alteri, ut Gloss. *ibid.* & pro fide sponso mentita; adeoque constiterit Papæ votum, & vi illius violatio sponsalium, ac consequenter non censet Papa ex illo voto non dissolvi sponsalia; alias illo facto non esset fides sponsalium violata.

QUÆSTIO LX.

An & qualiter solvantur sponsalia per sponsalia de futuro subsecuta.

1. RESp. primo: Per sponsalia posteriora absque juramento vel copula non solvuntur priora; cum illa posteriora sint nulla, utpote de re illicita & alteri debita. Ex parte tamen repulsi dissolvuntur; tum quia contrahens secunda prioribus renuntiare censetur; tum quia alteri sufficientem causam resiliendi præbet; Castrop. *part.* 22. *num.* 8. cum communi. Proceditque idipsum, etiamsi sponsalia posteriora sint juramento firmata; quia adhuc sunt invalida, utpote de re iniqua cedente in præjudicium tertii; neque juramentum debet esse vinculum iniquitatis, astringens ad id, quod licite fieri non potest, *cap. quamvis de pactis in* 6. ubi: quod juramentum pacto appositum servandum est, cum non redundat in alterius detrimentum; & *cap. cum contingat de jurejur.* ubi, quod servari debeant hujusmodi juramenta, cum in alterius præjudicium non redundant: ita tenent cum communi Pirh. *num.* 56. Castrop. *num.* 2. Sanch. *lib.* 1. *d.* 50. *nu.* 2. Gutt. *cap.* 28. *num.* 1. Porro cessantibus aliunde prioribus sponsalibus, V. G. quia sponsa moritur, ingreditur religionem, posteriora sponsalia contracta tempore priorum sponsalium valere; & vi eorum obligari quem ad contrahendum cum secunda, tenent Rebell. *lib.* 4. *quæst.* 8. *sect.* 6. *concl.* 4. Covar. *in* 4. *decret. part.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 10. contrarium, sive nullam esse obligationem contrahendi, melius tenent Sanch. *numer.* 6. Coninck *d.* 23. *dub.* 4. *num.* 29. Castrop. *num.* 4. eo quod contrahens illa sponsalia secunda intendit se obligare absolute, & non sub conditione (si priora sponsalia solvantur) ergo cum sic contracta sponsalia durante valore priorum sponsalium non potuerunt inducere obligationem ullam, neque tempore solutionis priorum sponsalium vim ullam habent obligandi.

2. Resp. secundo: Dum secundis sponsalibus accessit copula muliere ignara priorum sponsalium, & permittente copulam sub spe & promissione matrimonii, priora sponsalia nullam specialem qualitatem adjunctam habentia solvuntur ex parte utriusque; Castrop. *part.* 22. *num.* 6. citatis Major. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 5. Rebell. *lib.* 4. *de oblig. just. quæst.* 8. *sect.* 8. *n.* 56. Con. *loc. cit. concl.* 4. *num.* 34. Pont. *loc. cit. cap.* 14. *num.* 4. contra Scotum *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 4. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 13. *num.* 3. Sanch. *lib.* 1. *d.* 49. *num.* 5. Gutt. *cap.* 27. *num.* 7. e quibus tamen Gutt. & Henriq. sic limitant suam sententiam, ut, si secunda fœmina grave damnum pateretur, si sponsalia cum ea contracta non implerentur; prima vero fœmina nullum vel leve, hæc teneretur obligationem suam remittere, ut grave damnum alterius evitetur, in quo casu Judex possit compellere contrahentem, ut cum secunda contrahat matrimonium. Ratio responsionis est, quod obligatio contrahendi matrimonium cum secunda sit ex contractu oneroso ob usum corporis sub ea conditione permissum; priorum vero sponsalium obligatio sit omnino gratuita & liberalis; obligatio autem liberalis, utpote de concedendo lucro, cedere debeat obligationi onerosæ, quæ est de vitando damno, cui semper favendum. Quemadmodum si equum liberaliter promissum Petro vendas Joanni pretio accepto & con-
sum-

sumpto, equum debes tradere Joanni. Arg. *l. quoties, C. de rei vindic.* ubi: *Res vendita uni, & alteri vendita & tradita, huic debetur*: debebit itaque contrahens illa sponsalia secunda fœminæ illi, quæ alia via non vult sibi satisfieri, se tradere in conjugium. Unde licet sponsa prior privetur jure sibi quæsito, id ei sustinendum est, ne secunda sponsa gravius lædatur. Porro quæstio, num per posteriora sponsalia subsecuta copula solvantur prima tanquam per verum matrimonium consummatum in iis partibus, ubi Tridentinum non est receptum; non caret difficultate: in qua certa est affirmativa; si sponsi hac ratione, nimirum habendo copulam contrahere voluerint matrimonium. Dum vero de intentione non aliter constat quam ex eo, quod secunda sponsalia contraxerunt, & postmodum copulam habuerunt, longe verius putat. Castrop. *n.* 8. præsumi debere, copulam illam habitam affectu conjugali, & antecedenter ad eam explicuisse suos consensus de præsente; cum præsumptio delicti, quo ad fieri potest, sit omnino vitanda. Unde etiam Ecclesia præsumit sponsos de futuro se cognoscendo contractum matrimonii copulæ præmisisse, uti docent Sanch. *l. c. n.* 1. Henriq. *num.* 3. Pont. *cap.* 54. *in fine*.

QUÆSTIO LXI.

An & qualiter priora sponsalia solvantur per secunda de præsente, sive per subsequens cum alia matrimonium.

1. RESp. Primo: Indubitatum est solvi illa ex parte illius, quæ non contraxit matrimonium; quia huic præbetur justissima causa resiliendi, etiam absque eo, quod contrahens remitteret ei obligationem. Unde procedit id ipsum, etiamsi invalide contraxisset matrimonium. Sanch. *lib.* 1. *d.* 48. *n.* 1. Gutt. *cap.* 27. *n.* 2. Coninck *d.* 23. *d.* 4. *concl.* 1. *n.* 28. Castrop. *part.* 21. *num.* 1.

2. Resp. secundo: Indubitatum quoque est contrahentem matrimonium invalide non liberari obligatione sua, sponsa prima nolente eam remittere: Sanch. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *n.* 2. quia non præstat impedimentum (intellige implendi prima sponsalia) quod de jure non sortitur effectum: *reg. non præstat. de reg. jur. in* 6.

3. Resp. Tertio: Matrimonio cum secunda contracto, dissoluto dein per ejusdem mortem vel professionem religiosam non esse priora sponsalia soluta, quo ad eum, qui matrimonium illud contraxerat; sed teneri cum priore sponsa volente eam ducere, docet Castrop. *num.* 4. cum Pont. *l.* 12. *c.* 53. *n.* 4. Vega *l.* 6. *summ. cas.* 125. Coninck. *loc. cit. conclus.* 3. *num.* 32. Ledesm. & aliis contra Sanch. *loc. cit. nu.* 3. Gutt. *loc. cit. n.* 3. Laym. *l.* 5. *summ. tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *in fine*. Rodriq. *tit.* 1. *sum. c.* 245. *num.* 8. Pirh. *hoc tit. nu.* 49. eo quod matrimonium subsequens, eo durante, sponsalium priorum executionem impediat, obligationem tamen illorum non extinguat. Non ea jure positivo; quia textus *cap. sicut cap. si inter hoc tit.* adducti ab adversariis solum decidunt, talem contrahentem matrimonium cum secunda debere manere cum secunda; nihil vero decidunt, num per hoc solvatur ab obligatione priorum sponsalium, ita ut soluto illo matrimonio, non teneatur ducere primam. Non jure naturali; cum priorum illorum sponsalium obligatio optime consistere possit cum matrimonio cum alia contracto, suspensa veluti, & eo soluto reviviscens; & hoc quidem convenientissime, ut Castrop. ne matrimonium malitiose contrahens commodum sine necessitate ex sua industria reportet, & pars delicta damnum & juris sibi debiti privationem. Confirmantur hæc exemplis. Primo religionem vovens, si contrahat matrimonium, hoc soluto, tenetur intrare religionem; quia obligatio voti religionis licet suspensa fuerit tempore matrimonii, non tamen fuit extincta; quia hæc extinctio non fuit necessaria. Secundo si Petro promittas vel vendas equum, & hac promissione vel venditione non obstante Joanni vendas & tradas equum, equus sit Joannis, sed si Joannes tibi redderet equum, teneris illum equum tradere Petro, ac ita priorem venditionem exequi; quia id facere potes. Neque opponas textum *l.* 5. *de regul. in* 6. ubi votum profitendi in strictiore extinguitur per professionem in laxiore; nam id provenit ex speciali juris positivi dispositione nempe *cit. cap.* ubi id tribuitur solennitati votorum seu professionis in religione laxiore, ut pax monasteriorum & profitentium servetur; disparitas etiam est in eo, quod professio sit vinculum perpetuum, quod sola morte profitentis extingui potest: matrimonium vero solvi potest morte vel professione alterius contrahentis, quo soluto aptus est priorum sponsalium obligationem implere. Item quod in casu *cit. cap.* idem sit creditor, nempe Deus, cui præstaretur res præstantior professione in religione laxiore, quam quod præstitum per votum ingrediendi religionem strictiorem, ita Castrop. *n.* 5.

QUÆSTIO LXII.

An & qualiter ex causa fornicationis, osculorum & tactuum impudicorum solvantur sponsalia.

1. RESp. ad primum primo: Ex fornicatione solvuntur sponsalia ex parte innocentis (non vero ex parte nocentis; cum is ex iniquitate sua commodum reportare, & innocentem jure suo privare non debeat) si enim per eam solvatur ipsum conjugium, quo ad torum seu cohabitationem, multo magis obligatio remota ad talem cohabitationem. Castrop. *p.* 25. *num.* 1. Pirh. *nu.* 60. cum communi juxta *cap. quemadmodum de jurejur.* Procedit id ipsum, etiamsi sponsalia sint jurata; cum juramentum sequatur naturam actus, cui apponitur. Sanch. *lib.* 1. *d.* 55. Gutt. *cap.* 31. *num.* 1. Laym. *loc. cit.* *n.* 10. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Item, sive sponsus sive sponsa fornicetur; cum uterque sponsorum vi sponsalium sit æque obligatus corpus suum nemini tradere ad usum, sed servare comparti. Pirh. Gutt. Castrop. Laym. *ll. cit.* Sanch. *d.* 55. *num.* 4. Menoch. *de arb. cas.* 453. *num.* 5. Covar. *in* 4. *decret. part.* 2. *c.* 5. *sub numer.* 2.

2. Resp. ad primum secundo: Sponsalia quoque dissolvi ob copulam violentam sponsæ, seu sponsam violenter oppressam; non quidem quia sponsa violavit fidem, aut suspectam se reddidit de violanda fide stante matrimonio; sed quia reddita notabiliter vilior, & probrosum sit ducere talem, exponaturque sponsus periculo alendi alienam prolem. Unde *c. raptor* 27. *quæst.* 2. permittitur sponso sponsam sine culpa raptam ducere vel repudiare; ita cum communiore docent Sanch. *lib.* 1. *d.* 55. *num.* 7. Laym. *n.* 10. Covar. *n.* 5. Sylv. *v. sponsal. n.* 10. *cas.* 7. Castrop. *n.* 5. contra Fabien. & Armill. *v. sponsalia*. De sponso vero vim patiente, seu per vim adacto (si forte id fieri potest) contrarium; nempe sponsam non posse propterea resilire a sponsalibus, sentiunt Castrop. *n.* 6. Sanch. *l. c. num.* 8. Pont. *cap.* 17. *num.* 3. *&c.* contra Gutt. *cap.* 31. *de matr. num.* 3. & Gl. *in cap. sic quoque* 27. *q.* 2. *in fine*; eo quod per hoc nulla infamia accrescat viro. Putat tamen Castrop. posse sponsam solvere sponsalia ob sponsum Sodomitice cognitum; eo quod negari nequeat ob tale stuprum viliorem redditum, & fœminæ probrosum talem ducere.

3. Resp. ad primum tertio: utroque sponso fornicante, sponsum resilire posse, non sponsam, tenent Laym. *num.* 11. Sanch. *n.* 9. Gutt. *n.* 4. Pont. *c.* 17. *n.* 3. cum communiore, eo quod licet ob fidei jurisque promissi violationem utriusque sponsi fornicatio sit æqualis, ob notam tamen & infamiam sit inæqualis; quippe fornicatio sponsæ est fœdior & sponso detestabilior, arg. *l. etsi crimen. c. ad leg. Jul. de adult. l. palam ff. de ritu nupt.* Neque obstat, quod stante matrimonio hæc delicta mutuo compensentur, & neutra pars se ab altera separare possit quo ad torum; quia matrimonii obligatio quo ad torum difficilius solvitur quam obligatio sponsalium; Nihilominus contrarium docent alii, nimirum sponsam fornicantem ob fornicationem sponsi resilire quoque posse, eo quod causa, quam habet sponsa resiliendi ob fornicationem sponsi non tollatur, per hoc, quod sponsa quoque fornicetur; cum, quando uterque sponsus culpabilis est in sponsalium executione, utrique permissum est resilire, neque unius culpa alterius culpa compensatur, ut tradit ipse Sanch. *d.* 53. *numer.* 6. Gutt. *c.* 24. *n.* 10. adeoque idipsum quoque liceat in causa fornicationis.

4. Resp. Ad secundum: Oscula & tactus admissi a sponsa dant sponso sufficientem causam dissolvendi sponsalia; eo quod per hoc sponsa censeatur impudica, & ita vilis, ut sine nota duci non possit. Secus esse de viro, eo quod is per hoc non reddatur ita vilis, nec probrum sit fœminæ talem ducere, tenent cum communi: Laym. *cit. n.* 10. Sanch. *d.* 55. *n.* 5. Gutt. *c.* 31. *n.* 2. Pont. *cap.* 17. *num.* 3. Coninck *loc. cit. dub.* 7. *n.* 56. quamvis hic & Laym. id ita limitet; nisi oscula & tactus a sponso habiti sint ita frequentes, ut merito timendum sit, quod sponsam non sit amaturus, aut fidem non servaturus. Nihilominus hic iterum Castrop. *numer.* 8. tenet contrarium, nimirum, quod sive a sponso sive a sponsa admittantur oscula & tactus impudici, pars innocens habeat sufficientem causam resiliendi; eo quod per talia oscula & tactus violetur fides data in sponsalibus, & fidem violanti non sit necessario servanda fides. Ad hæc non minus sponsum reputari impudicum, & non minor ingeratur suspicio sponsæ, se ab eo non amandam, nec sibi fidem servandam stante matrimonio, quæ sufficiunt ad sponsalium solutionem.

QUÆ-

QUÆSTIO LXIII.

An & qualiter per absentiam solvantur sponsalia.

1. RESp. Primo: Dum sponsus sponsa inscia vel non consentiente terram dimittit, & in alias partes se transfert, sponsa a lege sponsalium soluta est; tum quia sic discedens videtur renuntiasse sponsalibus: tum quia sponsa non tenetur sponsum mutantem domicilium sequi. Sanch. *lib.* 1. *de sponsal. d.* 32. *num.* 14. Pont. *lib.* 12. *cap.* 15. *num.* 1. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. Castrop. *part.* 23. *numer.* 4. cum communi juxta *c. de illis h. tit.* idque etiam, licet sponsalia sint jurata, ut expresse habet *cit.* textus; in quo dum fœminæ imponitur pœnitentia pro perjurio, id intelligendum, ut explicat ipse textus, quando ipsa in causa fuit absentiæ sponsi, matrimonium debito tempore non implendo. Laym. Castrop. *ll. cit.* Sed neque in hoc casu tenetur exspectare biennium aut triennium. Sanch. *d.* 54. *num.* 6. Layman *n.* 14. Pont. *num.* 2. Castrop. *loc. cit.* Neque licentiam sponsi aut Judicis sententiam. Sanch. Castrop. *ll. cit.* vò enim *liberum*, quo utitur *cit. textus* dicendo: liberum erit mulieribus ipsis ad alia vota se transferre; quippe quæ dictio consensum, & authoritatem alterius tanquam necessariam excludit cit. AA. cum Gl. *in cap. cumplures v. libere de off. delegat.* Bald. *in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. n.* 6. Porro citatus textus, ut colligitur ex illis ejus verbis; *Qui terram dimittunt, ad alias partes se conferentes*: tantum loquitur de mutantibus domicilium. Laym. *num.* 15. Pont. Castrop. *ll. cit.* neque enim qui negotii gerendi vel causa studendi alio se confert, terram dimittit: *l. clam possidere, §. qui ad nundinas, ff. de acquir. vel amitt. possess. & l. 2. de incolis*. Posse tamen etiam textum illum intelligi de transferente se alio citra mutationem domicilii, cum ditatur & absentia, sic, ut de proximo sponsi reditu minime sit spes, quod fieri potest, licet non sit in longinquo, tradunt alii; quin & si sponsus sit vagabundus: ut Barb. *in cit. cap. num.* 4.

2. Resp. secundo: Dum vero sponsus ex causa aliqua necessaria vel voluntaria discedat reversurus consentiente sponsa, tenetur illa toto tempore exspectare, quo inter eos convenit. Si vero ea inscia vel dissentiente discessit; & causa discessus fuit necessaria, V. G. ægritudo, mors parentum, grave aliud negotium, ex Jure Civili *l. sæpe ff. de sponsal.* sponsæ exspectandus erit finis negotii. Si autem causa discessus intra provinciam fuit honesta, sed voluntaria, exspectandum est per biennium, *l. 2. c. de spons.* Si extra provinciam, per triennium; *l. 2. ff. de repudiis.* Has leges civiles Jure canonico non esse correctas (siquidem *cit. c. de illis*, loquitur tantum de mutante domicilium, non de reversuro) adeoque servandas (eo quod in his, quæ Jure canonico statuta non sunt, Jus civile servandum est, sibi decisa reperiantur, dum nihil continent contra conscientiam, aut quicquam statuunt in materia, Laicorum potestati non subjecta, *c. 1. de oper. novi nunciat.* maxime cum sponsalia, quamvis ad Sacramentum ordinentur, non sint contractus quidam politicus) censent Canis. *in cit. c. de illis*. Menoch. *de arb. l. 2. cap.* 455. *num.* 7. Rebell. *lib. 4. q. 8. sect. 3. num* 2. & 3. Laym. *cit. n.* 14. & alii apud Sanch. *cit. d. 54. n.* 5. Dictas vero leges corrigi per Jus Canonicum *cit. c. de illis*, ac ideo servandas necessario non esse, tenent Sanch. *loc. cit. n.* 6. Gutt. *cap.* 30. *n.* 3. & plurimi apud illos. Sed & quidquid sit de ea correctione, eas in præsente casu locum non habere, adeoque servandas non esse, sentiunt quoque Castrop. *loc cit. n.* 2. Pont. *loc. cit. c.* 15. *num* 4. hac ducti ratione; quod leges illæ biennium vel triennium statuant, non ut sponsa possit resilire; id enim statim poterat, & ad alia vota transire solo suo dissensu, quo etiam spectato Jure civili sponsalia dissolvebantur; sed ut id possit retentis arrhis & donatis a sponso, quæ retinere non poterat, nisi constaret sponsum culpabilem in executione sponsalium. De cætero vero, cum Jure canonico obligatio sponsalium, ita firma sit, ut nequeat pro cujusque arbitrio dissolvi, sed veniat dissolvenda non aliter, quam si sponsus gravem causam dissolutionis præbeat, quæ contingere potest biennio non exspectato, V. G. quia sponsa tamdiu dilatis nuptiis adire potest periculum incontinentiæ, potest amittere opportunitatem paris aut melioris connubii, decisio hæc juris civilis necessario servanda non est. Ut autem sponsa in hoc casu absentiæ prudenter, aut etiam valide dissolvat sponsalia, certa esse debet, sponsum de proximo non rediturum. Abb. *in cit. c. de illis in fine*. Præposit. *ibid. n.* 5. Sanch. *n.* 12. Gutt. *n.* 7. Castrop. *n.* 3. Et si sponsus est in loco propinquo, debet sponsum requirere; ut intra certum tempus ad matrimonium contrahendum accedat; & quod si is justo impedimento detineatur, penes Judicem ecclesiasticum erit, inspecta sponsæ qualitate, de periculo incontinentiæ aliisque circumstantiis judicare, an sit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. Sanch. *nu.* 11. Gutt. *n.* 2. & 6. Covar. *in 4. decret. p. 5. cap. 5. n.* 7. Castrop. *cit. num.* 3.

3. Porro quæ dicta de absentia Sponsi a fortiore procedunt in absentia sponsæ; tum quia sponsus & sponsa sunt correlativa, & disposita de uno censentur quoque disposita de alia, dum subest eadem ratio, uti est in præsente; tum quia ex absentia sponsæ facilius sinistra suspicio concipi solet. Castrop. *num.* 4. citatis Cyno, & Bald. *in l. 2. in fine c. de Sponsal.* Alexand. *in cap. de illis num.* 16. Sanch. *loc. cit. num.* 1. Gutt. *loc. cit. num.* 1.

QUÆSTIO LXIV.

Qualiter solvantur Sponsalia ob lapsum termini præfixi.

1. RESp. primo: Dum dies nulla designata, qua explenda sponsalia per celebrationem matrimonii, estque tamen a consuetudine statutum aliquod tempus, intra quod in isto loco compleri solent sponsalia, ille sponsorum liberabitur ab obligatione, qui intra illud tempus ea implere vult, altero sine justa causa renuente; præsumi enim non potest, sponsum se obligasse ad diutius exspectandum sine nuptiis, præsertim cum hujusmodi promissiones, ubi aliud non exprimitur, quo ad obligationem promissum implendi merito censeantur fieri, prout usus communis & consuetudo fert, Krimer. *ad 4. decret. num.* 298. Si vero sponsus affert impedimentum legitimum a sponsa ignoratum prius, quo sponsalium executio ultra illud consuetum tempus multum differri deberet; Judex interpellandus erit, ut pro qualitate negotii & sponsæ, præfigat illi terminum, ultra quem exspectare amplius non teneatur sponsa. Krimer *loc. cit.* Castrop. *p. 24. num.* 1 citato ConincK *d. 23. dub. 6. num.* 43. & 44. quæ etiam limitatio applicanda *resp. seq.*

2. Resp. secundo: Dum tempus certum præfixum non est, neque ab ipsis contrahentibus, neque a dicta consuetudine, sponsalia solvi non posse, ait Castrop. *loc. cit.* nisi ob eam moram sponsi, ex qua prudenter colligi possit, eum sponsalibus renunciasse, aut fidem datam violare; quæ autem ea sit mora, ex qua id prudenter colligi possit, non arbitrio sponsæ relinquendum, ne proprio amore decepta inique judicet, sed interpellandus denuo Judex, qui negotio prudenter examinato declaret moram esse sufficientem ad dissolvendum sponsalia.

3. Resp. tertio: Dum certus dies exequendis sponsalibus designatus est ita, ut ad illum usque differri possit executio, & exinde ea sollicitanda, & præstanda (uti contingit in obligatione solvendi pecuniam, cui certus dies designatur, non ut, si illo die facta non sit solutio, extinguatur obligatio, sed ut debitor intelligat, usque ad illum diem permitti solutionem differri, eo autem adveniente, eam exigi posse & præstari debere) ea non præstita eo die non dissolvuntur sponsalia, neque ex parte illius, qui in mora est; quia is ex iniquitate sua, dum mora est culpabilis, commodum reportare nequit, vel etiam ex impedimento suo justo alteri nolenti inferri injuriam resiliendo. Neque etiam ex parte alterius, qui non est in mora; siquidem alter, licet omittendo illo die exequi sponsalia, sit etiam culpabilis, si tamen paratus sit brevi tempore ea implere, non est censendus culpam gravem admisisse, nec fidem violasse, quod requiritur, ut pars altera innocens deobligetur & resilire queat, Coninck *loc. cit. numer.* 45. *concl.* 3. sed pars, quæ non est in mora urgere potest apud legitimum Judicem, ut alteri statuatur terminus, ultra quem, si is differat executionem, alter liberetur sua obligatione, sive, si velit, resilire possit. Ratio hujus a priore est, quod in tali obligatione contineantur duo, sive virtualiter duplex; sive unum vel una contrahendi absolute matrimonium, alterum sive altera contrahendi illud illa die; & consequenter, licet hæc posterior non impleatur, prior tamen, utpote absoluta & ab hac secunda independens, perseverat. Castrop. *numer.* 2. *juncto num.* 4.

4. Resp. quarto: Si vero de sponsalibus exequendis designatus est ita, ut si eo die non fiat executio, obligatio extinguatur, imprimis ex parte illius, qui fuit in mora, non solvuntur sponsalia, sed persistit obligatio contrahendi matrimonium; vel enim mora fuit culpabilis: & tunc dolus, malitia aliave culpa ei esse non debet commodo, vel non fuit culpabilis, eo quod justo impedimento fuerit impeditus eo die implere obligationem suam, & neque tunc adhuc liberabitur ab obligatione (etsi videri posset ex liberari,

utpote

utpote quæ dictæ diei annexa fuit) quia æquum non est ob defectum suum etiam inculpabilem alteram partem privare jure suo quæsito. ConincK *loc. cit.* Sanch. *d.* 53 *num.* 7. & 8. Castrop. *num.* 5. qui etiam addit, talem inculpabiliter non implentem sponsalia statuto die, teneri adhuc ad contrahendum matrimonium, non in vi sponsalitiæ promissionis, quæ jam cessaverit; neque in vi injuriæ alicui alteri illatæ, cum nulla fuit: sed in vi rei alienæ acceptæ & retentæ, dum nimirum retinet seipsum, qui alteri ad contrahendum matrimonium debitus erat, & traditus non erat. Sed videtur peti principium, dum in quæstione est, num talis inculpabiliter non implens sponsalia detineat amplius rem alienam, utpote qualis non manet per dissolutionem sponsalium, & cessationem obligationis contrahendi matrimonium; dein alter, qui paratus fuit statuto tempore implere sponsalia, alio id culpabiliter omittente, solutus est ab obligatione sua, &, si vult, resilire potest, idque etiamsi sponsalia jurata fuerint. Castrop. *num.* 6. cum communi juxta expressum textum *cap. sicut h. t.* Unde etiamsi uterque fuit in mora culpabilis, uterque deobligatur & resilire potest. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. num.* 6. Coninck *loc. cit. numer.* 49. Pont. *lib.* 12. *de Sponsal. cap.* 16. *numer.* 4. An vero etiam mora inculpabilis det quoque alteri parti sufficientem causam resiliendi, in eo non conveniunt AA. negant Sanch. *d.* 23. *num.* 7. Pont. *loc. cit.* Gutt. *de matrimon. capit.* 24. *numer.* 10. eo quod dici non debeat per eum stare, quo minus impleta obligatio, qui eam implere juste impeditus fuit. Arg. *reg. jur.* 66. *in* 6. & imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod fuerat faciendum, *reg.* 41. *juris in* 6. quodque legitime impedito non currat tempus, *cap. quia diversitatem, de concess. præb.* Econtra affirmat Castrop. *num* 8. citans pro se Nav. *cap.* 22. *numer.* 27. *cas.* 11. Coninck *d.* 23. *dub.* 6. *num.* 47. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 17. Rationem dat, quod sponsus ideo præfigentibus sponsalibus terminum, ne diutius a nuptiis abstineant, neve occasionem commodam sibi oblatam contrahendi matrimonium amittant, quam timent postea non inveniendam, æque damnosum fit, sive pars culpabiliter, sive inculpabiliter omittat contrahere; quodque Pontifex in *cit. cap sicut*, declarando liberum ab obligatione, per quem non stat sponsalia perfici, non meminerit, an per culpabilem an inculpabilem moram faciat, ad *reg.* illam 66. dicit illam locum habere in promissione libertatis, legatis, testamentis, institutionibus &c. in quibus jus benigne interpretatur voluntatem concedentis, ne is velit donatione privare eum, sine cujus culpa conditio requisita non ponitur; quod ad contractus onerosos extendi non debet. Ad *reg.* 41. dicit, quod loquatur de poena contrahenda, sive ex conventione, sive ex lege; cum hæc non afficiat eum, per quem inculpabiliter stetit non fieri, quod faciendum.

Porro ad dignoscendum (dum non constat de intentione contrahentium) num terminus adjectus ad finiendam obligationem, an vero ad finiendam potius dilationem sollicitandamque expletionem obligationis. Castrop. omissis regulis, quas affert Sanch. *d.* 53. *numer.* 3. tanquam minus firmis, recurrendum ait ad motiva, ob quæ præfixus terminus, nimirum, ut si utraque pars, vel ea, quæ cupit diem adjici, mota ad hoc fuit, quia sibi expedit, vel cum hac, vel cum alia, quæ sibi offertur, contrahere matrimonium intra illud tempus, quod timeatur, neglectis illis matrimoniis, non inventurus postea aliud ita commodum, tunc censeatur dies adjectus ad finiendam obligationem; si vero moti ad statuendum diem, ne aliqua ratione matrimonium, quod maxime cupiunt, impediatur, dies adjectus censeatur solum ad sollicitandam obligationis impletionem.

QUÆSTIO LXV.

An & qualiter sponsalia dissolvantur ob superveniens impedimentum matrimoniale.

1. RESP. primo: Ob superveniens impedimentum tantum impediens, excepto voto religionis, & castitatis sponsalia non solvuntur etiam ex parte innocentis; cum nullum præter dictum impedire matrimonium, egereque dispensatione, sit probabilissimum. Castrop. *part.* 26. *num.* 1. citatis Sanch *lib.* 1. *d.* 56. *num.* 3. Con. *d.* 23. *dub.* 5. *n.* 36. contra Gutt. *de matr. cap.* 31. *num.* 2.

2. Resp. secundo; Ob superveniens impedimentum dirimens, verb. gr. affinitatis, cognationis solvuntur sponsalia ex parte innocentis; huic siquidem ad resiliendum sufficiens data est causa per appositionem impedimenti reddentis matrimonium impossibile; ita etiam, ut hac ratione acquirendo jus resiliendi non teneatur admittere dispensationem a potente dispensare oblatam. Castrop. *num.* 2. Conink *numer.* 37. Apponentis vero impedimentum obligatio, etsi durante impedimento sit suspensa, non est sublata; sed sublato per dispensationem impedimento, tenetur stare promissis, si innocens velit; quia æquum non est, ut commodum, nimirum immunitatem, a fide præstita referat ex culpa sua. Castrop. ConincK *LL. cit.* Sanch. *d.* 56. *in fine.* Gutt. *d.* 32. *num* 2.

Porro apponentem absolute teneri procurare dispensationem altero exigente; eo quod, cum ex justitia tenebatur contrahere matrimonium, adeoque ei contrahendo non ponere impedimentum, jus alterius ponendo hoc impedimentum læsum a se, & alia via non reparabile, ex justitia teneatur reparare; idque etiamsi impensæ magnæ sint faciendæ pro impetranda dispensatione, dum eæ alias solitæ sint fieri in hujusmodi dispensationem, tenet Castrop. *num* 4. citans Ledesm. *de matrimon. quæst.* 43. *caus.* 3. quos sequitur Krimer. *num.* 322. contra Filluc. *de matrimon. cap.* 8. *quæst.* 8. liberantem ab hac obligatione ponentem impedimentum, ubi pars altera notabile damnum non patitur, ex omissione matrimonii, item contra Sanch. Con. Gutt. *LL. cit.* & alios, in quantum negant teneri illum ad hoc, extra casus, ubi quis fœminam spe matrimonii deflorasset, gravemque famæ jacturam, si nuptiæ non sequantur, ei intulit, dum dispensatio hæc sine difficultate, & magnis sumptibus impetrari nequit; eo quod obligatio contracta ex sponsalibus urgeat solum ad adhibenda pro executione media necessaria & facilia; non vero extraordinaria & difficilia; ad quod tamen bene respondet Castrop. neminem quidem vi sponsalium obligatum esse ad procurandam dispensationem impedimenti dirimentis, multoque minus ad procurandam illam magnis sumptibus & via difficili; bene tamen ad hoc obligari aliquem ex iniqua, & injusta impedimenti appositione, respectu cujus, & juris alterius per hoc læsi dispensatio non est medium extraordinarium, sed ordinarium per se requisitum.

QUÆSTIO LXVI.

An & qualiter solvantur sponsalia ob supervenientem notabilem mutationem ex parte sponsi vel sponsæ.

RESP. Solvuntur (intellige ex parte illæsi, ita ut is resilire possit) ob quamlibet causam novam rationabilem, mutationem notabilem contractis sponsalibus supervenientem, dum ob eam notabiliter difficilius redditur matrimonium, sive dum ea talem inducit difficultatem, ut merito quis prudentum judicio, si ab initio extitisset & cognita fuisset, sponsalia non contraxisset; eo quod promissio non obliget ultra promittentis intentionem; nemo autem præsumatur se obligare voluisse ad casum tam difficilem, ut ob eum præcognitum quivis prudens, & cordatus a promissione matrimonii abstinuisset, Pirh. *h. t. num.* 65. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 18. Sanchez *lib.* 1. *d.* 62. *numer.* 3. Arg. *cap. quemadmodum de jurejurand.* procedit id ipsum etiamsi sponsalia jurata sint; cum juramentum afficiat seu includat omnes conditiones contractus, cui adjicitur, *l. fin. c. de numerat. pecun.* adeoque imbibat hanc tacitam conditionem: rebus in eodem statu permanentibus. Castrop. *part.* 79. *num.* 3. Pirh. *loc. cit.* Sanch. *num.* 4. unde nec opus in hoc casu petere relaxationem juramenti, ut iidem. De cætero sponso vel sponsæ asserenti, se non fuisse contracturum sponsalia, si talis ab initio extitisset, & nota sibi fuisset, in utroque foro fidem habendam esse, dum expensis circumstantiis verisimile est, reveta non contracturum sponsalia, si dicta causa ei cognita fuisset, docent Castrop. *numer.* 2. Gutt. *cap.* 32. *numer.* 9. Pirh. Layman *LL. cit.* Sanch. *numer.* 6. idque vel maxime, si juramento confirmarent; cum in his, quæ ad animum spectant, ut sunt scientia, ignorantia, intentio &c. standum est cujusque juramento, si alio modo probari nequeunt. Covar. *lib.* 2. *resolut. cap.* 10. *num.* 2.

QUÆSTIO LXVII.

An igitur tales causæ, si præcesserint sponsalia, & ignoratæ tunc fuerint, postmodum post ea contracta cognitæ, pari modo dissolvant sponsalia, ac si tunc prius cognitæ.

1. RESp. affirmative Sanch. *lib. 1. d. 63. num.* 2. Gutt. *cap.* 34. *num.* 2. Layman *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. num.* 5. Pont. *lib.* 12. *de sponsal. cap.* 58. *a num.* 5. cum communi contra Palud. & Gabriel. siquidem respectu talis ignorantis tempore contractus sponsalium talem causam res notabiliter mutentur seu mutari censentur, apparente postmodum de novo vitio, censetur illud tunc apponi, quando ei manifestatur; cum res tunc censeatur fieri, quando innotescit, Arg. *cap. pastoralis, de exception.* sicut e contra censetur non esse, quando non apparet, *l. in lege ff. de contrah. empt.* adde, quod in generali simpliceque obligatione non censentur, quæ cognita ab obligatione prudenter averterent, *l. obligat. general ff. de pignor. c. veniens de jurejur.* Contrarium tamen dicendum, dum talis ignorantia causæ non dedit causam contrahendi, ut dum ita quis affectus fuisset, ut si causam vel vitium illud cognovisset, tamen adhuc contracturus fuisset (quod tamen nunquam præsumendum esse ait Castrop. *cit. p.* 29. *num.* 2. nisi id ipsum quis expresserit) quia eam respectu talis prius ignorantis & postmodum scientis, nulla censetur facta in re mutatio; ita Castrop. *loc. cit.* Pont. *cit. cap.* 58. *num.* 4. Sanch. *d.* 65. *numer.* 2. *&c.* Atque ex his jam sequitur, posse aliquem resilire a sponsalibus, etiam juratis ob fornicationem sponsæ, ante sponsalia commissam, quam putabat virginem, Sanch. *lib.* 1. *d.* 64. *num.* 3. Castrop. *num.* 4. Pont. *numer.* 2. Idem secundum hos AA. fieri posse ob fornicationem viduæ; cum quoque probrosum sit ducere viduam inhonestam, adeoque id cognitum ab initio retraxisset a contrahendis sponsalibus, quin etiam idem procedere, dum quis contraxit sponsalia cum vidua, quam putabat virginem, censent Sanch *loc. cit.* Gutt. *cap.* 34. *num* 4. Pont. *cit. numer.* 2. contra ConincK *d.* 23. *dub.* 7. *num.* 38. eo quod in communi æstimatione vidua censeatur inferioris conditionis, quam virgo in ordine ad contrahendum matrimonium. Econtra ob ignoratam præcedentem fornicationem sponsi non posse resilire sponsam, tenent Pont *loc. cit.* Con *num.* 62. Sanch. *d.* 63. *num.* 9. Castrop *num.* 9. contra Nav. *cap.* 22. *num.* 27. eo quod vir per fornicationem illam non ita sit redditus vilior in æstimatione prudentum, nec sponsa ullam incurrat notam, quod tali nupserit. Secus tamen censent iidem AA. si vir cum pluribus fornicatus fuisset, ut censeretur maxime huic vitio deditus, quod ante ignorabat sponsa; eo quod sponsæ probrosum sit ducere talem, & merito timendum, ne contracto matrimonio similia patret, secundum dicta supra, vel etiam si vir haberet prolem ex priore fornicatione; cum id redderet matrimonium difficilius; tum ob alendam prolem; tum quia id solet esse causa dissidiorum. Castrop. *num.* 9. quod etiam extendit ConincK *cit. dub.* 7. *concl.* 5. *num* 62. etiamsi proles esset legitima. Porro conscius causæ sibi sufficientis ad solvenda sponsalia, censent juri suo resiliendi renunciare per hoc, quod post cognitum vitium cognosceret alteram partem; si enim ob talem copulam censentur matrimonio contracto jus divortii remittere, a fortiore per illam censebuntur remittere jus ad dissolvendum sponsalia, & hæc in utroque foro, externo nimirum & conscientiæ. Laym. *loc. cit. num.* 20. Castrop. *n.* 55. Sanch. *d.* 66. *num.* 2. Pont. *loc. cit. num.* 2.

2. De cætero contractum sponsalium ob talem ignorantiam causæ sufficientis ad eorum dissolutionem, non reddi irritum, sed irritandum (intellige, ab ignorante seu decepto, si velit) tenent Castrop. *numer.* 10. citatis Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 5. *num.* 31. Coninck *d.* 23. *dub.* 9. *a num.* 72. eo quod ignorantia hæc seu error versetur solum circa qualitatem, & non circa substantiam contractus, utpote quæ personam respicit absolute, & in eam consentit absque eo, quod consensus hic feratur in qualitates, quæ personam afficere possunt, & ei evenire, licet eo pacto & modo fiat contractus, ut si postea eveniat vel appareat aliquid, quod contractum notabiliter difficiliorem reddat, jus sit comparti resiliendi.

QUÆSTIO LXVII.

An laborans impedimento seu vitio occulto, quod si cognosceretur, compartem averteret a sponsalibus contrahendis, possit eo tacito seu occultato contrahere sponsalia.

1. REsp. primo affirmative, dum impedimentum tale est, ut reddat nuptias minus commodas, non tamen omnino incommodas (qualia incommoda sunt verb. gr. si mulier corrupta, notabiliter deformis, pauper, ignobilis, etsi putetur nobilis, dives; item si sit famæ non bonæ, improbis moribus, ferocis ingenii, a quibus statuit se corrigere, hæc in matrimonio non officiunt, etsi minus commodum reddant; cum per hoc, quod fœmina sit corrupta, pauper, perditis moribus, corrigendis tamen, non impeditur socialis vita, generatio, honesta prolis educatio) siquidem usu & consuetudine satis compertum est, neminem teneri tale impedimentum suum manifestare; quin, ut Castrop. *p.* 30. *num.* 2. si impedimentum tuum cedat in diminutionem status honesti & famæ tuæ, licere non tantum illud tegere, sed & desuper interrogato dissimulare æquivoce respondendo; adeoque pars sibi imputare debet, quod non melius inquirendo in talia decepta fuerit, quodque prout debuit, exploratum non habuerit alterum, non esse obligatum prodere talia sua impedimenta. Ita docent præter Castrop. Sanch. *de matrim. lib.* 6. *d.* 27. *num.* 8. Pont. *loc. citat. d.* 18. *num.* 6. Con. *d.* 23. *dub.* 12. *concl.* 1. *&* 2. qui tamen etiam advertunt, quandoque per accidens non licere contrahere sponsalia, multoque minus matrimonium tali impedimento non manifestato, dum nimirum prudenter timetur, matrimonio contracto defectum manifestandum, & compartem ægerrime laturam, adeoque inde graves discordias orituras; eo quod caritas exigat, nequis commodum suum procuret cum tam gravi damno proximi. Illud quoque certum putat Castrop. *n.* 3. cum Con. *loc. cit. n.* 93. non licere fingere se esse nobilem, divitem, bonæ famæ &c. ut alium inducat ad contrahendum; quia esset mentita & fraudulenta inductio.

2. Resp. secundo: Quamvis idem censeant ex eadem ratione Gasp. Hurtad. *l.* 2. *de matrim. difficult.* 17. *num.* 62. & alii quidam, quibus favent Sanch. *lib.* 1. *d.* 68. *n.* 7. pro exemplo adducens morbum Gallicum, & *l.* 6. *d.* 27. *q.* 2. loquens generaliter de impedimentis omnibus, dum impedimentum est tale, quod non tantum reddat nuptias minus commodas, sed positive incommodas & damnosas; qualis v. g. sunt paralysis, lepra, morbus gallicus, aliusque contagiosus, mores perditi absque animo corrigendi, infamia ex genere vel delicto, quæ honestam familiam deturpare possit; cum hæc vel generationem impediant, vel a sociali vita avertant & honestæ prolis educationi officiant. Rectius tamen id ipsum (nisi forte pars altera eodem defectu laboraret) negat Castrop. *loc. cit. n* 5. & quos citat Tutrian. 2. 2. *d.* 78. *dub* 2. Pont. *cit. c.* 58. *n.* 6. Con. &c. eo quod tali defectu laborans non sit aptus usui matrimonii, ad quem expetitur, adeoque peccet contra justitiam, non secus ac vendens ligna putrida putanti esse sana. Unde jam a fortiore sequitur, laborantem tali defectu non posse alteram partem illius insciam compellere ad contrahendum secum matrimonium. Idemque esse in casibus, in quibus tacito impedimento adhuc potest contrahere sponsalia, eaque perficere, docet Pont. *n* 7. censentque probabile Con. & Sanch. *LL. cit.* eo quod revera a parte rei, etiam dum ei cognitus non est defectus, jus habeat damnum proprium evitandi & resiliendi, &, si id faciat, non committat injustitiam, saltem materialem (etsi putet se eam committere, dum incognito sibi tali defectu, adeoque ex nulla causa rationali resilit,) & consequenter compelli nequeat ad matrimonium contrahendum. Contrarium tamen tenent, sive posse in his casibus compelli alteram partem, Castrop. *num.* 8. Sanch. *l.* 1. *de sponsal. d.* 68. *num.* 8. ConincK *cit. dub.* 12. *concl.* 4. *&* 5. eo quod defectus talis, sive antecedens, sive subsequens sponsalia, eorum valore non impediat, quo valore stante jus habet compellendi compartem ad standum promissis, & ea, ne jus hoc sit inutile, teneatur obedire; & compars, posito illo defectu, jus non habeat vitandi damnum & resiliendi, nisi media exceptione, & defectus illius objectione; jam vero obiicere illum, & propterea exigere nequit, quia eum ignorat, & pari modo sponsalia contracta sub ea conditione: nisi quid eveniat, quod contractum hunc reddat difficiliorem: non possint solvi quomodocunque, sed solum per illius evenientis exceptionem & objectionem. Illud vero, quod in contrarium obiicitur ex sententia probabili, occulte adulterum, adeoque etiam non obje-

objecto sibi adulterio, non posse a parte innocente exigere debitum, negant æque probabiliter, & forte probabilius Castrop. *num.* 9. Sanch. *cit. disp.* 68. *num.* 4. eo quod hæc pœna non petendi debitum non incurratur ante condemnationem Judicis, & antequam a comparte clare & ex indiciis non levibus objiciatur.

QUÆSTIO LXIX.

Qualiter in specie dissolvantur Sponsalia ob supervenientem defectum corporis.

1. RESP. primo: Dissolvuntur etiam jurata ex parte illæsi ob supervenientem notabilem fœditatem, *c. quemadmodum, de jurejur.* ubi exprimitur, qualis deformitas sufficiat, nempe si unus ex sponsis oculos, nares, aures amitrat, vel aliud his turpius ei obveniat, & licet is textus videatur exigere utriusque oculi amissionem, utpote loquens in numero plurali, sufficere tamen amissionem unius oculi; cum hæc censeatur sufficiens & deformitas satis gravis mutatioque rerum, affirmant Castrop. *pag.* 27. *n.* 1. Sanch. *d.* 27. *n.* 3. Pont. *l. c. c.* 17. *n.* 4 Con. *d.* 23. *d.* 8. *n.* 66. *&c.* Quin etiam dum citra amissionem dictorum membrorum sponsa tempore sponsalium pulcherrima postmodum fieret notabiliter deformis, adhuc sponsum posse resilire, censent Sanch. *n.* 4. Castrop. *n.* 5. Pont. *n.* 5. Con. *cit. n.* 66. contra Covar. *in 4. decret. p.* 2. *c.* 5. *nu.* 6. Gutt. *de matr. c.* 32. *n. ult.* eo quod cum res per hoc adhuc sint notabiliter mutatæ, præsumi nequeat, priorem intentionem ad hunc casum extensum fuisse; quodque, dum sponsa (idem est de sponso, ut expresse Castrop. quamvis, ut idem major hujus debeat esse deformitas, ut det sufficientem causam resiliendi, nempe quæ horrorem causet) post sponsalia effecta notabiliter deformior, non possit amplius placere, aut etiam notabiliter displiceat, apta non sit tollere a sponso occasionem fornicandi, aliique infelices eventus ex tali matrimonio timeri possint prudenter; adeoque jam etiam ratio sic decidendi *in cit. textu c. quemadmodum*; hanc deformitatem comprehendat, etsi aliam non exprimat, quam quæ oritur ex defectu membrorum; aut quæ illa major est. Porro quænam sit notabilis deformitas sufficiens ad solvendum sponsalia, decidendum est Judicis arbitrio; neque enim quilibet defectus pulchritudinis censendus est talis, sed ille tantum, qui quemlibet hominem prudentem ejus generis & conditionis a matrimonio absterret. Castrop. *n.* 5.

2. Resp. secundo: Pari modo solvuntur sponsalia per supervenientem morbum incurabilem aut contagiosum, V. G. paralysin, epilepsiam, lepram; qui morbi, cum reddant matrimonium difficillimum, nemo præsumi potest contrahendo sponsalia, intendisse contrahere cum tali matrimonium, Sanch. *d.* 57. *n.* 2 Gutt. *c.* 32. *n.* 3. Con. *cit. du.* 8 *nu.* 67. & in specie morbum Gallicum, utpote contagiosum magnum causantem horrorem esse causam sufficientem resiliendi, tradit cum Sanch. *l.* 1. *d.* 27. *n.* 2. Gutt. *cit. n.* 23. *n.* 3. Nav. *c.* 22. *n.* 27. Castrop. *cit. p.* 27. *num.* 3. quin & violentam hujus morbi suspicionem, etsi non plene probetur esse ad hoc causam sufficientem, tradunt Seraph. *decis.* 1113. *n.* 8. & 9 Riccius *decis.* 232. *n.* 4. Pont. *l. c.* apud Castrop. *cit. nu.* 3 Item adhuc sufficit oris graveolentia, dum arte medici curari nequit: quia pro mutua cohabitatione vix sustineri potest, estque indicium cujusdam habitualis morbi interni molestissimi, juxta *l. qui clarum §. fin. ff. de edilitio edict.* ita Sanch. Pont. Gutt. Pont. *LL. cit.* cum Castrop. *cit. num.* 3.

QUÆSTIO LXX.

Per quos defectus tenentes se potius ex parte animæ supervenientes solvantur Sponsalia.

RESP. per sequentes: primo, dum quis sponsorum ratione alicujus gravis delicti infamatur, Castrop. *n.* 7. Sanch. *d.* 57. *n.* 2. secundo, dum sponsus deprehenditur deditus scortationibus, ebrietati, aliive simili vitio; quia probrosum est talem ducere, & infelices exitus ex tali matrimonio timeri possunt. Castrop. *l. c.* Sanch. *d.* 63. *in fine.* Pont. *l. c. c.* 17. *n.* 6. Tertio, dum de novo cognoscitur sponsi sævitia, & morum asperitas; cum hæc etiam sit sufficiens causa ad divortium *c. ad dissoluas de resp. spoliat.* Castrop. *l. c.* Sanch. *d.* 58. *n.* 2. Gutt. *c.* 33. *n.* 1. Abb. *in c. veniens qui clerici vel voventes n.* 2. Quarto, dum ortæ graves inimicitiæ inter sponsos, solvuntur sponsalia ex utraque parte. Gutt. *n.* 2. Sanch. *n.* 3. Castrop. *n.* 7. Quinto, dum unius partis parentes obstinate contradicunt, unde timeri possit gravis discordia inter sponsorum parentes & consangui-

neos, & a fortiore inter ipsos sponsos. Laym. *l.* 5. *sum. tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 58. Con. *l. c. du.* 8. *d.* 68. Castrop. *l. c.* qui tamen ex Sanch. *l.* 1. *d.* 14. *num.* 3 monet caute in hac re procedendum, dum sæpe jactantur variæ minæ, terrores, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientia teste, ubi impetus deferbuit, & matrimonium contractum, in nihilum recidunt, & animi facile conciliantur.

QUÆSTIO LXXI.

An & qualiter ex superveniente fortunarum mutatione solvantur sponsalia.

1. RESP. primo: Ob defectum dotis promissæ, solvuntur ex parte alterius sponsalia, eo quod dotis promissio sit conditio, sub qua sponsalia celebrantur. Laym. *l. c. num.* 2. Sanch. *d.* 59. *n.* 2. Menoch. *de arb. l.* 2. *cas.* 455. *n.* 6. Castropal. *part.* 28. *num.* 5.

2. Resp. etiam, dum dos promissa non est, ob supervenientem sponsæ paupertatem solvuntur sponsalia. Laym. *l. c. n.* 18. Pont. *l. c.* Gutt. *c.* 33. *n.* 4. Gubus *Inst. major. tit.* 10. *num.* 17. Sanch. *l. c. nu.* 4. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *nu.* 5. contra Cov. *l. c. p.* 3. *c.* 5. *n.* 5 Mascard. *de prob. concl.* 577. *n.* 2. Siquidem hæc gravis est mutatio, quæ, si a principio fuisset, quemlibet prudentem a matrimonio avertisset; cum in promissione matrimonii maxime attendatur patrimonium contrahentis, ut onera matrimonii sustentari possint. Unde jam etiam deducitur, timorem justum, & probabilem exhæreditationis esse causam sufficientem dissolvendi sponsalia, Pont. *n.* 8. Seraph *decis.* 1258. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 4.

3. Resp. tertio: Si uterque sponsorum in paupertatem deveniat, utrique dari causam sufficientem dissolvendi sponsalia; cum apti non sint ad onera matrimonii sustinenda, neque in hoc casu sit compensationi locus. Pont. Castrop. *ll. cit.* citato Rebell. *l.* 4. *de oblig. Inst. q.* 8 *f.* 8. *n.* 70.

4. Resp. quarto: Si post sponsalia uni sponsorum obveniant magnæ divitiæ, quas ab initio non cogitavit, altero in suo statu permanente, per hoc non solvuntur sponsalia; cum altera pars per hoc facta non sit deterior; neque obstet, quod executio sponsalium illi facto ditiori sit facta durior ex eo, quod impediatur ab aliis sponsalibus ditioribus contrahendis; siquidem quod hac ratione executio sit facta durior, est per accidens, & sane alias, quoties sponsalia offerentur, minus ditiora solvi possent.

QUÆSTIO LXXII.

An & qualiter sponsalia dissolvenda authoritate Judicis.

1. RESP. primo: Stante causa certa de Jure (qualis dicitur, dum causa in jure expressa) & de facto (qualis est, dum certum est, causam, quæ allegatur, adesse) solvendi sponsalia, nulla requiritur Judicis authoritas; cum id nullibi caveatur, & dissolvens utatur jure suo certo. Sanch. *l. c. d.* 69. *n.* 3. Gutt. *c.* 35. *n.* 4. Sylv. *v. sponsalia q.* 11. Pont. *l. c. c.* 18. *in fine.* Rebell. *l. c. l.* 4. *q.* 8 *f.* 9 Castrop. *p.* 31. *n.* 1. Secus est, ubi non habetur saltem certitudo moralis, quæ ex fama, testibus, experientia habetur, aptaque est virum prudentem movere ad judicium, nedum causa est dubia de jure vel facto, alter privetur authoritate privata jure suo certo quæsito in re gravi, adeoque ei fiat injuria. Castrop. *l. c.* Sanch. *n.* 8. Gutt. *n.* 7. Siquidem quoties est probabile seu prudens judicium; & periculum committendi in alterum injustitiam, jus certum alteri licite tolli non potest, nisi in oppositum sit fundamentum prævalens contra certam ejus possessionem.

2. Resp. Per accidens tamen quandoque, ratione vitandi scandali facienda est dicta dissolutio authoritate Judicis. Sylv. Pont. Rebell. *ll. cit.* Gutt. *n.* 4. Sanch. *n.* 3. Castrop. *nn.* 2. & 2. dum nimirum sponsalia sunt publica, causa vero de jure & facto certa est occulta, intelligo, ita ut a majore parte viciniæ ignoretur. quamvis etiam in aliquibus diœcesibus prudenter statutum universaliter, ut sponsalia publica non nisi interpellato Judice solvantur; tum ut causa dissolutionis accuratius investigetur; tum ut omnis suspicio mali removeatur. Quam consuetudinem dicit Castrop. teste Laym. *in c.* 2. *b.* 1. approbari a S. Th. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 3.

QUÆSTIO LXXIII.

Quid igitur faciendum ubi sponsalia publica, & causa certa est secreta; quæ sine diffamatione partis propalari non potest.

RESp. Monere debes partem & comminari publicationem defectus, eaque non acquiescente, potest defectum occultum deferre ad Judicem; cum delatio illa (intellige, etiam cum facta infamatione partis alterius in judicio) sit juris tui defensio Castro *n.* 4. Laym. *l. c. p.* 2. *n.* 12. Pont. *l. c. n.* 8. Sanch. *l.* 1. *d.* 70. *n.* 2. Quod si etiam defectus, v. g. crimen ita occultum est, ut nemini alteri notum sit, vel esto, alteri sit notum, is tamen nolit testari (ad quod tenetur; ut jus, quod habes resiliendi, obtineas. Sanch. Castrop. *ll. cit.* Con. *d.* 53. *du.* 11. *n.* 93.) adeoque in judicio probari nequit, potius propria authoritate dissolvere potes sponsalia publica (intellige, etiam non attento periculo scandali, quod forte per accidens inde eventurum timetur) quia jam cessat obligatio interpellandi Judicem; cum sit frustranea ob defectum probationis, quin & tibi perniciosa esse posset, dum ob defectum probationis cogi posses stare sponsalibus, quibus non teneris. Laym. *l. c. s.* 2. *n.* 12. Sanch. *l. c. n.* 7. Castrop. *l. c.* Ac demum, si a Judice in hoc casu compellaris ad standum sponsalibus; cum hæc compulsio in re sit justa, falsæque præsumptioni innitatur in foro conscientiæ te obligatum non esse patere, sed mediis omnibus te subterfugere posse mandatum, ait Castrop. Porro in causa dissolutionis sponsalium Judicem esse ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum, non tamen Parochum, utpote qui in foro externo jurisdictionem non habet, ait Castrop. *num.* 4. *in fine* cum Sanch. *l. c. n.* 10. Gutt. *c.* 35. *in fine.*

QUÆSTIO LXXIV.

Qualis probatio requiratur, ut Judex Ecclesiasticus dissolutionem sponsalium concedat, ubi nimirum ejus authoritas ad hanc dissolutionem requiritur.

1. RESp. primo: Dum uterque contrahentium testatur adesse causam dissolvendi sponsalia, recte, & facile sine magna inquisitione ulteriore Judex pronunciare poterit pro dissolutione, eo quod licet causa sit ficta, hoc tamen facto contrahentes satis aperte consentiunt in dictam dissolutionem, Sanch. *l.* 1. *d.* 71. *n.* 2. Castrop. *p.* 32. *n.* 2. Menoch. *de arbit. l.* 2. *cap.* 103. *num.* 2. Gutt. *cap.* 36. *n.* 18. Idem sentiunt iidem AA. dum dictam causam adesse testaretur unus contrahentium, qui matrimonium contrahere cupit; eo quod is ferendo hoc testimonium recuset celebrari matrimonium, qua recusatione juncta cum alterius, nimirum non optantis, aut non multum cupientis celebrari matrimonium dissensu, utraque pars mutuo consensu concurrat ad dissolvenda sponsalia. Contrarium vero est, ut iidem AA. dum is, qui renuit celebrare matrimonium, testaretur adesse impedimentum, utpote cui credendum non est; cum ejus confessio cedat in ejus favorem, & in alterius præjudicium.

2. Resp. secundo: Dum causa impediens matrimonium probanda est testimonio alterius, sufficit unus testis juratus, deponens, se certo impedimentum sciro, etsi criminosus sit, suamque turpitudinem alleget, nec citatus fuerit, sed a parte productus, vel etiam ex generali mandato Parochi de revelando impedimento coactus, nec publice, & parte citata testimonium ferat, sed etiam & absque nominis publicatione, nisi forte sponsalia essent jurata; quia tunc ob firmiorem juramenti obligationem exactius testimonium requiritur, ac proinde nomen testis coram partibus publicandum. Castrop. *l. c. nu.* 3. dicens hæc omnia colligi ex *c. super eo il* 2. *de testibus c. præterea il* 2. *h. t.* Mascard. *de probat. concl.* 1035. *n.* 3. Sanch. *l.* 1. *d.* 71. *a num.* 2. Guttier. *cap.* 36. *a num.* 2. Cur autem in hoc casu jus contentum sit minore probatione, ratio est, quod agatur de impediendo peccato, quod sponsi impediti incurrerent contrahendo. Hoc non obstante, quod ad matrimonium dissolvendum seu declarandum nullum duo testes omni exceptione majores requirantur; quia etsi tunc quoque agatur de peccato vitando, quod tales committunt perseverando in tali matrimonio, agatur tamen etiam præterea de jure quæsito tollendo & solvendo vinculo, quod alias indissolubile est, Castropal. *cit. num.* 3. quod tamen etiam requiratur dictum unum testem debere esse juratum, ratio est, quia etsi agatur de peccato vitando, agatur tamen etiam de præjudicio tertii, juxta *cap. tua de cohabitat. Clericorum.* Sanch. *loc. cit. num* 10. Castropal. *num.* 4. Guttier. *loc. cit. num.* 8. Quod requiratur, ut deponat ex certa scientia, ita ut non sufficiat testimonium illius de auditu, ratio est, quod testimonium illius non esset firmius eo, a quo audivit impedimentum, qui tamen de hoc non præstitit juramentum, Sanch. Castrop. *ll. cit.* Gutt. *nu.* 9. quod ipsum tamen patitur exceptionem; nimirum quod tale testimonium de auditu faciat plenã etiam probationem in hoc casu, si deponat de audita consanguinitate vel affinitate a duobus suis majoribus, aperte distinguens inter gradus ab utraque parte; cum ea distincta graduum computatio æquivaleat certæ depositioni secundum Covar. *in* 4. *decret. p.* 2. *c.* 7. §. 10. *n.* 21. Mascard. *l. c. n.* 20. Gutt. *nu.* 10. Castrop. *l. c.* qui postremus etiam addit, quod debeat testis ille esse persona honesta, non vero vilis, quæ nequidem ad denunciandum admittitur, nisi factum ita sit clandestinum, ut aliter probari nequeat. Arg. *c. præterea de testibus.* Cui testimonio quantum tribuendum sit, Judici arbitrandum relinquitur. Sanch. *l. c. n.* 12 Menoch. *de arbit. l.* 2. *cas.* 90.

3. Resp. tertio: Dum sponsalia sunt jurata, adhuc sufficit unus testis integer de causa impeditiva matrimonii deponens, Castrop. *num.* 6. citatis Covar. *ubi ante num.* 22. Sanch. *loc. cit.* Gutt. *n.* 7. contra Gl. *in c. super eo de consang. & affin. vers. famæ.* Palud. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1 *a.* 3. *cas* 9. *num.* 27. Ratio est, quia probatio famæ de impedimento sufficiens est ad dissolvenda sponsalia jurata, ut deciditur *in cit. cap. super eo* testis autem unus integer æque ac efficacius probat, quam fama, Mascard. *l. c. concl.* 753. Sanch. *l.* 2. *de matrim. d.* 45. *num.* 27. cum communi, ut Castrop. *num.* 6 Ad hæc *cit. cap. super eo* expresse dicatur, unius testimonium sufficere ad solvenda sponsalia, absque eo, quod decisio restringatur ad sponsalia jurata Neque obstat *c. præterea il* 2. *hoc tit.* cum testis, cujus ibi fit mentio, non erat omni exceptione major, allegabatque suam turpitudinem, non publicato suo nomine, qui utique non sufficit, si sponsalia sint jurata. Neque *cap. in tua hoc tit.* cum ibi relatus testis non deposuit, sed solum denunciavit impedimentum, adeoque non necessaria, quod insuper requirebatur, impedimenti probatio. Neque in hoc casu agatur insuper de impedienda juramenti observatione. Nam de ea non agitur, uti nec de impediendo alterius jure; cum stante probatione impedimenti, non sit, seu cesset obligatio juramenti, uti & jus quæsitum sponsorum.

4. Resp. quarto: Sufficit quoque ad solvenda sponsalia, etiam jurata, fama a fide dignis orta. Sanch. *loc. cit. num.* 14. Gutt. *n.* 13. Castrop. *nu.* 7. Ut autem fama probet, debet esse allegata, & probata. Castrop. qui etiam contra Sanch ait, non sufficere impedimentum notorium esse, nisi hoc ipsum notorium probetur; cum alias, ut Gutt. *l. c. num.* 14. Judex sententiam ferret ex notitia privata, & non publica, quia & testes deponentes de fama debent esse jurati; cum testi non jurato in præjudicium tertii non debeat credi. Castrop. Gutt. *ll. cit.* ac denique fama non debet esse infirmata aliis clarioribus probationibus. Gutt. *n.* 15. Mascard. *cit. concl.* 1035. *n.* 14. Castrop. *l. c.* juxta *c. cum in tua h. t.* qualiter juxta eundem textum infirmaretur juramento consanguineorum. Abb. Alex. *ibidem* Sanch. *n.* 17. imo & contrahentium jurantium, se non esse consanguineos relinquendo Judicis arbitrio, quantum huic juramento tribuendum. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Mascard. *n.* 16. De cætero famæ, quæ est opinio majoris partis viciniæ, in qua ad minimum habitant decem conceditur hæc potestas, non vero rumori, qui est opinio minoris partis seu pauciorum. Sanch. *n.* 18. Gutt. *n.* 6. Castrop. *cit. n.* 7.

5. Resp. quinto ad probandam causam, vi cujus non impeditur matrimonium, sed solum conceditur alteri parti jus resiliendi, requiruntur duo testes: eo quod jam non agatur de peccato vitando, sed de præjudicio tertii, uti & in aliis causis, juxta *L. ut juris jur. c. de testib. c. licet ex quadam c. venerabilis cap. in omni negotio de testib.* requiruntur duo testes. Sanch. *l.* 5. *d.* 7. *num.* 7. Guttier. *l. c. num.* 17. Castrop. *n.* 8. Laym. *l. c. c.* 2. *nu.* 12. qui tamen frustra addit hanc limitationem, nisi timerentur infelices exitus & scandala ex tali matrimonio; quia stante eo timore sponsalia dissolvi possunt, nulla alia causa comprobata. Castrop.

QUÆSTIO LXXV.

An & qualiter sponsalia puberum dissolvantur mutuo consensu.

1. RESp ad primum affirmative, *cap.* 2. *h. t.* siquidem res omnis (intellige, quæ solubilis est, excipitur enim inter cætera matrimonii contractus ob rationem Sacramenti indissolubilis) per quas causas nascitur, per eas dissolvi potest *c.* 1. *de reg. jur.* & *c. omnis res* 27. *q.* 2. & nihil tam naturale est, quam eo genere quidquã dissolvi, quo colligatũ est *l. nihil ff. de reg. jur.* & obli-

& obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur § *ult. Instit. quib. mod. oblig. toll.* Extenditurque hoc ipsum ad sponsalia juramento firmata; quia juramentum promissorium appositum contractui tanquam accessorium sequitur ejus naturam & conditiones *cap. quemadmodum de jurejur.* unde sublata per mutuum consensum obligatione orta ex contractu sponsalium, tollitur etiam ea, quæ est ex juramento, & priori inpixa erat, utpote ejus confirmatoria. Cumque obligatio ex contractu promissoris hanc imbibitam habeat conditionem; nisi ea remissa fuerit; etiam juramentum talis contractus confirmatorium eam imbibit; consequenter ab eo, in cujus favorem factum, remitti potest. Quin etsi juramentum præstitum est in honorem DEI, ita tamen, ut tota res cedat in utilitatem partis, v. g. si ex pietate juraveris, te ducturum in uxorem Titiam fœminam pauperem, potest obligationem inde contractam fœmina illa remittere; quia non aliter promissum matrimonium, quam si ei placuerit matrimonium; unde nec Deus juramentum illi adjectum acceptavit. Ac ita illa prius acceptante promissum & deia matrimonium respuente, liber eris. Ita Castrop. *p. 17. n. 4.* Sanch. *l. 1. d. 52. a n. 7.* Pont. *l. c. c. 9. n. 2.* Gutt. *c. 24. num. 1.* Pirb. *h. t. nu. 40.* Neque his opponas *c. 2. hoc tit.* ubi dicitur, eos, qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem servent, si autem se invicem admittere noluerint, ne forte inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum &c. Si autem dissolutio patienter toleranda, jure ipso fieri nequit, & si nullam habent obligationem persistendi in sponsalibus, non tunc monendi, ut persistant. Nam melior est intellectus *cit. cap.* quem affert Castrop. *num. 3.* Pirh. *num 42.* nimirum sponsos monendos esse, ut fidem servent, dum non habent causam rationabilem resiliendi; cum resilientia illa sit levitas quædam, inconstantia & occasio obloquiorum, dum homines vulgo putant, sponsos resilientes violare sibi mutuo datam fidem, vel etiam juramentum. Quod si noluerint, tolerandam esse dissolutionem, mutuo eorum consensu factam, non tanquam in se malam, sed ut minus convenientem propter dictam notam inconstantiæ. Duplici enim modo aliqua a jure tolerari dicuntur. Primo permittendo aliquid (non positive & approbative, sed tolerative, & negative non inhibendo) quod in se malum est, ad vitandum majus malum, v. g. lupanaria ad vitanda adulteria & incestus. Secundo permittendo aliquid, vel etiam approbando tanquam licitum, quod in se malum non est, est tamen minus conveniens, ad majus inconveniens, aut etiam malum evitandum.

2. Resp. ad secundum: Debet consensus ille in dissolutionem sponsalium, seu remissio obligationis notificari alteri parti, & ab illa acceptari; siquidem remissio hæc non liberat remittentem ab obligatione, quousque ea remissio alteri parti grata non est. Et quamvis uno resiliente, pars altera fiat libera ab obligatione sua, si velit, si tamen nolit, sed velit persistere in sponsalibus, pars resiliens non deobligatur. Sanch. *l. c. n. 4.* Pont. *l. c. n. 5.* Castrop. *n. 2.* Pirh. *n. 41.* Item debet ista remissio obligationis, utrimque fieri sponte, & non coacte; si enim altera pars non libere, sed minis, terroribus, vel nimia importunitate alterius ducta, & quasi coacta ab altera parte consentit in dissolutionem, pars inducens seu adigens ad hoc in conscientia manet obligata, Sanch. *n. 3.* Pirh. *l. c.* de cætero etsi peccent saltem venialiter, dum utrimque libere solvunt sponsalia sine justa causa, hæc tamen raro deesse solet; estque etiam sufficiens, quod utrimque defervescat calor ille amoris & affectus, quo primitus sponsalia contraxerant, placente forte etiam magis alio, vel alia. Et hæc de dissolutione sponsalium contractorum inter puberes; qualiter enim dissolvantur mutuo consensu sponsalia contracta inter impuberes, dicetur commodius *Titul. seq.*

QUÆSTIO LXXVI.

An pars juste resiliens a sponsalibus ob ingressum religionis, vel aliud impedimentum inculpabile teneatur comparti solvere expensas, si quas fecit in parandis nuptiis.

Resp. Probabiliter id affirmant, Gutt. *de matrim. c. 78. n. 3.* Henriq. *l. 12. c. 10. in fine.* Laym. *l. c. n. 9.* eo quod contrahentes videantur se tacite obligare ad servandos se indemnes, casu quo absque culpa sponsalia solvantur. Arg. *l. pecuniam ff. de condit. culpa data.* Ubi dans alicui pecuniam, ut eat Capuam, altero nondum profecto pœnitere potest, ita tamen, ut profecturo solvat expensas factas in parando itinere; eo quod æquum non sit, ut is patiatur damnum, cum nullum ex solutione contractus commodum reportaverit. Negant econtra æque probabiliter, si non probabilius, Sanch. *l. c. l. 5. d. 5 n. 3.* Castrop. *p. 33. nu. 2.* eo quod id nullo jure cautum sit. Citata enim *Leg.* dans pecuniam profecturo, ideo tenetur eum servare indemnem, quia ipse pœnitere potest, non autem profecturus; & est inæqualis conditio, dum impensæ supponuntur factæ, non in favorem profecturi, sed dantis pecuniam; in sponsalibus autem uterque juste resilire potest posito impedimento, adeoque est æqualis utriusque conditio. Ex natura etiam contractus non infertur necessario hæc obligatio; cum fieri possit absque eo, quod unus alteri obligetur ad dictas impensas; imo, ut ait Castrop. sic fieri videtur, dum aliud non exprimitur, & jus libere resiliendi cuilibet est concessum.

CAPUT SEPTIMUM.

De matrimonii essentia, & essentialibus.

QUÆSTIO LXXVII.

Matrimonium unde dictum, & quid sit?

1. Resp. ad primum: Matrimonium sic dictum, quia fœmina nubit, ut mater efficiatur. S. August. *l. 19. contra Faustum.* Nomen potius traxit a matre, quam a patre; quia prolis ad quam matrimonium dirigitur, mater certa parens, cum pater sæpe sit incertus. Item quia fœmina gravius in eo onus sustinet, utpote prolem in utero, & extra illum sua substantia alens, Castrop. *de sponsal. disp. 2. part. 1. num. 2.*

2. Resp. ad secundum: Matrimonium sumptum quasi causaliter est actualis contractus, in quo personæ legitimæ consensu verbis vel signis expresso se mutuo obligant ad perpetuam vitæ societatem, & generationis usum. Pirh. *h. t. n. 67.* vel ut Castrop. *n. 2.* quo se invicem sibi mutuam in corpora potestatem concedunt ad usum matrimonii. Matrimonium vero sumptum formaliter pro vinculo ipso permanente (cujus causa efficiens est dictus contractus) seu per modum status perdurantis post dictum consensum seu contractum, definiri communiter solet juxta *l. 1. ff. de ritu nupt.* & *cap. illud de præsump.* maris, & fœminæ (intellige, quæ sunt personæ legitimæ nullo impedimento ligatæ) conjunctis individuam vitæ societatem retinens. Sanch. *l. 2. de matrim. disp. 1. num. 1.* Pont. *l. 1. de matrim. c. 2.* Jam vero, cum contractus ille seu matrimonium causaliter (in fieri, non in facto esse, ut dicetur paulo post) elevatum sit a Christo ad rationem Sacramenti, qua tale sic recte definitur: Contractus viri ac fœminæ legitimus, quo mutuo traditur potestas in corpora, gratiæ habitualis collativus. Tolet. *l. 7. sum. c. 5.* & ex eo Pont. *l. c. n. 10.* Castrop. *loc. cit. num. 2.*

QUÆSTIO LXXVIII.

Num consensus in copulam carnalem sit de essentia matrimonii.

Resp. Consensus formalis ac directus in ipsam copulam non est de essentia matrimonii; sed solum consensus directus in potestatem, seu jus habendi, seu obtinendi copulam, seu utendi corpore alterius, ita ut consensus matrimonialis expresse, formaliter ac directe pro objecto habeat non ipsam copulam, sed solum implicite, remote, ac virtualiter, seu in radice & causa, quatenus fertur directe in dictam potestatem & traditionem mutuam corporum. Sanch. *l. c. d. 28. n. 3. & 4.* Pirh. *loc. cit. num 69.* Unde jam sicut consensus ille in dictam traditionem & potestatem, ita & matrimonium subsistere potest cum intentione non consentiendi expresse in copulam, non tamen cum expressa exclusione copulæ; ut si mulier diceret viro: consentio in te, ita tamen, ut me carnaliter non cognoscas: Foret enim matrimonium hac ratione invalidum;

validum; cum talis conditio adjecta non tantum repugnet generationi & copulæ, sed etiam potestati ad copulam, ut docet D. Thom. *in 3. p. in supplem. qu. 48. a. 1. ad 3.* Pirh. *l. c.* citant Tanner. *d. 8. q. 3. du. 2. n. 12.* Atque ex hoc etiam patet; qualiter B. Virgo adstricta voto castitatis, eo illæso, & non lædendo contrahere potuerit cum D. Josepho verum matrimonium, nempe tradendo illi corpus suum ad usum, & consentiendo in dictam potestatem, non tamen consentiendo in actum secundum, seu usum corporis sui, & potestatem illius. Poteratque Virgo Sanctissima etiam vi contractus matrimonialis cum Josepho initi obligari ad reddendum debitum, si ille hoc petivisset; quia revelante Deo secura, & certa erat, illum nunquam illud petiturum, nec usurum dicta potestate. Castrop. *n. 3.* Pirh. *l. c.* Laym. *l. 5 sum. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 3.* Patet idem ex his, qualiter vera conjuges durante matrimonio consommato (nempe de mutuo consensu in religione approbata) non possint petere & reddere sibi debitum; quia vere retinent potestatem illam, sed impeditam ob votum castitatis, sicut, si a superiore ob causam illis prohibita esset copula. Unde, si contra votum vel talem prohibitionem haberent copulam, non peccarent adhuc contra justitiam, cum utantur re propria. Ita Castrop. *l. c. n. 3.*

QUÆSTIO LXXIX.

Quotuplex sit matrimonium.

RESP. Est triplex, legitimum, quod legitimo consensu seu secundum leges inter personas habiles contractum. Quale fuit tam in lege naturæ, quam gratiæ. Estque modo adhuc inter infideles, quod solvi potest favore fidei, uno ad fidem converso, altero remanente. Ratum tantum, quod inter fideles contractum habet rationem Sacramenti, non secuta copula carnali *c. quanto de divortiis.* Quod solvi potest professione religiosa; consummatum, quod accedente copula carnali est perfectum & completum, adeoque nullatenus dissolubile, Sanch. *l. 2. de matrim. disp. 1. num. 9.* Castrop. *num. 4.* dicens, hinc quoque triplicem oriri significationem matrimonii, nimirum quatenus est legitimum, significat conjunctionem Christi cum anima per gratiam. Quatenus est ratum, conjunctionem Christi cum tota Ecclesia per Baptismum. Quatenus consummatum, unionem hypostaticam Christi cum humanitate, sed de his infra accuratius, ubi de solubilitate & indissolubilitate matrimonii.

QUÆSTIO LXXX.

An & qualiter institutum matrimonium.

1. RESP. primo: In ratione contractus & in officium naturæ probabilius est, institutum esse a Deo, dum Adamus & Eva creati; eo quod eo ipso illis fuerit concessum, posse matrimonium contrahere, & sibi invicem tradere potestatem in usum corporis. Pont. *l. 1. c. 3. a n. 3.* Vasq. *de matr. d. 1. c. 3.* Castrop. *l. c. n. 5.* contraxisse vero videntur primi parentes actu matrimonium ante peccatum in officium naturæ, hoc est, in generis humani propagationem, quod post peccatum fuit quoque in remedium concupiscentiæ; dum Adamus dixit Evæ: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; Eva econtra, ut credibile est, alia similis verba proferente.

2. Resp. secundo: In ratione Sacramenti fuisse institutum a Christo, certum est, prout definitur a Concil. Florent. in *decreto fidei post ult. Sess.* a Trid. *Sess. 24. c. ult.* D. Th. *2. 2. q. 100. n. 2.* Sanch. *l. 2. d. 4.* Vasq. *c. 4.* Pont. *l. 1. c. 5. per tot.* & alii plures apud Castrop. *n. 6.* quandonam autem sit institutum, non satis est certum. Sanch. *l. c.* Laym. *l. c. c. 2. n. 1.* Pont. *l. c. c. 6.* quos sequitur Castr. *n. 6.* putant illud fuisse institutum, *Matth. 19.* ubi ejus inseparabilitatem præcepit, & commendavit Christus, juxta quod insinuat Trident. *Joan. 2.* vero in nuptiis Canæ Galilææ non tam a Christo institutum, quam institutendum approbatum fuisse. Alii vero ut Tanner. putant, institutum fuisse intra 40. dies, quibus Christus post Resurrectionem suam conversatus cum Apostolis.

QUÆSTIO LXXXI.

An matrimonium sit verum Sacramentum.

1. RESP. primo: Matrimonium in lege naturæ & Mosaica non fuit proprie Sacramentum; quia non habuit virtutem sanctificandi conjuges, sed mere contractus naturalis, etsi dici possit habuisse rationem aliquam Sacramenti improprium, quatenus aliquo modo figurabat conjunctionem DEI cum homine per gratiam, vel etiam Christi cum Ecclesia. Sanch. *l. 2. d. 7. n. 2.* Castrop. *p. 2. n. 1.* cum communi.

2. Resp. secundo: Matrimonium infidelium seu non baptizatorum non est Sacramentum; cum Baptismus ex institutione Christi sit janua omnium Sacramentorum, sine quo nullum Sacramentum subsistit, ut Tridentin. in *decret. de Baptism.* His non obstante, quod in *c. veniens de clerico non baptiz.* dicatur posse non baptizatum suscipere Eucharistiam & matrimonium; cum id intelligendum de matrimonio in ratione contractus, & de susceptione materiali Eucharistiæ, ut Castrop. *loc. cit.* vel dicendum cum Rebell. *l. 2. de matrim. q. 3. num. 16.* Pont. *l. 1. c. 6. num. 5.* Papam ibi locutum non definitive, sed dubitative.

3. Resp. tertio: Matrimonium contractum inter fideles seu baptizatos est verum Sacramentum novæ legis, est de fide definitum in Tridentin. *sess. 24. can. 1.* contra Lutheranos aliosque sectarios; cum celebratum cum legitima intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est signum practicum ex institutione Christi gratiæ sanctificantis collatæ viro & mulieri debito illud suscipienti; quin & intuitu illius conferantur gratiæ Sacramentales seu actuales sane vel maxime necessariæ ad onera matrimonii ferenda; cum enim matrimonium sit vinculum perpetuum indissolubile, etiam cum conjuge sterili & morbida &c. foret jugum intolerabile, nisi Christus promissionem gratiæ annexuisset ad patienter ferendum hoc onus, & concupiscentiæ ardorem sedandum, & proles pie educandas. Porro in eo, num matrimonium fidelium, non tantum in fieri, sed & in facto esse sit Sacramentum, AA. non conveniunt; affirmant Bellar. *l. 1. de matrim. c. 6.* Sanch. *l. 2. d. 5. num. 7.* Laym. *l. 5. tract. 10. p. 2. c. 2. num. 4.* Rebell. *l. c. q. 4.* moti præcipue exemplo Eucharistiæ. Negant Castrop. *l. c. n. 3.* Coninck. *d. 24. du. 3. n. 11.* in facto esse verum Sacramentum, eo quod Sacramentum sit signum practicum gratiæ, hoc est, suo usu ex opere operato sanctificans suscipientem; conjuges autem usu matrimonii non sanctificantur ex opere operato, disparitas vero quoad Sacramentum Eucharistiæ sit, quod hæc in fieri, seu dum fit, non sit Sacramentum, sed sacrificium, facta vero sit Sacramentum; quia usu suo sanctificat suscipientem. De cætero nihil ad rem facit, quod in fieri non significet unionem Christi cum Ecclesia; cum ea significatio non probet esse Sacramentum, quatenus illud est signum practicum gratiæ; sed solum esse Sacramentum, sumpto Sacramento late pro signo rei sacræ divinitus instituto.

QUÆSTIO LXXXII.

An dum uterque conjux infidelis convertitur suscepto Baptismo, matrimonium illorum efficiatur Sacramentum.

RESP. affirmari communius cum Sanch. *l. 2. d. 9. nu. 5.* Rebell. *l. 2. q. 6. concl. 1.* Bellarm. *l. 1. cap. 51. in fine.* Gutt. *de matrim. c. 42. num. 5.* Laym. *l. c. p. 2. cap. 3. n. 6.* Pirh. *loc. cit. n. 71.* E quibus Sanch. Gutt. Pirh. censent, eo ipso, quod infideles baptizentur, effici Sacramentum sine alio novo consensu, intellige, expresso; de cætero namque tenent, ut expresso Pirh. eo ipso, quod intendant baptizari, virtualiter & implicite illos consentire in matrimonium præcedens, ut hoc sit indissolubile, adeoque Sacramentum, esseque hunc consensum Baptismo velut signo externo expressum novam materiam & formam hujus Sacramenti. Alii eorum, ut Bellarm. Laym. censent, requiri novum consensum explicitum antiqui consensum approbativum, signis externis aut maritali copula expressum. Econtra Castrop. *l. c. num. 14.* Vasq. *Tom. 2. in 3. p. disp. 138. c. 5.* Coninck. *disp. 24. du. 2. concl. 7.* Pont. *l. 1. cap. 9. num. 8.* censent tale matrimonium nunquam effici Sacramentum; eo quod tales in contractu prius vinculo matrimonii perseverent, neque illud augeatur aut diminuatur, sive de novo consentiant sive non, vel etiam dissentiant; adeoque ex novo illo consensu (intellige, sive expresso, sive virtuali) non potest effici matrimonium, & consequenter nec Sacramentum. Item quod Sacramentum matrimonii tunc est, quando baptizati sibi mutuo tradunt corpora ad usum conjugalem, quod non fit, dum infideles facti fideles renovant consensum priorem: jam enim corpora sunt tradita; adeoque per talem consensum approbativum prioris consensus seu traditionis corporum ea non traduntur. Quod autem suscepto Baptismo vinculum illud jam prius contractum fiat ratum & indissolubile, non est ex eo, quod a baptizatis denuo approbetur; sed ex eo, quod Baptismo suscepto, cesset causa, ob quam alias dissolvi poterat, nimirum, altero eorum renuente con-

converti & baptizari. Ad hæc fideles reddunt matrimonium contractum omnino indissolubile per consummationem illius, & repræsentativum unionis Verbi cum natura humana, absque eo quod Sacramentum de novo conficiant & suscipiant.

QUÆSTIO LXXXIII.

An fidelis baptizatus contrahens ex dispensatione Papæ cum infideli suscipiat Sacramentum.

RESp. negative; Sanch. *l.* 2. *d.* 8. *num.* 2. Vasq. *de matr. d.* 2. *cap.* 4. *num* 10. Castrop. *num.* 11. Gutt. *c.* 42. *nu.* 4. Pont. *l.* 1. *c.* 6. *num.* 7. contra Sotum *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 3. *in fine*. Less. *hom.* 73. *de Sacram.* Ratio est, quia Sacramentum matrimonii unicum est & indivisibile, sicut est unicus & indivisibilis contractus afficiens virum & fœminam, sed Sacramentum non afficit infidelem; ergo neque alteram partem fidelem afficere potest. Verum quidem est, quod in hoc casu fidelis vere contrahat, sed contractus ille non est simpliciter fidelis, cum etiam sit contractus infidelis; Christus autem illum contractum elevavit ad rationem Sacramenti, qui est contractus simpliciter fidelis. Apostolus vero 1. *ad Cor.* 5. dicens; virum infidelem sanctificatum esse per mulierem fidelem, per hoc indicare non voluit, quod matrimonium illud mulieris sit Sacramentum, sed quod occasione talis matrimonii speretur virum convertendum & sanctificandum.

QUÆSTIO LXXXIV.

An duo fideles contrahere possint matrimonium absque eo, quod Sacramentum suscipiant.

RESp. affirmant hoc ipsum satis probabiliter Rebell. *de oblig. just. p.* 2. *l.* 2. *quæst.* 5. *concl.* 1. Vasq. *Tom.* 2. *in* 3. *part. d.* 138. *c.* 5. Pont. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Gasp. Hurt. *de matr. d.* 3. *diff.* 19. Fundamentum eorum est, quod neque ex scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus constet, Christum ita conjunxisse rationem Sacramenti contractui matrimoniali fidelium, uti hi nullatenus possint contractum hunc separare a Sacramento, cum licet nequeat esse sacramentum matrimonii, quin sit legitimus contractus, quia est ejus materia & forma, contractui tamen matrimoniali ea ratio Sacramenti non est essentialis, sicut licet Sacramento Baptismi essentialis sit ablutio & prolatio verborum, non tamen illi ablutioni & prolationi essentialis sit ratio Sacramenti Baptismi, quippe ex defectu intentionis ab iis separabilis. Ad hæc quod contractus matrimonii censeri debeat validus, quamdiu nullibi in jure irritatur; sed nullibi in jure contractus ille fidelium absque intentione Sacramenti, sive qui per intentionem absolute ratio Sacramenti est separata, invalidatur, imo ex *c. fin. de cond. apposit.* colligitur contrarium, dum ibi conditiones turpes & impossibiles a contractu matrimoniali rejiciuntur; adeoque conditio illa, quod ille contractus Sacramentum non sit, tanquam turpis est repellenda, subsistente nihilominus contractu matrimoniali. Negant econtra Castrop. (qui etiam dicit hanc sententiam veriorem) *cit. part.* 1. *num* 5. citatis etiam pro ea Sanch. *L.* 2. *de matrim. dist.* 10. *num.* 9. Con. *dist.* 24. *dub.* 6. *conclus.* 4. *&c.* ad quos accedit Pirh. *hoc tit. numer.* 74. Fundamentum eorum est omnino contrarium, nimirum, quod cum Christus ita contractum matrimonialem fidelium elevaverit ad rationem Sacramenti, totaque essentia Sacramenti consistat in contractu illo, quo fideles tradunt sibi corpora ad usum conjugalem, fideles intendentes verum matrimonium, non possint non velle suscipere Sacramentum, sive non possint unam intentionem separare ab alia. Verum negabunt adversarii sequelam, & retorquebunt dicendo: Christus ablutionem & prolationem elevavit ad rationem Sacramenti, totaque essentia Baptismi consistit in illa ablutione & prolatione, & tamen possunt separari a ratione Sacramenti. An vero licitum sit, fideles contrahere matrimonium, separando ab eo per intentionem rationem Sacramenti, dum etiam lex nulla humana aut divina ostendi queat, quæ id vetet, alia est quæstio; saltem non sequitur: possunt eam separationem facere; ergo licet eam facere. Sed neque ex eo, quod Florentinum & Trid. absolute & sine exceptione pronuncient, matrimonia fidelium Sacramentum esse, satis efficaciter probatur contrarium; cum supponere videantur, fideles secundum usum communem & institutionem Ecclesiæ non aliter contrahere matrimonium, quam saltem implicite intendendo suscipere Sacramentum, non excludendo ejus rationem positive, quemadmodum etiam Acatholici contrahentes matrimonium, dum propter errorem speculativum, quo putant matrimonium non esse Sacramentum, nolunt suscipere Sacramentum, illud nihilominus adhuc suscipiunt, dum non obstante illo errore suo, intendunt celebrare matrimonium eo modo, quo solent baptizati fideles Christiani; adeoque eorum matrimonia adhuc sunt indissolubilia. Quod si autem nullatenus & absolute nollent suscipere Sacramentum, sed solum celebrare contractum civilem; adversarii non admittent, ut volunt AA. secundæ sententiæ, illos omnino nihil facere, sive nec contractum, nec Sacramentum, sed dicent, illos adhuc celebrare matrimonium, sicut infideles cum hoc solum discrimine, quod ratione Baptismi eorum matrimonium sit ratum & indissolubile.

QUÆSTIO LXXXV.

An matrimonium fidelium celebratum per epistolam vel procuratorem sit verum Sacramentum.

RESp. affirmative: Valent. *Tom.* 4. *dist.* 10. *q.* 1. *p.* 6. *in solut. ad* 4. Sanch. *l.* 2. *d.* 11. *num.* 27. Bellarm. *de matr. l.* 1. *cap.* 5. *ad* 1. Pont. *l.* 1. *c.* 10. *num.* 3. Gutt. *de matrim. c.* 43. *n.* 8. Castrop. *n.* 8. contra Cajet. *in opusc. de matrim. q.* 1. Bassolis & plures alios apud Castrop. *num.* 7. quorum sententiam probabilem judicat Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *l.* 2. *quæst.* 5. *concl.* 2. Ratio est, quod matrimonium non secus ac alii contractus legitimi celebrari possunt per literas & procuratorem, utpote qui non egent verbis formalibus, sed perfici possunt verbis æquivalenter talibus, cum igitur Christus elevando contractum legitimum ad rationem Sacramenti, non immutaverit contractus naturam, nihil obstat, quo minus celebrans dicta ratione contractum matrimonialem verum suscipiat Sacramentum. Sed neque requiritur ad suscipiendum Sacramentum, ut actualem habeat libertatem, sed sufficit, quod illam habuerit, nec revocaverit, ut contingit in eo, qui dormiens baptizatur, hoc verum, quod ad ministrandum per propriam personam Sacramentum requiratur actualis in ministro libertas, sed cum Sacramentum matrimonii celebrari possit per personam intermediam, non requiritur, ut quando ministratur, minister ejus principalis habeat actualem libertatem. Castrop. *num.* 9. ut vero digne suscipiatur, debet, non procurator, sed ille, cujus nomine contrahitur matrimonium, esse in gratia eo tempore, quo contrahitur, adeoque tenetur ad gratiam sese disponere pro eo tempore, quo probabiliter credit a procuratore celebrandum.

QUÆSTIO LXXXVI.

Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonii,

1. RESp. in hac quæstione resolvenda vel maxime dissident AA. prætermissis aliis minus probabilius, veritati viciniores aliquot subjungo responsiones. Primo Rebell. *L.* 2. *q.* 4. *§.* 3. Valent. *l. c.* Navar. *c.* 22. *nu.* 20. Sylv. *v. matrimonium quæst.* 1. volunt materiam esse consensum, formam verba, quibus is exprimitur, sed contra est, quod materia tam contractus humani & politici, quam Sacramenti prout distincta a forma, nequit esse integre & totaliter insensibilis, secus ac accidit in Sacramento pœnitentiæ, in quo licet contritio insensibilis sit materia proxima, prout tamen distincta a confessione seu verbis non est tota materia, ad hæc, prout requiritur ad formam, verba non determinant aut perficiunt consensum, sed solum illum declarant, iisdem fere rationibus refellitur directe opposita sententia dicens verba esse materiam, & consensum esse formam.

2. Secundo docent Suar. *Tom.* 3. *de Sacram. d.* 2. *f.* 1. Bellarm. *l.* 1. *de matrim. cap.* 6. Sanch. *l.* 2. *dist.* 5. *num* 6. Con. *d.* 24. *d.* 3. *concl.* 1. *num.* 33. Gutt. *de matrim. c.* 41. *n.* 1. Pirh. *h. t. num.* 75. mutuos consensus verbis expressos esse sibi invicem materiam & formam sub diversa consideratione, nimirum esse materiam, quatenus corporum traditionem continent, & esse formam, quatenus illorum acceptationem significant; eo quod cum in omni contractu sit traditio & acceptatio, & traditio inefficax sit, quousque acceptatione compleatur & perficiatur, merito contractus, prout significat traditionem, rationem materiæ determinabilis habere debet, & rationem formæ, prout acceptationem denotat. Sed contra hanc sententiam esse videtur, quod contractus non tam constet ex traditione & acceptatione, quam illam pro objecto habeat, formaliter autem & intrinsece consistat in mutuo consensu interno verbis seu signis expresso. Ad hæc in hac sententia non satis explicari possit, qualiter hoc Sacramentum sicut & reliqua perficiatur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; cum traditioni &

acceptationi, quæ fit ex consensu verbis expresso, ratio verborum & rerum convenire nequeat. Item non explicatur, qualiter verba a rebus distinguantur, prout ea in omni Sacramento distinguit Florent. dum dicit, Sacramenta omnia perfici verbis tanquam forma, & rebus, ut materia.

3. Tertio docent Castrop. *d. 2. part.* 3. *num.* 2. Vasq. *in 3. p. Tom. 2. disp.* 129 *cap.* 3. & *disp.* 3. *de matrim. cap.* 5. Pont. *l.* 1. *cap.* 7. *num.* 12. Covar. *part.* 2. *de matrim. cap.* 1. §. *unico num.* 8. Gasp. Hurtad *disp.* 3. *de matrim. diff.* 21. &c. consensu utriusque contrahentis verbis vel signis expressum esse formam matrimonii, tam in ratione contractus quam Sacramenti (eadem enim est forma & materia utriusque, dum Christus instituens Sacramentum matrimonii contractui matrimonii non mutatato superaddidit, seu adjunxit rationem Sacramenti, seu vim practice significativam gratiæ) materiam vero proximam esse traditionem & acceptationem corporum, & materiam remotam ipsa corpora, esse vero materiam, non ex qua contractus coalescat, sed circa quam versetur, & qua ipse contractus perficiatur, juxta Concilium Florent. signanter dixerit, Sacramenta omnia perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, tacite hac ratione indicans, non esse necessarium, quod Sacramenta omnia intrinsece constent rebus vel verbis; cum alias dicere debuisset *constare*, non *perfici*. Ex eo magis placere posset hæc sententia, quod melius hoc modo explicari queat, qualiter matrimonium, ut reliqua Sacramenta perficiatur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Item qualiter matrimonium cum reliquis conveniat contractibus, quorum forma est consensus expressus verbis contrahentium, & illud est materia, quod consensus ille respicit & circa quod versatur.

QUÆSTIO LXXXVII.

Quis sit minister Sacramenti matrimonii

RESp. Sunt ipsi contrahentes. Sanch. *l.* 2. *disp.* 6. *num.* 2. Pont. *l.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Castrop. *part.* 4. *nu.* 2. cum communi & certa; ille enim solus est minister Sacramenti, qui illius materiam & formam ponit, hoc faciunt soli contrahentes, exprimunt enim mutuum consensum de mutua corporum suorum traditione & acceptatione, & certe constat contrahentes esse ministros matrimonii, quatenus est civilis & naturalis contractus, eatenus autem illud Christus elevavit ad rationem Sacramenti. Supponit hoc ipsum, nempe parochum nihil participare de ratione ministri. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. irritando matrimonia celebrata sine præsentia parochi; supponit siquidem matrimonia alias celebrata sine parochi præsentia fuisse valida tam in ratione contractus quam Sacramenti. Porro contrahentes in peccato mortali, quatenus sunt ministri, peccare saltem mortaliter: eo quod non sint ministri consecrati ad hoc munus, negant Sanch. *l.* 2. *disp.* 1. *num.* 4. Coninck. *d.* 24. *dub.* 3 *num* 34. affirmant econtra Castrop. *n.* 3. Pont. *L.* 1. *cap.* 8. *num* 11 Vasq *loc. cit. disp.* 136. *cap.* 3. Navar. &c. eo quod sint Christi instrumentum ad gratiam conferendam.

QUÆSTIO LXXXVIII.

An & qualis consensus requiratur ad matrimonium.

RESp Conjugum consensum necessarium esse ad matrimonium, indubitatum est, prout deciditur expresse, *c. cum locum c. tua n.* 1. eumque liberum libertate sufficiente ad peccatum mortale; quia causa est translativa dominii proprii corporis & gravis obligationis, posse tamen matrimonium sumptum pro vinculo & obligatione ad cohabitationem mutuam a Deo concedi & imponi conjugibus absque eorum consensu probabilius censet Castrop. *cit. disp.* 2 *part* 5. *num.* 2. citans pro hoc Sanch. *L.* 2. *disp.* 26. *num.* 1. Coninck. *disp.* 24. *dub.* 5. *conclus.* 1. & 2. Guttier. *de matrim. cap.* 46. *num.* 1. eo quod nulla appareat in hoc repugnantia, quod Deus suppleat, id quod præstare debebat consensus tradendo conjugibus mutuo dominium in corpora, & hac ratione extraordinarie per divinam potentiam acquiri dominium sine positiva acceptatione seu consensu in illud; cum ex potestate civili probabiliter possit alicui acquiri dominium contra ejus voluntatem; quin & aliqui censent, sic de facto Deum conjunxisse primos parentes sine eorum consensu, idque indicari verbis illis Christi *Matth.* 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet*; de quo vide Castrop. *loc. cit. numer.* 3. Illud certum, nulla potestate humana posse aliquos conjungi in matrimonium sine eorum consensu; cum neque Ecclesia, neque Princeps ullus alius habeat dominium in nostra corpora, præcipue quo ad usum matrimonii; proinde textus nulli definiant, matrimonium quandoque, deficiente consensu, subsistere. V. G. vi præcise copulæ subsecuta Sponsalia; sed quia quandoque in aliquali dubio tam vehementer præsumunt ex conjecturis consensum adfuisse, ut nullam in contrarium admittant probationem, hac de causa declarant prædicta matrimonia esse valida.

QUÆSTIO LXXXIX.

In quid consensus ille expresse vel saltem virtualiter ferri debeat.

RESp. Necesse est, ut feratur in mutuam corporum traditionem, in obligationem justitiæ ad conjugalem copulam, obligationemque abstinendi a qualibet alia; in dicta enim traditione & obligatione consistit essentia matrimonii. Econtra vero, quia carnalis copula, mutua cohabitatio, & fidelitatis observatio non sunt de essentia matrimonii; neque illud necessario consequuntur, necesse non est, ut in ea feratur consensus. Castropal *num* 5. His non obstantibus, quod videatur matrimonium consistere absque ulla obligatione ad copulam. V G dum conjuges mutuo consensu vovent castitatem vel promittunt invicem se nunquam petituros debitum. Nam in contractu matrimoniali non oritur obligatio justitiæ ad copulam petitam pro omni occasione ac tempore reddendam; sed quoties alter non fuit ad impeditus eam petere, uti accidit, dum conjuges privarunt se jure libere petendi ex voto vel mutuo consensu; adeoque excusantur tunc conjuges ab obligationa reddendi debitum: quia in isto casu non est debitum.

QUÆSTIO XC.

Num falso existimans subesse impedimentum dirimens consentire valide possit in matrimonium.

RESp. Negativam, quam tenent Coninck. *loc. cit. dub.* 6. Navar. *cap.* 22. *num.* 56. Castrop. *loc. cit. num* 8. aliique apud Sanch. *l.* 2. *disp.* 33. *num.* 1. contra eundem, uti & Gutt. *loc. cit. cap.* 47. *nu.* 1. Covar. *in 4. decret. part.* 2. *cap.* 3. §. 7. Videtur probabiliorem; eo quod certo absque formidine credens subesse impedimentum, credat matrimonium sibi absolute esse impossibile, qua falsa cognitione stante, nequit serio velle matrimonium, non solum absolute (ut concedunt AA. oppositæ sententiæ) sed neque sub conditione, si possibile est, ut volunt iidem. Quia ad hanc voluntatem habendam debeat credere, in aliquo casu possibile sibi esse illud matrimonium, quod credere non potest, quamdiu indubitanter credit adesse impedimentum dirimens illud pro omni casu. Frustraque adducitur in oppositum exemplum hæretici valide baptizantis, etsi firmiter credat Baptismum non esse Sacramentum; nam non ideo valide baptizat, quia baptizat sub conditione, si forte sit Sacramentum, quia istam voluntatem habere non potest, dum absolute credit, non esse, nec esse posse in aliquo casu Sacramentum, sed quia intendit facere, quod Christus instituit, sub qua intentione continetur voluntas conferendi Baptismum Sacramentum, & quæ consistere potest cum credulitate & errore, quo existimat non esse Sacramentum. Item frustra adducitur *Clem. unica de consanguinitate*, ubi excommunicatur, quia vere contraxit, vel etiam efficaciter contrahere intendit matrimonium; sed quia extrinsecus id attentavit animo vacandi libidini.

QUÆSTIO XCI.

Num consensus utriusque conjugis debeat simul existere.

RESp. ut utriusque conjugis consensus physicus & actualis sit simul, non requiritur, neque ratione Sacramenti, utpote ad quod constituendum sufficit partes inter se moraliter conjungi & coexistere sibi, ut patet in Sacramento pœnitentiæ; neque ratione contractus, in quo facilius adhuc admittitur illa moralis conjunctio *l. qui præsens ff. de V. O.* patetque in præsente, dum contractus matrimonii celebratur per epistolam vel procuratorem. Poterit itaque matrimonium celebrari consensu physice præterito habitualiter per-

perseverante, absque eo, quod opus sit permanere illum in effectu aliquo producto, qui sit causa contrahendi; cum nihil physicum efficere debeat, sed solum hunc moralem effectum, traditionem nimirum mutuam corporum, mutuamque obligationem, ad quam præstandam sufficit perseverantia moralis habitualis; ideoque licet multum temporis intercesserit inter unum & alium consensum physice elicitos, si tamen de facto neque expresse, neque tacite revocatus fuerit, sufficiet ad contrahendum matrimonium. Ita Castrop. *part. 6. num.* 2. idem fere sentiunt Sanch. *loc. cit. d.* 32. *quæst,* 1. *nu.* 7. Pont. *l.* 2. *c.* 16. *a num.* 2. Coninck. *l. c. du.* 7. *concl.* 1. & 2. nisi quod velint relinquendum arbitrio prudentis, quantum temporis intercedere possit inter consensus illos mutuos. Unde jam etiam patet, hæc locum habere, ubi viget Trid. sive ubi requiritur præsentia Parochi & testium; dum nimirum hodie exprimitur consensus unius coram parocho & testibus & alterius consensus coram eodem parocho & iisdem testibus die alia, etsi hi nesciant, num prior consensus revocatus sit, cum id necessarium non sit, ut patet, dum assistunt matrimonio celebrato per procuratorem. An vero consentiente ficte, altero præbente consensum legitimum, possis dein denuo vere consentire, quin alter denuo consentiat, ac ita celebrare matrimonium validum, non ita certum est. Affirmat Sanch. *l.* 2. *dist.* 32. *numer.* 2. eo quod prioris consensus adhuc maneat habitualiter. Negat Castropal. *numer.* 3. eo quod non tantum primus ille consensus tuus ob fictionem fuerit nullus, sed etiam alterius consensum reddiderit nullum; cum is non intenderit traditionem corporis sui, nisi alter etiam sui corporis traditionem fecerit, quia est contractus mutuus onerosus; adeoque ex perseverantia dicti consensus, utpote nullius valoris, consurgere nequeat matrimonium.

QUÆSTIO XCII.

An & qualiter consensus matrimonialis exprimendus.

1. RESP. primo: Necessario exprimendus verbis vel signis; cum matrimonium sit contractus respectivus humanus & politicus, qui sola mente celebrari nequit; estque insuper Sacramentum, quod necessario est signum sensibile gratiæ sanctificantis.

2. Resp. secundo: Etiam in valentibus loqui, consensum exprimi per verba formaliter talia non est de necessitate Sacramenti. Sanch. *dist.* 31. *num.* 5. Vasq. *dist.* 3. *de matrim. cap.* 7. Covar. *in 4. decret. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Pont. *l.* 2. *c.* 7 *num.* 4. Castrop. *part.* 7. *num.* 3. Argum. *cap. unic. §. fin. de despons. impub. in* 6. ubi pro puella præsente & tacente pater præstat consensum & verum matrimonium constituit; quia puella medio illo silentio consensum paternum approbat; ut inquit D. Thom. *in 4. dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. *q. ad* 3. Et certe si verba necessitate Sacramenti necessaria essent, id utique expressisset Florent. dum exacte materias & formas Sacramentorum declarat. Dum vero idem Concilium ait: *causa efficiens matrimonii est consensus regulariter per verba de præsente expressus*; non vult consensum, prout ordinarie exprimitur per verba eadem, esse causam necessariam Sacramenti, sed indicat solum consensum, qui est causa Sacramenti, ordinarie seu regulariter & commodius exprimi per verba.

3. Resp. tertio: Sed neque in valentibus loqui ad exprimendum consensum, verba sunt necessaria necessitate præcepti; quia nullibi tale præceptum extat. Sanch. *loc. cit. n.* 10. Guttier. *cap.* 46. *num.* 11. (qui tamen volunt esse peccatum veniale, dum valentes loqui omittunt verba, quod tamen sibi non placere, ait Castropal. quia ubi nulla lex, ibi nulla prævaricatio) Pont. *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 14. Coninck. *loc. cit. dub.* 8. *concl.* 4. Illud tamen fatendum, esse maxime decens, ut contrahentes verbis utantur, ad hoc, ut Ecclesiæ certius constet de matrimonio contracto, quod & non plus vult textus *cap. tuæ fraternitati*; dicens, verba quo ad Ecclesiam esse necessaria item textus, *cap. licet & cap. consultationi*, nimirum verbis matrimonium perfici; non quasi ea ex institutione Ecclesiæ sint necessaria seu præscripta, sed quod sint signa aptiora consensus; unde etiam ait Castrop. *cit. num.* 5. *in fine* quandoque ratione scandali, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium esse contrahentes consensum suum verbis exprimere.

QUÆSTIO XCIII.

An & quando copulam inter Sponsos de futuro signum sit expressivum consensus matrimonialis.

1. RESP. primo: est signum sufficienter expressivum consensus matrimonialis seu matrimonium contractum esse in iis locis, ubi Tridentinum non est receptum, non quidem ex natura rei, sed præsumptione juris, quatenus jus pie præsumit, matrimonium ante copulam illam contractum, ne ea alia sit fornicaria, dum enim Sponsi de futuro possunt inter se copulari tam animo fornicario, quam affectu conjugali, Ecclesia, ne judicet illos deliquisse, credit copulam processisse affectu conjugali, voluisseque Sponsos hac ratione promissionem matrimonii contrahendi ad executionem deducere. Castrop. *p.* 8. *n.* 4. juxta *c. si qui fidem c. fin. h. t.* Porro dum Titius contractis sponsalibus cum Anna, ea invita contrahit sponsalia cum Maria, & dein utramque cognoscit, copula illa habita cum Maria, non poterit esse signum contracti cum ea matrimonii; quia sponsalia cum ea fuerunt nulla; copula vero illa cum Anna habita potuit esse signum contracti cum illa matrimonii, licet enim voluntatem habuerit recedendi ab ejus sponsalibus, contrahendo sponsalia cum Maria, de facto tamen non recesserit, & copulam cum ea habens, censendus est prædictum contractum approbasse, & attentatum recessum emendasse. Castrop. *n.* 5. cum Pont. *l. c. c.* 12. *n.* 6.

2. Resp. secundo: In locis, ubi receptum Trid. copulam habitam inter sponsos de futuro coram Parocho & testibus esse signum sufficiens consensus conjugalis; adeoque per eam sponsalia transire in matrimonium; eo quod jam Parochus & testes, qui prius astiterunt sponsalibus, assistentes dein tali signo seu copulæ sufficienter de consensu in matrimonium testari possint, affirmant Sanch. *l.* 3. *d.* 40. *n.* 7. Gutt. *c.* 41. *n.* 13. Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *n.* 7. quod etsi neget Castrop. *nu.* 6. cum Coninck. nihil tamen contrarium afferunt, non enim video, cur (quod dicunt) copula illa non possit esse signum consensus habiti coram Parocho, quod requiritur; cum copula illa præsumptive procedat ex affectu conjugali, adeoque sit præsumptive ipse consensus in executionem promissi matrimonii, de consensu matrimonii coram se habiti satis testari possunt.

3. Resp. tertio: Ob attentationem copulæ habitam post sponsalia non præsumitur matrimonium contractum; adeoque ea non est signum expressivum consensus matrimonialis. Castrop. *n.* 7. juxta *cap. adolescens hoc tit.* non enim jure inducta est præsumptio de matrimonio contracto ex attentatione copulæ, sed ex copula; ergo ea sine fundamento non extendenda ad hanc attentationem. His non obstante, quod in dicta attentatione facta non animo conjugali admittatur culpa. Nam non solum ob vitandam culpam utcunque præsumitur matrimonium ex copula; sed ob vitandam talem culpam, ex qua fœmina amittit sui corporis integritatem, quæ maximi apud illam habetur, ut Castrop. Unde jam etiam infertur a fortiore ex osculo, amplexibus, tactibus turpibus inter sponsos non posse præsumi contractum ab iis matrimonium, Pont. *l. c. n.* 14. Covar. *l. c. p.* 1. *c.* 4. *§.* 2. *n.* 2. Castrop. *n.* 8. Arg. *c.* 1. *de matr. contract. contra interdic. Eccl.*

QUÆSTIO XCIV.

Quænam præterea sunt signa expressiva consensus matrimonialis, seu matrimonii contracti.

1. RESP. Ex traductione puellæ in domum sponsi, attento jure civili præsumi potest contractum matrimonium, *L. mulier. ff. de ritu nupt.* non tamen attento jure Canonico. Menoch. *l.* 3 *præsumpt.* 1. *num.* 55. Guttier. *c.* 41. *n.* 4. Castrop. *n.* 9. eo quod Jus Canonicum solum ex copula habita inter sponsos præsumit consensum matrimonii, quæ dispositio, utpote exorbitans a jure, non debeat extendi ad alia. Secus tamen esset, si ea traductio fieret ea solennitate, qua attenta loci consuetudine uxor solet ad domum mariti deduci. Castrop. *l. c.* Arg. *c. viduæ de regul.*

2. Resp. secundo: Præsumitur ex longa cohabitatione, qua vir & mulier se tractarunt ac conjuges. Masc. *L.* 2. *de probat. concl.* 1012. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 1. Castrop. *n.* 10. dicens id procedere a fortiore, dum agitur de probanda filiorum legitimitate maxime si parentes sint defuncti, quos decessisse in peccato mortali præsumi non debet, sed potius ante mortem contraxisse matrimonium.

3. Resp. tertio: Acceptatio annuli submissi a sponso spon-

sæ, præcedunta jam tractatu de contrahendo matrimonio non est signum consensus præbiti in matrimonium, nisi ubi consuetudo haber, illum hac ratione significari; alias enim non nisi pro sponsalium confirmatione serviet. Sanch. *l. 1. de matr. d.* 22. *n.* 1. Pont. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 2. Castrop. *n.* 14. idem esse dicens de porrectione manuum.

QUÆSTIO XCV.

Finis matrimonii quotuplex, & quo fine intendi debeat.

1. RESP. primo: Finis matrimonii alius est intrinsecus & essentialis, nimirum mutua corporum traditio & obligatio radicalis ad reddendum debitum. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 10. *n.* 1. & hic finis necessario intendendus, non solum, ut matrimonium licite, sed & valide contrahatur, Sanch. *l.* 2. *d.* 29. cum communi.

2. Resp. secundo: Finis alius matrimonii est accidentalis, proprius tamen illi, nempe tam generatio prolium, quam habere concupiscentiæ remedium juxta illud Apost. 1. *ad Cor.* 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*: aut etiam mutua obsequiorum communicatio. Finis hic trinus honeste intenditur. Prior, quia ad hunc matrimonium ab authore naturæ institutum est. Alter, quia consilium est Apostoli. Cessante vero potentia ad generandum & periculo fornicationis, adhuc matrimonium honeste intenditur ob dictam obsequiorum communicationem; quia & ob hanc matrimonium institutum est.

3. Resp tertio: Fines alii sunt extranei, v. g. voluptas, honor, divitiæ, pax inter consanguineos, conservatio familiæ &c. inter hos fines aliqui per se honestatem moralem continent, ut pax Reipublicæ vel inter amicos, conservatio familiæ illustris. Et propter hos fines licite, & honeste contrahitur matrimonium. Siquidem neque ex fine, neque ex medio, quod eligit (utpote quorum utrumque honestum est) vitiatur talis intentio. Neque etiam obstet, quod matrimonii finis alius sit magis proprius, & principalis. Nam hunc expresse intendere, non est obligatio, sed satis est illum non excludere, ut patet a simili, dum lingua data primo ad conceptus exprimendos, uti quis potest licite ad cantandum aliumve finem extrinsecum non inhonestum. Ita tenent Pont. *l.* 1. *de matrim. c.* 21. *n.* 13. Coninck. *d.* 25. *d.* 2. *concl.* 4. *n.* 18. Castrop. *n.* 3. contra Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *n.* 26. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 2. Nav. &c. in quantum putant, peccatum saltem veniale esse propter inordinationem intendere per se primo finem secundariam, & matrimonio extrinsecum.

4. Resp. quarto: Sed & intendere matrimonium ob fines illos alios extraneos de se honestatem moralem non habentes, v. g. ut evadas dives, fruaris dote & pulchritudine uxoris, uti & voluptate copulæ, non esse peccatum etiam veniale, docent iidem Con. Pont. Castrop. *ll. cit.* eo quod velle uti actu per se honesto (qualis est contrahere matrimonium) retinendo, vel non excludendo fines illius alias in eo imbibitos, ad obtinendum aliquid temporale non inhonestum, nullatenus sit peccatum, dum in eo casu non operatur quis absque fine virtutis, qui in ipso opere intrinsece imbibitur, & qui in executione illius operis intenditur, dum non excluditur. Unde Cajet. *Tom.* 1. *opuscul. tr.* 32. *de matr. q.* 3. Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *n.* 15. Gott. *c.* 46. *n.* 7 Covar. & alii apud Castrop. affirmant, regulariter nullum peccatum committi a contrahente ob solam uxoris pulchritudinem &c. eo quod esto horum consecutionem medio matrimonio ita expresse intendat, ut nisi hæc adessent, non contraheret. Quia tamen finis ipsius operis hujus non excluditur, horum bonorum consecutio reputari debeat, non tam finis operis, quam motivum impulsivum seu excitativum illius.

QUÆSTIO XCVI.

Consensus matrimonialis qualiter debeat esse liber a metu, & num is reddat matrimonium invalidum.

RESP. Tametsi in aliis contractibus metus gravis injuste incussus nullitatem ipso jure non inducat, sed ad summum reddat rescindibilem, inducit tamen eam in matrimonio, *c. cum locum*, *c. veniens*, *h. t.* Ratio est, quod alii contractus, etsi validi, rescindi possint authoritate Judicis; matrimonium tamen semel validum nulla authoritate humana rescindi potest. Secus tamen est, si metus sit juste ac licite incussus; eo quod tunc metus non tam infertur ab extrinseco, quam ab ipso patiente metum, qui illius causam dedit. Neque tam incutitur metus ad extorquendum contractum, quam contractus proponitur ut medium vitandi metum, seu potius malum intentatum, cujus ipse causam dedit. Sic dum quia obligatus est contrahere matrimonium, vel quia promisit illud; vel quia defloravit mulierem, potest juste cogi intentatis gravibus pœnis contrahere matrimonium, illudque ex metu talium pœnarum contractum erit validum. Porro coactus contrahere matrimonium, si verba proferat animo se obligandi etiamsi cognoscat, se obligatum non esse, nullum committit mendacium, cum idem, quod habet in mente, verbis proferat, vult enim, quantum est ex se, obligare se, & hanc voluntatem verbis explicat. Nullam quoque Sacramento irrogat injuriam; quia contractus metu extortus irritus est, & consequenter neque materia, neque forma Sacramenti esse potest: Secus ac contingit, dum quis cogitur proferre formam Sacramenti super materia indebita; cum formam ejus irritam faciat, uti Sanch. aliis relatis, *l.* 4. *d.* 16. *n.* 6. Si vero verba non vere, sed ficte proferat, nulla retenta mentis restrictione, committit peccatum leve mendacii, quia non tenetur consentire, a quo peccato, ut Castrop. *p.* 12. *n.* 3. facile excusari possit, si eum æquivocatione restrictione neque intellectus illa verba proferat.

QUÆSTIO XCVII.

Quæ pœna in usu cogentium subditos ad matrimonium minis & terroribus?

RESP. Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 9. Dominos temporales id facientes punit anathematis pœna ipso facto incurrenda, importatque hæc pœna non quandam solennem maledictionem, sed veram excommunicationem, sicut alias solet nomine anathematis intelligi excommunicatio major. Sanch. *l.* 4. *d.* 22. *n.* 8. Castrop. *n.* 5. Feriuntur autem hac pœna solum domini temporales, habentes jurisdictionem in foro sæculari; cum hi, qui ex officio proprio tenebantur subditos a coactione tueri, coactionem inferunt, merito præ aliis puniantur. Unde hanc excommunicationem non incurrunt parentes cogentes filios ad matrimonium, neque Parochus, neque Episcopus, qui dominus temporalis non est. Sanch. *n.* 9. Castrop. *l. c.* Gutt. *c.* 79. *n.* 12. neque Rex, neque Imperator, eo quod licet domini temporales sint, debebant propter eorum dignitatem necessario excipi. Castrop. Sanch. Gutt. *ll. cit.*

QUÆSTIO XCVIII.

Qualiter filii cogi possint a parentibus ad matrimonium?

1. RESP. primo: Si filii alias non tenentur contrahere matrimonium, sed volunt religionem vel cælibatum eligere, ne quidem leviter possunt a parentibus ad matrimonium cogi, aut obligari; quia injusta est obligatio electionem status melioris impediens, Sanch. *d.* 23 *n.* 4. Gutt. *n.* 17. Castrop. *n.* 6 Si vero filii teneantur ad matrimonium, quia vel promiserunt, vel quia id necessarium, ut gravi parentum necessitati succurratur, aut alia de causa, possunt a parentibus coactione moderata ad id obligari; quia parentes possunt obligare filios, ut debitia jure naturæ satisfaciant. Gutt. *n.* 16. Castrop. *cit. n.* 6.

2. Resp. secundo: Si filii neque dictam obligationem contrahendi matrimonii habent, neque volunt religionem aut cælibatum eligere, per se adhuc cogi seu obligari nequeunt a parentibus ad matrimonium illud, quod parentes v. g. promiserunt, vel volunt. Gutt. *n.* 15. Sanch. *l.* 4. *d.* 23. *n.* 3. Castr. *n.* 8. contra Bellarm. *de matr. l.* 1. *c.* 19. Nav. *in sum. c.* 14. *n.* 15. Rebell. Rodriq. &c. eo quod matrimonium sit perpetua quædam servitus, gravissima secum ducens onera, quam non est conveniens aliena voluntate subire, maxime cum ea debeat constitui amore mutuo conjugum, qui raro habetur ex matrimonio aliena voluntate contracto. Neque obstat *c.* 1. *de despons. impub.* ubi de matrimonio a parentibus promisso inquit Papa: *Et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, debet hoc omnino adimplere*: nam *vi debere* non est de præcepti, sed de honestatis debito accipiendum propter subjectam materiam, quæ summam libertatem importat, juxta Gl. *ibid.* & Host. *in fine*. Possunt nihilominus per accidens quandoque filii ad hoc obligari ex lege v. g. caritatis, dum præsumunt ob spretam parentum voluntatem odia, rixas, aliaque gravia inconvenientia oritura. De cætero, quod communiter tradunt AA. cum Sanch. *d.* 23. *in fine*, obligatos esse sub gravi culpa filios expetere saltem consilium parentum, eo quod censeatur gravis contemptus spernere consilium eorum in re gravi, quibus a natura incumbit prospicere bono filiorum, id ad summum, inquit Castrop. *l. c. n.* 11. dum filii indifferentes sunt ad hoc vel illud matrimonium; Secus, si jam ad unum determinati; quia fru-

frustra tunc petitur consilium; imo gravioris id tunc offensionis causa esse posset.

QUÆSTIO XCIX.

An parentes filium aut filiam nubentem contra eorum voluntatem possint exhæredare, aut ei dotem negare.

1. RESp. ad primum: Filiam nubentem indigno invitis parentibus jure saltem communi non posse exhæreditari, nisi forte 25. annos necdum attigerit, & luxuriosam vitam ducat, relicto matrimonio ei a parentibus proposito, juxta *auth. utcunque de appellat. cognosc. §. aliud quoque*. Probabilius quidem censet Castrop. *cit. p.* 12. *num.* 12. censent quoque Cosar. *p.* 2. *de matr. c.* 3. §. 8. *num.* 5. Azor. *part.* 1. *l.* 2. *cap.* 25. Sanch. *l.* 4. *d.* 25. *n.* 2. Vasq. Hurtad. &c. leges similes loquentes de pœnis appositas contrahenti matrimonium contra rationabilem voluntatem parentum repugnare Juri Canonico, eo quod id libertatem summam in matrimonio contrahendo requirat; ideoque pœnam sponsalibus adjunctam annullat *cap. gemma hoc tit.* exhæreditatio autem sit gravissima pœna. Ad hæc condere leges circa matrimonium, & de illarum observatione judicium ferre sit potestatis ecclesiasticæ, non civilis. Nihilominus idem Castrop. *num.* 14. cum Claro *pract.* 4. 82. *numer.* 12. Pont. *de matrim. l.* 2. *cap.* 1. *num.* 29. Mol. *de Just. tractat.* 2. *disp.* 176. *nu.* 24. Rebell. *de matrim. quæst.* 14. *sect.* 3. & aliis, quos citat, tanquam probabilius defendit contrarium; eo quod appositio pœnæ filiæ nubenti contra rationabilem voluntatem parentum, maxime si nubat indigno, & vitam luxuriosam ducat, non sit causas matrimoniales dijudicare, neque matrimonium impedire, sed bono filiorum providere, abusus conjugii impedire, Inimicitias, rixas, & odia vitare &c. ad hæc exhæreditatio non sit judicanda pœna, sed præmii negatio, dum filiis jure naturæ solum debeantur alimenta ad vitam necessaria; hæreditas autem & successio sit jure positivo inducta, ac consequenter jus positivum merito dictam successionem denegare possit filiis parentum justæ voluntati in re tam gravi contradicentibus *cit.* vero *c. gemma*, solum prohibeatur pœna conventionalis apposita recedentibus a matrimonio utcunque contracto. Ex quo inferre non liceat, prohibitam quoque pœnam nubentibus contra justam parentum voluntatem; cum id matrimonio nullum præjudicium afferat, sed potius ejus finem promoveat, contrahentiumque bono, & Reipoblicæ paci consulat. Non posse autem tali filiæ nubenti contra voluntatem parentum indigno negari alimenta; eo quod hæc jure naturæ sint debita, tradunt Sanch. *L.* 4. *disp.* 26. *num.* 1. Mol. *loc. citat. disp.* 168. *in fine*. Guttier. *cap.* 76. *numer.* 4. Castropal. *numer.* 16. contra Mol. Juristam, *de primog. l.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

2. Resp. ad secundum: Filiæ minori 25. annis nubenti absque patris consensu, & sine promissione dotis, patrem teneri adhuc dare dotem, eo quod dos non solum ad sustentationem vitæ concedatur, sed ut onera matrimonii facilius portari valeant, *cap. salubriter de usur.* Pater autem teneatur dotare filiam, etiamsi ea aliunde habeat, & pater dotem non promiserit, ut Gloss. *in cap. de raptoribus in fine* 36. *quæst.* 1. Et filia nubens digno, etsi contra voluntatem patris, adhuc recte gesserit negotium patris, agendo quod pater ipse facere tenebatur, id, inquam, ex hac ratione, ut probabile defendit Castrop. *nu.* 17. contra Sanch. *disp.* 26. *numer.* 17. Cosarr. 2. *part. decret. cap.* 3. §. 8. *nu.* 8. Quod si sero filia sit major 25. annis, etsi nupserit indigno, teneri patrem eam dotare, eo quod ipsi patri tribuendum, quod nupserit indigno; cum tam longo tempore distulerit matrimonium, astruit Castrop. *nu.* 18. citato Sanch. *disp.* 26. *num.* 1. qui mox tamen ita limitat, ut fere contrarium dicat, dum ait: Limitandum id censerem, ut solum concedi debeat dos necessaria ad vitæ sustentationem, tam ipsius quam viri. Nam licet culpam mortalem non commiserit contrahendo cum indigno; attamen commisit culpam civilem, & politicam gravi nota parentes & familiam afficientem, ob quam causam merito potest privari alimentis, & dote, quæ promissio non est, nec jure naturæ debetur, ut Sanch. *n.* 18. Covar. Molin. *ll. cit.*

QUÆSTIO C.

An & qualiter matrimonium valide & licite contrahi possit per procuratorem.

1. RESp. primo: Indubitatum est matrimonium per procuratorem celebrari posse licite, ac valide tam in ratione Sacramenti, quam contractus in locis, in quibus receptum non est Tridentinum, prout definitur *c. fin. de procurator. in* 6. Jure siquidem naturæ celebrari potest matrimonium, sicut alius contractus; sed alius contractus per procuratorem celebrari potest. Jam vero Christus immutata contractus natura evexit illum ad rationem Sacramenti.

2. Resp. secundo: Pari modo sic celebrari potest in locis, ubi receptum est Trid. patet ex praxi Ecclesiæ passim, maxime inter nobiles ac Principes in dictis locis hac ratione celebrari matrimonia. Sanch. *l.* 2. *d.* 11. *n.* 20. Guttier. *c.* 43. *n.* 10. Castrop. *d.* 2. *n.* 9. dicens oppositam sententiam a pluribus DD. notari temeritatis. Sed neque deest tali matrimonio legitima præsentia Parochi & testium, quod ipsum præcipue obstare videbatur valori talium matrimoniorum. Nam esto, Parochus & testes non sint præsentes consensui actualiter habito a principalibus contrahentibus, sunt tamen præsentes contractui matrimoniali, quippe qui celebratur per procuratorem, quod sufficit; siquidem Tridentinum non dixit, Parochum & testes debere esse præsentes consensui contrahentium, sed contractui matrimonii, quin & consensui alteri parti manifesto per procuratorem intersunt. Et esto præsentia Parochi & testium, qui intersunt, dum consensus præstatur per procuratorem, non sit formaliter, & specifice præsentia Parochi, & testium, qui intersunt consensui præstito per ipsos contrahentes, sed solum æquivalenter, adhuc non obstat; siquidem, quod, dum præsentia certa requiritur pro forma, impleri non potest per æquivalens, id verum est, ubi idipsum non obstat Juri communi, qualiter in præsente obstat juri communi (dum illa matrimonia celebrata per procuratorem approbavit) quod Parochus & testes debent assistere formaliter ipsi consensui contrahentium. Item ubi verbis expressis in jure requiritur talis præsentia formalis pro forma, quod non fit in præsentia. Dum autem *L. obligari ff. de author. & consens. tutor.* requiratur, ut tutor præsens sit contractibus minorum, non sufficit, illum adesse per procuratorem. Item, quod dum Canonicorum præsentia requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ non sufficiat, ut plures docent, illos per epistolam consentire, id speciale, & exinde est, quia eligitur industria tutoris, & Canonicorum, ut rebus Ecclesiæ pupilli, aut minoris melius provideatur. Neque refert, quod Parochus & testes de valore matrimonii testari non possint, dum nesciunt, an interim principalis mandatum revocaverit, aut etiam procurator illud finxerit. Nam necessarium non est, testari illos de valore matrimonii, sed solum de contractu, ad quod ad summum requiritur, ut illis constet procuratorem habere mandatum ad contrahendum (tametsi & id opus non esse, probet Gutt. *c.* 44. *n.* 100.) non vero necesse est, ut illis constet mandatum revocatum non esse; cum quamdiu de revocatione non constat, præsumere debeant, illud durare, sicut etiam præsumere debent, contrahentes contrahere vere, & absque impedimento. Denique nihil refert, quod ex tali celebrato matrimonio per accidens multa sæpe oriantur inconvenientia, ob quæ aut similia matrimonium clandestinum prohibetur. Nam dato ob istiusmodi Ecclesiam potuisse irritare matrimonia celebrata per procuratorem, sicut de facto irritavit clandestina, id jam non fecit, & quis quæso contractus humanus est sine incommoditatibus?

3. Resp. tertio: Non est necesse etiam in locis, ubi Tridentinum receptum, ut procurator constituatur coram Parocho & testibus; sed sufficit, ut ei mandatum concessum clandestine, modo tamen concessum ita, ut probari possit & Ecclesiæ constare tale mandatum datum. Si enim hæc præsentia necessaria in constituendo procuratore, id utique Trid. expressisset. Ita enim cum communi Sanch. *L.* 2. *disp.* 21. *n.* 23. Gutt. *cap.* 43. *n.* 13. Castrop. *cit. part.* 9. *n.* 5. Et ratio est; quia hac ratione optime adhuc testes testari possunt de contracto matrimonio, etsi testari nequeant de valore mandati; dum Concilium non requirit, ut testarentur de valore matrimonii, sed solum de matrimonii exteriore contractu, quo testimonio simul testantur de consensu contrahentium, non in se, sed in procuratore, uti contingit in matrimonio contracto medio interprete. Frustra autem, ut patet, dicitur, mandatum clandestinum esse medium ad matrimonium clandestinum, adeoque hoc prohibito, prohibitum & illud, quippe prohibito fine, prohibetur & medium ad illum. Nam prohibito

fine

sine prohibentur solum illa, quæ eum necessario inferunt. Jam vero mandatum clandestinum non infert matrimonium clandestinum; cum non detur ad matrimonium clandestine, sed publice celebrandum. Quæ præterea opponi possent, vide diluta apud Castrop. *n.* 10.

4. Resp. quarto: Requiritur, ut mandatum hoc sit speciale, eo quod, cum matrimonium sit res gravissima, ex qua totus status vitæ dependet, oportet, ut specialiter committatur contrahendum. Item debet esse circa personam determinatam, alias non erit signum mutui amoris, uti hæc habentur *c. fin. de procurat. in* 6. Castrop. *l. c. num.* 1. Sanch. *l. c. n.* 1. *& seq.* Covar. p. 2. *de sponsal. c.* 4. *a* n. 8. Pont. *L.* 2. *de matrim. cap.* 15 *a* n. 2.

5. Resp. quinto: Opus non est, ut mandatum illud concedatur in scripto, sed potest dari oretenus, sicut de quocunque procuratore dicitur juxta Gl. *in l. maritus, v. præscripseris, c. de procur.* & ita tenent Sanch. *L.* 2. *d.* 11. *n.* 14. Gutt. *c.* 43. *n.* 16. Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 7. ubi etiam hi AA. quod necessaria non sit in procuratoribus sexuum diversitas, sed fungi possint hoc officio tam duæ fœminæ, quam duo viri, quia non suo, sed alieno nomine contrahunt.

6. Resp. sexto: Debet procurator hoc mandatum exequi, nec alium sibi substituere potest, nisi id expresse habeatur in mandato; cum electa sit industria personæ: AA. iidem *ll. cit.* Porro attendere debet procurator, ne in executione excedat limites mandati; siquidem in eo, in quo excedit non agit ut procurator, sed ut privatus; adeoque deficiat consensus contrahentis, & sic nihil agitur. Castrop. *num* 3. Sanch. *num.* 17. Pont. *num.* 6. qui tamen dicunt id intelligendum, dum excessus est in conditione, & forma substantiali, non vero, dum est in conditione & forma tantum accidentali, ita ut tunc contractus non vitietur. Sic v. g. dum mandatum habet, ut contrahatur matrimonium servata forma Trident. non exinde vitiabitur contractus, si denunciationes omittantur, eo quod hæ postulatæ eredi possint eo solum modo & forma, quo de jure communi requiruntur.

7. Resp. septimo. Si consensus principalis revocatus est tempore, quo procurator contrahit, etsi revocatio ei ignota, matrimonium est nullum, quia deficit consensus contrahentis, quem Ecclesia vel Respublica supplere non potest, sicut potest in aliis contractibus politicis, qui valide fiunt etiam per procuratorem revocatum, dum revocatio nec parti, nec procuratori nota est. *L. si mandatum, ff. mandati.* Proceditque ad ipsum, etiamsi jurasses, te nunquam revocaturum mandatum. Castrop. *cit. part.* 9. *n.* 2. sed & sufficit revocatio tacita, v. g. si post datum mandatum contrahendi cum Titia celebres sponsalia, vel des mandatum contrahendi cum Caja. Castrop. *l. c.* citatis Covar. *part.* 2. *de sponsal. c.* 4. *n.* 21. Sanch. *l. c. d.* 21. *num.* 20. Gutt. *cit. c.* 43. *n.* 28. &c. De cætero, si tempore, quo procurator contrahit, consentias; tametsi medio tempore post datum mandatum dissentias, matrimonium erit validum; quia mandatum firmum cum consensu persistit. Sanch. *n.* 11. Castrop. *l. c.* Gutt. *n.* 15. sic quoque si tempore, quo mandatum dedisti, ficte consensisti, & dein tempore, quo contraxit procurator, vere consentis valere matrimonium, tenent Sanch. *n.* 13. Gutt. *l. c.* Henriq. *L.* 11. *de matrim. c.* 2. *n.* 2. Negat econtra Castrop. *cit. n.* 2. cum Coninck. *d.* 24. *dub.* 9. *n.* 72. eo quod constitutio procuratoris primæ: quæ fuerit nulla ob simulationem tuam, non possit solo consensu interno revalidari, sed opus sit novo legitimo expresso consensu constitui. Illud certum est, non requiri, ut tempore, quo procurator contrahit, actu consentias, sed sufficere, ut tunc non dissentias; quia in vi prioris consensus tui non revocati, quo procuratorem constituisti, fit matrimonium, tametsi dormias, vel ad alia negotia sis distractus, Castrop. Sanch. Coninc. *ll. cit.* qui & inde contra Pont. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 14. inferunt, valere adhuc matrimonium, etsi eo tempore, quo contrahit procurator, incideris in maniam; eo; quod licet tu eo tempore contrahere nequeas; uti nec contrahere potes, si eo tempore dormias, possis tamen tunc contrahere per alium; quia non contrahis in virtute consensus tunc expressi, sed in virtute consensus habiti tempore, quo procuratorem constituisti.

QUÆSTIO CI.

An pari modo valide, etiam in locis, in quibus receptum est Tridentinum, contrahi possit matrimonium per epistolam.

RESp. affirmative. Sanch. *disp.* 12. *num.* 3. Molin. *de just. l.* 3. *d.* 254. Gutt. *cap.* 45. *num.* 4. Castrop. *cit. part.* 9. *num.* 11. cum communi. Potest enim sic fieri traditio & acceptatio (uti fiebat jure antiquo. *L. mulierem, ff. de ritu nupt.* quod per Trident. mutatum non est) etiam coram eodem Parocho, & testibus iisdem, quod necessarium est, ut testari possint de matrimonio; dum nimirum scribis Titiæ, te tradere te ei in maritum, eamque in uxorem accipere, ipsaque legens literas tuas coram Parocho, & testibus affirmet, se quoque se tradere in uxorem, & traditionem a te sibi factam acceptare. Putant tamen Castrop. & Conin. necesse esse, ut Parochus & testes agnoscant tuas literas, & sic sciant, cujus traditionem mulier acceptet.

CAPUT OCTAVUM.

De impedimentis matrimonii in genere, & in specie de impedimentis impedientibus tantum.

QUÆSTIO CII.

Impedimenta matrimonii quotuplicia, & penes quem sit potestas ea constituendi.

1. RESp. ad primum: Sunt duplicia, aliqua impedientia tantum, quæ impediunt, quo minus matrimonium licite, non vero, quo minus valide contrahi possit. Alia dirimentia sic dicta, non quod matrimonium valide contractum dirimant, sed quod impediant, ut matrimonium nequidem valide contrahi possit.

2. Resp. ad secundum: quantum est ex natura rei, & seclusis constitutionibus ecclesiasticis, omnis Magistratus (adeoque & civilis) qui absolutam habet potestatem ferendi leges, potest impedimenta matrimonii tam dirimentia, quam impedientia decernere. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 1. Sanch *l.* 7. *d.* 3. cum D. Thom. *in* 4. *d.* 34. *q. unic. a.* 1. *ad* 4. Matrimonium siquidem est contractus in naturæ officium & ad propagationem communitatis institutus; ideoque non minus ac alii contractus subjacet dispositioni Magistratus, quatenus necessarium & expediens judicatur ad bonum Reipublicæ, ut aliquæ personæ inter se hunc contractum celebrare nequeant. His non obstantibus, quod matrimonium fidelium in lege nova sit Sacramentum; cum ratio Sacramenti superveniens contractui matrimoniali eum non immutet, sed tanquam materiam supponat ex natura rei & de jure validum, ac proinde is per potestatem humanam immutatus, ita ut qui ante erat validus nunc habeatur pro invalido & nullo, Magistratu sic statuente, desinat esse materia Sacramenti.

3. Resp. ad secundum secundo: Hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonii magistratui sæculari seu principibus laicis Christianis respectu fidelium interdixit, sibique propriam reservavit Ecclesia, eo quod deceret, postquam matrimonium elevatum est ad dignitatem Sacramenti, Laym. Sanch. *LL. cit.* Bellarm. *l.* 1. *de mat. c.* 32. Castrop. *de Sponsal. d.* 4. *p.* 1. *num.* 1. ut colligitur ex Trid *sess.* 24. *can.* 12. Possunt nihilominus dicti Magistratus decernere plura, quæ matrimonii substantiam nec mutant nec impediunt, sed sunt illi extrinseca & accessoria. V. G. circa dotem, arrhas, sponsalitiam largitatem, donationem inter conjuges &c. Castrop. *l. c.* Pont. *l.* 6. *c.* 2. *num.* 5.

4. Dixi primo: *Principibus Christianis*; siquidem Principibus ethnicis seu infidelibus Ecclesia, utpote nullam habens in eos jurisdictionem, interdicere non potest, aut impedire, quo minus illi pro infidelibus sibi subjectis ea statuere possint impedimenta matrimonii, quæ recto regimini communitatis convenire videntur. An vero fideles subjecti Principibus Ethnicis ligentur impedimentis juxta eorum leges statutis matrimonio, non convenit inter AA. affirmant Sanch. *l.* 7. *d.* 3. *a* *n.* 2. Henriq. *l.* 12. *c.* 1. *in princ.* eo quod licet matrimonium sit Sacramentum, sit tamen etiam contractus civilis potestati civili

vili

vili subjectus, quam potestatem civilem Principum Ethnicorum restringere non potest Ecclesia. Negant econtra Laym. *loc. cit. num.* 3. Castrop. *n.* 3. Covar. *4. decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 3. Pont. *n.* 3. Hurtad. *de matrim. d.* 12. *diff.* 2. *nu.* 7. *&c.* eo quod contractus matrimonialis non sit pure civilis, quia est Sacramentum; & non excedat potestatem Ecclesiæ, omnes ubique degentes Christianos eximere legibus Ethnicorum, & solis ecclesiasticis subjicere quoad matrimonii validitatem & invaliditatem; cum illius plurimum intersit ob Sacramenti dignitatem hac in re servare uniformitatem inter Christianos, adeoque credendum sit, defacto id fecisse Ecclesiam.

5. Dici secundo: Principibus Christianis respectu fidelium; nam neque hi impediuntur ea statuere pro infidelibus sibi subjectis; etsi horum matrimonia non sint Sacramentum, sed contractus mere civiles, adeoque uti hi Principes potestatem habent condendi leges irritantes alios contractus civiles, sic etiam procedere possunt & statuere circa contractum matrimonialem.

6. Resp. ad secundum tertio: Potestas illa Ecclesiastica statuendi istiusmodi impedimenta (intellige dirimentia) est penes summum Pontificem, & de facto ei soli reservata. Laym. *num.* 4. Covar. Ponc. *LL. cit.* Castrop. *num.* 2. Sanch. *l.* 7. *d.* 1. eo quod cum constitutio hæc impedimentorum sit res gravissima, merito a prima sede & supremo Ecclesiæ capite ac Principe provenire debent, constatque hoc ipsum ex continua praxi Ecclesiæ; quidquid sit de eo, num de cætero Episcopis pro suis diœcesibus competat ea potestas ex vi muneris, ut docent Covar. Sanch. Ponc. Hurtad. *LL. cit.* contrarium tenente Suar. *Tom.* 5. *de censur. d.* 7. *s.* 4. *num.* 5. Coninck. *d.* 30. *dub.* 1. *num.* 3. *&* 8. Hæc impedimenta non nisi generalibus Canonibus a summo Pontifice aut generali Concilio ejus authoritate confirmato decerni possunt, & tametsi Papa per particularem sententiam possit hic & nunc ex justa causa matrimonium tanquam invalide contrahendum interdicere quibusdam, non tamen facile solere uti hac sua potestate, ait Laym. *loc. cit. num.* 4. remittens ad Navar. *l.* 4. *consil.* 1. *&* 2. *& consil.* 2. *de mat. contracto contra interd. Eccles.* & Sanch. *l.* 7. *d.* 2. *num.* 12.

QUÆSTIO CIII.

An consuetudine induci possint nova impedimenta dirimentia, & abrogari jam constituta.

1. RESP. affirmative, dum consuetudo legitime inducta & præscripta esset. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 4. *a num.* 12. Ponc. *l.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Coninc. *d.* 30. *d.* 1. *a n.* 12. Gasp. Hurt. *d.* 12. *differ.* 2. *num.* 8. Castrop. *cit. part.* 1. *num.* 5. remittens ad se *tract.* 3. *de LL. d.* 3. *de consuet. part.* 4. & alii communiter contra gl. *in cap.* 1. *de cognat. Spirit.* Jo. Andr. & Anchar. *in cap.* 5. *de consang.* & alios ideo censentes non posse nova impedimenta induci consuetudine; quia jam constituta vi illius abrogari nequeunt; jam vero consuetudinem legitime præscriptam habere vim legem humanam abrogandi, & aliam denno inducendam, non quidem ex se seu natura sua, sed ex consensu Principis tacito, seu legali, in eo consistente, quod edita constitutione vel Canone generaliter declaret, aut concedat ei vim tollendi legem suam, si legitime inducatur, constat ex toto *tit. de consuet.* consuetudinem facti autem (quatenus est frequentia operandi libere eodem modo) non propterea destitui consensu Principis saltem legali, aut etiam hoc ipso irrationabilem & multo minus corruptelam esse, quod sit contra legem ejus, certum est; cum alias nulla consuetudo rationabilis esset, qua agitur contra legem, quam abrogare vult, sed eam solam esse irrationabilem, quæ seclusa lege, quam abrogare vult, continet turpitudinem aliquam vel deformitatem contra legem Divinam vel naturalem æquitatem, adeoque etiam ex usu diuturni temporis non evadit digna, quæ pro lege habeatur, Sanch. *loc. cit. num.* 14. quæ etiam, si ut talem reprobent jura, corruptela dicitur; adeoque jam eo ipso destitui omni consensu Principis etiam legali, vim nullam legis habere potest, quippe quæ esse debet in finem boni communis, nimirum ad perfectionem, non corruptelam Reipublicæ humanæ per bonos & honestos mores gubernandæ. Jam vero non omnis consuetudo, vi cujus abrogarentur impedimenta dirimentia Matrimonii jure solum humano inducta continet turpitudinem aliquam contra jus divinum aut æquitatem naturalem, adeoque ut talis reprobari nequit; sed nec destituitur consensu tacito seu legali supremi legislatoris Ecclesiastici; cum is generaliter in *tit. de consuetud.* concedit, seu inesse declarat consuetudini vim illam abrogandi leges suas particulares. Unde jam etiam vides, minus recte dici, de facto apud hæreticos jam a centum & pluribus annis libere ac passim contrahentes, matrimonia cum impedimento Ecclesiastico alias dirimente abrogata esse istiusmodi impedimenta; adeoque jam valide esse illa eorum matrimonia; nam licet postremum teneant Marchant. *Tom.* 3. *tribun. Sacram. tract.* 1. *tit.* 6. *conclus.* 4. Bonagrat. *in summ. qq. regul. discept. ad Sacram. matrim. num.* 67. & alii apud Wiesto. *tract. de can. impedim. matrim. part.* 1. *a.* 1. *num.* 20. & apud Krimer. *ad* 4. *decretal. num.* 1892. qui etsi ipse censeat propter rei gravitatem & casuum frequentiam exspectandam potius decisionem Apostolicam, quam statuere certum aliquid, existimat tamen, *num.* 25. sententiam illam hæreticorum matrimoniis faventem probabilem, tutam, & ratione spectatisque generalibus juris principiis opposita potiorem, opposita tamen sententia, quam tenent Less. *in auctar. l.* 2. *de præscript. cas.* 1. Gobat. *in Theolog. experim. tract.* 9. *num.* 49. *& in append.* 15. *a num.* 88. & alii, quos sequitur Krimer. *num.* 1897. verior censetur, ne alias hæretici exempti censendi sint ab obedientia Ecclesiæ in omnibus, quibus etiam scienter & cum contemptu potestatis Ecclesiasticæ in summo Pontifice ejus legibus & constitutionibus cum pertinacia contraveniunt, quod absurdum est; siquidem consuetudo hæc hæreticorum cum pertinacia & contemptu contraveniens constitutionibus legitimi superioris, quod ipsum repugnat juri naturali ac divino, rationabilis esse non potest, aut muniri tacito hujus legislatoris contempti consensu. Et quomodo illa hæreticorum consuetudo dici poterit legitime præscripta, dum non tantum irrationabiliter & pessima fide per homines, qui violata data Deo & Ecclesiæ fide per meram turpissimam vitæ licentiam, tum exemplo, tum verbo facile alios in sui sequelam & contemptum Ecclesiæ ac legum ejus perduxerunt; verum etiam dum nunquam fuerit possessionis aut quasi possessionis pacificæ, tot reclamationibus & pœnis in eos a legislatore Ecclesiastico vibratis interrupta.

QUÆSTIO CIV.

Quæ & quotuplicia sint impedimenta impedientia tantum, & num omnia adhuc sint in usu.

1. RESP. ad primum: Alia sunt seu procedunt ex crimine sequentibus versiculis comprehensa:

Incestus, raptus Sponsata, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis; mors presbyteralis;
Vel si pœniteat sollenniter, aut monialem
Accipiat; prohibent hæc matrimonium faciendum.

Alia procedunt non ex crimine, & sunt sequentia:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, Sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

2. Resp. ad secundum: Tametsi impedimenta illa orta non ex delicto hodiedum adhuc sint in usu, excepto forte catechismo, de quo paulo post; impedimenta illa omnia orta ex crimine, quatenus omni matrimonio, seu matrimonio cum quocunque interdicebant sub gravi peccato, sunt consuetudine abrogata. Nav. *cap.* 22. *num.* 75. *&* 87. Henriq. *l.* 12. *cap.* 2. *num.* 1. *in commentar.* Less. *l.* 4. *cap.* 3. *num.* 68. Sanch. *l.* 7. *d.* 17. *num.* 8. Castrop. *loc. cit. part.* 2. §. 2. *num.* 23. Ponc. *l.* 7. *cap.* 14. Laym. *loc. cit. cap.* 15. *num.* 2. Perez *de matrim. d.* 23. *sect.* 8. Gobat. *loc. cit. tract.* 9. *num.* 7. cum communiore contra Rebell. *l.* 3. *de imped. matrim. quæst.* 18. *in fine*, cui favere videtur Tolet. *l.* 7. *cap.* 19. siquidem passim videntibus, & non contradicentibus Episcopis aliisque ordinariis, his impedimentis obnoxii contrahunt matrimonia, nulla dispensatione petita; quod si tamen quis majoris securitatis gratia dispensari secum in hoc desideret potest recurrere ad Episcopum, qui spectato jure in hoc dispensare poterit, Laym. Castrop. Less. Sanch. *LL. cit.* Nap. *l.* 4. *consil.* 9. *num.* 5. *de consanguin.* Unde jam etiam, quia in usu non sunt amplius, in iis explicandis non immorar, vide super his Castrop. *loc. cit.* §. 2. Laym. *cit. cap.* 5. Krimer. *a num.* 1924.

QUÆSTIO CV.

Quæ sint impedimenta dirimentia, & quam obligationem inducunt.

1. RESp. ad primum: Jure novo Tridentini statuuntur comprehensa sequentibus versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tuto.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

2. Resp. ad secundum: Peccat graviter, qui ligatus aliquo horum impedimentorum attentat seu vult contrahere, seu de facto contrahit matrimonium; quia in re gravi agit contra præceptum Ecclesiæ, est communis. Laym. *loc. cit. part. 4. cap. 1. num. 5.* Porro peccat contra illam virtutem, cujus intuitu statutum impedimentum; sic committitur peccatum injustitiæ, dum impedimentum est erroris, conditionis, raptus, vis; quia hæc statuta, ne contrahens deceptus patiatur injuriam. Idem est, si impedimentum est ligamen vel carentia parochi; cum eo enim contrahens facit injuriam etiam propriæ conjugi; sic peccatur contra justitiam vindicativam, dum est impedimentum criminis; contra pietatem, si est affinitatis vel consanguinitatis contra religionem, si impedimentum est votum vel disparitas cultus. Peccari insuper, cum quocunque demum impedimento contrahatur peccato sacrilegii adversus Sacramentum matrimonii, censent Castrop. *cit. d. 4. part. 3. num. 3.* Laym. *loc. cit. num. 6.* Coninck. *d. 30 dub. 2. conclus. 4.* &c. eo quod sic contrahens abutatur nomine & ritibus Sacramenti ad simulandam suam nequitiam, simulatione hac consistente in eo, quod apparenter materiam & formam matrimonii apponit, intendisque matrimonium contrahere, cum tamen non contrahis illud. Negant tamen e contra Sanch. *l. 7. d. 5. numer. 1.* Hurt. *d. 18. difficult. 3. num. 55.* eo quod stante impedimento, non apponatur materia & forma Sacramenti, cui fiat injuria.

3. Ex dictis sequi videtur, quod in confessione exprimendum, cum quo impedimento contractum matrimonium, dum diversarum virtutum, a quibus hoc peccatum desumit specificationem, intuitu est statutum impedimentum; quoad copulam ipsam autem habitam ab iis, qui cum impedimento contraxerunt, tunc tantum habere eam malitiam a fornicatione distinctam, quando contractus matrimonii præcipue prohibetur propter indecentiam, quæ in ea copula reperitur, V. G. habita inter affines vel consanguineos, aut etiam inter ligatos voto, aut disparis cultus; non vero, quando contractus matrimonii prohibetur, non tam ob indecentiam copulæ, sed ob aliam rationem. V. G. in pœnam criminis, in favorem personæ liberæ, ita quoad copulam tradunt Sanch. *d. 5. num. 7.* Coninck. *num. 21.* Castrop. *num. 5.* Hurt. *loc. cit. num. 34.*

QUÆSTIO CVI.

Quid importet impedimentum catechismi, & num illud adhuc hodiedum duret.

1. RESp. ad primum: Contrahitur hoc impedimentum ab eo, qui in Catechismo seu instructione & professione fidei facta ante Baptismum nomine baptizandi respondet Sacerdoti interroganti, ut habetur *cap. 2. de cognat. Spirit. in 6.* impeditque matrimonium illius cum persona illa baptizanda, etsi cum ea contractum valeat, si respondens ille non sit verus Patrinus impediebatque olim in iis gradibus, in quibus cognatio Spiritualis. Illud etiam contrahi, etsi per accidens subsequatur catechismus baptismum ob urgentem aliquam caussam domi factum, censent Covar. *2. p. decret. cap. 6. §. 4. n. 11.* Sanch. *l. 7. d. 10. num. 7.* & alii contra Sotum *in 4. d. 37. qu. unic. a. 1.*

2. Resp. ad secundum: Abrogatum non esse hoc impedimentum per Trident. *sess. 24. cap. 2. de reform.* sed restrictum ad primum gradum, sicut cognatio orta ex Baptismo, censent Cuchus *l. 5. instit. mor. tit. 12. num. 17.* Lancellot. *Inst. juris can. l. 2. tit. de trip. cognat. per catechism.* Tolet. *l. 7. cap. 14. &c.* eo quod omnis correctio juris sit vitanda, quoad fieri potest; adeoque esto, quod Concilium omnem aliam cognationem abstulerit præter provenientem ex Baptismo intelligi debet, abstulisse omnem aliam cognationem spiritualem dirimentem, non impedientem tantum. E contra penitus abrogatum esse hoc impedimentum impediens, censent cum communiore Sanch. *l. 7. d. 10. num. 11.* Gutt. *de matrim. cap. 84. num. 6.* Reginald. *l. 31. num. 190.* Rebell. *de obligat. Just. 2. p. l. 18. num. 20.* Castrop. *num. 9.* &c. eo quod Concilium diserit, Impedimentum cognationis spiritualis solum extendi debere ad levantem baptizatum de sacro fonte ejusque patrem ac matrem, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublatis; omnia autem negativa universalis negans omne impedimentum, de impedimento etiam impediente tantum cognationis spiritualis sit accipienda. Occasione cujus monent Sanch. Castrop. Gutt. & alii parochum obligatum annotare nomina patrinorum, qui baptizatum levarunt de sacro fonte, si solum professores fidei fuerunt, seu Catechismo solum astiterunt, debere id exprimere; quia ex primo munere contrahunt impedimentum dirimens, ex altero solum impediens vel nullum.

QUÆSTIO CVII.

Sponsalia quid impedimenti importent.

RESp. Sponsalia valida, pura, non dissoluta jure naturæ impediunt matrimonium contrahendum cum alia; cum sit contra fidelitatem & justitiam, rem uni promissam, eo invito, tradere alteri. Dixi: *Sponsalia pura*: nam pendente conditione, sub qua prius celebravit Sponsalia cum alia, impeditur quidem contrahere, & illicite contrahit matrimonium cum alia, non tamen peccat contra obligationem ducendi priorem sponsam, sed solum contra obligationem exspectandi eventum conditionis. Porro non nascitur hoc impedimentum ex sponsalibus contractis post & contra priora sponsalia, etiam his rite dissolutis; quia sponsalia illa posteriora sunt de jure naturæ nulla (nisi forte relata in tempus, quo priora forent dissoluta) quod autem nullum est etiam jure naturæ, tractu temporis non convalescit. E contra probabiliter hoc impedimentum adhuc afficit sponsum in casu, quo contra priora sponsalia inito matrimonio, eo rursus soluto, evadit liber, eo quod priora sponsalia per matrimonium cum alia initum cum injuria prioris sponsæ non sint omnino dissoluta ex parte sponsi, sed tantum erant suspensa, ideoque manet primæ sponsæ obligatus naturaliter ad servandam illi fidem sublato impedimento, nimirum soluto dicto matrimonio. De cætero in hoc impedimento nequit dispensare Episcopus, prætereaquam enim, quod in lege lata a Pontifice (qualis est *in c. ex literis, il 2. hoc tit.*) inferior dispensare nequeat, ex sponsalibus jus est acquisitum tertio; in eo autem jure, ut patet in testamentis, donationibus, dispensare nequit Episcopus; potest autem ex rationabili causa solus Pontifex; ita Sotus *in 4. d. 37. qu. unic. a. 1. con lus. 2.* Castrop. *num. 11.* Sanch. *l. 1. de matrim. d. 61. &c.*

QUÆSTIO CVIII.

Quid observandum circa impedimentum voti.

1. RESp. primo: Nomine hujus impedimenti venit votum simplex non nubendi, quippe directe oppositum matrimonio, votum ordines suscipiendi vel religionem ingrediendi; quia sunt status cum matrimonio non compatibiles. Item votum absolutum servandi castitatem (intelligo, extra religionem; cum votum simplex castitatis, quod post biennium novitiatus emittitur in Societate non tantum sit impediens, sed & dirimens matrimonium) quo corpus voventis absolute Deo consecratur, adeoque alteri tradi non potest. Quodlibet ex his votis jure naturali ac divino matrimonium impedit, juxta *c. consuluit, c. veniens, c. rursus, qui clerici vel vovent. c. unic. de voto in 6.* Nec desinunt impedire matrimonium primo, etsi vehementibus stimulis carnis urgearis, ut cum communi Sanch. *l. 7. d. 11. a num. 12.* Ponc. *l. 6. cap. 12. num. 2.* Castrop. *cit. §. 1. num. 12. &c.* eo quod ob statum religionis, ordinum & cælibatus excellentiam assequendam ea difficultas merito superari debeat, quin & possit ab adjuto divina gratia, adhibitis oratione, jejunio aliisque pœnitentiæ operibus. Nec secundo, licet sint conditionata vel dilata, seu respicientia tempus futurum. V. G. si beneficium obtinuero, postquam studia absolvero &c. eo quod licet eorum obligatio perfecta non sit, quousque conditio vel tempus adveniat, obligent tamen voventem, ne se incapacem & inhabilem reddat ad eorum executionem; ut fieret con-

contrahendo matrimonium. Sanch. *n.* 7. Ponc. *num.* 1. Gutt. *c.* 85. *n.* 3. Castrop. *nu* 12. Neque tertio non impediunt adhuc matrimonium contrahere, etiam cum animo illud non consummandi, sed ante consummationem ingrediendi religionem, vel (intellige, cum licentia conjugis) suscipiendi Ordines, ut Castrop. *num.* 12. contra Rebell. *de oblig. just. part.* 2. *l.* 3. *cap.* 17. *a n.* 2. Ponc. *num.* 4. & 5. eo quod (quæ est ratio horum AA.) licet contractus matrimonii seclusa consummatione non impediant ingressum religionis, susceptionem ordinum, cælibatum, contrahendo tamen matrimonium conjiciatur quis in grave periculum desistendi ab illa religionis ingrediendæ intentione, ratione cujus periculi saltem contractus matrimonialis ille est illicitus, etiam dum alteri conjugi ista intentio manifestatur; si vero cum eo contrahis non manifestata & illa intentione, contractus aliunde est illicitus, nimirum quia alter per hoc decipitur, & irrogatur ei injuria; esto enim, habeas bimestre ad deliberandum de ingressu religionis, neuterque conjugum possit alterum contrahendo matrimonium obligare, ne ad religionem transeat, si Deus inspiraverit, de facto tamen obligat, ne secum contrahatur animo firmo ingrediendi religionem, quin is animus ei manifestetur; dum enim communis modus contrahendi est animo consummandi matrimonium, adeoque sic contrahere præsumeris, alterque alias tecum non contraheret, decipitur & patitur injuriam, si contra has cum eo contra communem hunc modum, nempe cum firmo animo non consummandi, & animum hunc tuum ei non manifestasses. Neque quarto, si post tale votum deflorasses virginem absque promissione matrimonii & ipsa libere consentiente; eo quod nulla ei irrogatur injuria, cujus reparatione deobligari posses ab executione voti. Sanch. *l.* 7. *d.* 14. *num.* 11. Ponc. *l.* 6. *d.* 12. *num.* 6. Castrop. *num.* 15. Vasq. *de restit. c.* 3. §. 2. *dub.* 6. *num.* 31. Idem est si eam vi, dolo aut fraude violasti, quia non teneris præcise eam ducere, sed solum damnum resarcire dotando, ut æque bene nubere valeat, ut docent Sanch. *num.* 12. Pet. Navar. *de restit. cap.* 3. *num.* 423. Less. *lib. cit. num.* 10. secus est, si eam nolentem contentari dotatione, tenearis ducere. Item idem est, seu manes obligatus voto non nubendi exequendo, si eam consciam tui voti deflorasti sub promissione conjugii; eo quod, cum promissio illa tua nulla fuerit, idque cognoverit virgo, censetur gratis tibi prostituisse corpus suum; secus, si ea ignara voti tui; tunc enim teneris eam ducere suspenso voto tuo; eo quod obligatio justitiæ superveniens, orta ex usu corporis virginis sub hac conditione eam ducendi tibi concesso prævaleat promissioni castitatis Deo factæ; sicut, si post votum dandi eleemosynam subriperes alienum, prius deberes satisfacere huic debito quam voto, & licet illi damno virgini illato posses satisfacere dotis augmento, non inde liberaberis ab ea ducenda; cum ei vi contractus non pecuniam, sed matrimonium debeas; & quoties alicui in specie debetur quid, id præstandum est, nec sufficit æquivalens dare, creditore non consentiente seu contento. De cætero, ut dictæ obligationi justitiæ satisfacias, debere te prius petere dispensationem, quæ necessario concedenda sit; ait Castrop.

2. Resp. secundo: Quod si talis vovens citra dispensationem de facto illicite contraxerit matrimonium, si votum fuit de non contrahendo matrimonio factum amore castitatis, adeoque de non contrahendo simpliciter & perfecte, id est, contrahendo & consummando, tenetur adhuc ad non petendum debitum; quia quoad eam partem potest servari. Castrop. *num.* 18. negat tamen hoc ipsum cum aliis Krimer. *n.* 1969. eo quod semel violato hoc voto non nubendi, seu vitam cælibem ducendi, ejus executio non sit amplius possibilis; concedunt tamen cum Castrop. id procedere in voto simplici castitatis; si vero votum fuit de ingredienda religione, tenetur illud exequi ante consummationem, nisi forte in casu defloratæ virginis sub promissione conjugii ei non fuisset plene satisfactum per solum contractum matrimonii; si denique fuit de suscipiendo Ordine, cessat omnino, etiam non consummato matrimonio, ita ut possit petere & reddere debitum, cum non possit illud exequi sine licentia conjugis, juxta *Extrav. antiquæ de voto.* Porro circa hoc impedimentum voti notandum, per votum ingrediendi religionem emissum post sponsalia valida creari impedimentum contrahendi matrimonium, etiam cum sponsa, & manere obligationem votum illud implendi in sententia illorum, qui censent priora sponsalia absolute, etiam ex parte voventis, dissolvi per tale votum; secus est in sententia illorum, qui censent non dissolvi per illud sponsalia dicta ex parte voventis; quia prævaleret tunc prior obligatio justitiæ de ea ducenda, cui promissum matrimonium, & votum illud subsequens nullum est; etsi autem votum illud non sit impedimentum impediens matrimonium cum dicta sponsa, est tamen tale, seu redditur vi illius matrimonium illicitum cum alia. Idem est de voto castitatis emisso post sponsalia valida, adeoque in præjudicium alterius.

Quod autem spectat ad reliqua duo impedimenta, impedientia, quæ non oriuntur ex crimine, nempe Ecclesiæ vetitum & tempus feriarum, de iis dicetur inferius speciali titulo.

CAPUT NONUM.

De impedimentis dirimentibus in specie.

§. I.

De impedimento publicæ honestatis.

QUÆSTIO CIX.

Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & quo jure inductum.

1. RESp. ad primum: Est propinquitas seu affinitas quædam inter sponsum & consanguineos sponsæ, & vice versa inter consanguineos sponsi & sponsam, ortum habens ex sponsalibus de futuro & matrimonio rato tantum, vi cujus neuter sponsorum matrimonium contrahere potest cum consanguineis alterius. Dicitur primo: *propinquitas*; quia per sponsalia, quæ sunt veluti inchoatio matrimonii, & per ipsum matrimonium ratum quilibet sponsorum propinquat seu accedit ad fines sanguinis alterius sponsorum, inchoando quasi cum ejus consanguineis affinitatem, quæ consurgit contracto matrimonio. Dicitur secundo: *inter consanguineos*: Non enim contrahitur hoc impedimentum a sponsa cum affinibus sponsi qua talibus. Sanch. *d.* 68. *num.* 3. nomine consanguineorum autem veniunt hic quoque illegitimi spurii. Corrad. *pr. dispens. L.* 7. *cap.* 1. Dicitur tertio: *Inter sponsum & consanguineos sponsæ*: Non enim contrahitur inter consanguineos sponsi & consanguineos sponsæ; nam consanguinei sponsi & consanguinei sponsæ licite & valide contrahunt inter se matrimonium, ut expresse *c. super eo, de consanguinit.* Hinc Titius frater Caji potest habere in uxorem sororem uxoris fratris Caji. Vocatur autem impedimentum justitiæ seu publicæ honestatis; quia æquum ac consonum est honestati, ac decens ob dictam inchoationem matrimonii cum sponsa non contrahere cum ejus consanguineis.

2. Resp. ad secundum: Non est juris naturalis, sed solo jure Ecclesiastico inductum, ut constat & fatentur omnes, teste Castrop. *de matrim. d.* 4. *part.* 10. Constituitur autem *c. Juvenis*, *c. ad audientiam*, *c. sponsam*, *h. t. c. duo pueri*, *de despons. impub. c. unic. eod. in* 6. Item a Trident. *Sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.*

QUÆSTIO CX.

Ad quem gradum hoc impedimentum olim diremerit, & modo dirimat matrimonium.

1. RESp. ad primum: Jure antiquo extendebat se hoc impedimentum, tam ortum ex sponsalibus, quam ex matrimonio rato usque ad quartum gradum inclusive; textus enim loquentes de hoc impedimento, etsi gradum hunc non exprimant, dicunt tamen omnes extendi ad consanguineos; consanguinei autem omnes, & non ultra dicuntur post Innocent. 3. *in c. non debet*, *de consanguinit.* constituti intra quartum gradum.

2. Resp. ad secundum: Hodiedum jure novo Trident. ortum ex sponsalibus dirimit tantum ad gradum primum dicente Concilio *l. c. Justitia publicæ impedimentum*, *ubi sponsalia* que-

quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus omnino tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest ejusmodi prohibitio sine dispendio observari. Ortum vero ex matrimonio rato adhuc hodiedum dirimit ad quartum gradum inclusive. Quamvis enim Nav. *in man. c. 22. num.* 58. Covar. *in 4. decret. part.* 2. *c.* 6. §. 2. *num.* 2. aliique graves AA. censuerint, restrictionem a Concilio factam non solum de sponsalibus, sed & de matrimonio intelligendam (quæ sententia, ut Castrop. *cit. part.* 20. *n.* 5. probabilis esse poterat ante declarationem Pii V. editam Anno 1568. in Bulla incipiente *ad Romanum*) modo tamen post dictam declarationem id nullatenus sustinendum, dicente S. Pontifice in dicta Bulla: *Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus & definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat; non autem in matrimonio contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, in quibus de jure veteri ante prædictum Concilium introductum erat.* Atque ita notant Sanch. *L.* 7. *d.* 70. *num.* 3. Nav. *loc. cit. num.* 57. Castrop. *num.* 5. decisumque esse a Sac. Congregat. referunt Farinac. & Barbos. *ad cit. cap.* 3. *Concilii*.

QUÆSTIO CXI.

An & qualiter oriatur hoc impedimentum ex sponsalibus vel etiam matrimonio invalidis.

1. RESP. ad primum primo: Non oriebatur etiam olim, seu spectato jure communi decretalium hoc impedimentum ex sponsalibus irritis, v. g. ex defectu consensus, contractis ex errore personæ, vel sine sufficiente deliberatione, vel ex metu. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Item non oriebatur ex sponsalibus irritis, quia contracta in præjudicium priorum sponsalium validorum, v. g. dum post contracta valida cum Anna, illis non dissolutis contrahitur cum sorore Annæ. Uti hæc expresse decisa habentur *c. unic. h. t. in* 6. De cætero eodem jure communi contrahebatur hoc impedimentum ex sponsalibus ex quocunque alio capite irritis, ut pariter deciditur *cit. c. unico*, & constat ex *c. ad audientiam, h. t.* ubi licet sermo sit de sponsalibus irritis ob impedimentum consanguinitatis; idem tamen erat de irritis ex quocunque alio impedimento juris positivi; eo quod satis videbatur, quod sponsalia de cætero valida essent de jure naturali, & tenerent ratione consensus, dum SS. Canones inducendo hoc impedimento magis attendebant ad factum quam jus, quia communiter æstimabatur inhonestum esse, ut quis sponsam sui consanguinei habeat in uxorem; adeoque etiam mirum non est, quod in casu hoc præstabat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Pirh. *h. t. n.* 31. citatis Gl. *in cit. c. ad v. habere*. Abb. *ibid. n.* 7 Extendebatur hoc impedimentum ortum ex sponsalibus invalidis non secus ac ortum ex validis ad quartum gradum. Pirh. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 4. Arg. *c. sponsam h. t.*

2. Resp. ad primum secundo: Modo, seu jure novo Trid. non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus de futuro invalidis. Laym. *cit. c.* 9. *num.* 4. Castrop. *num.* 7. dum expresse *cit. c.* 3. Concilium ait; *Publicæ honestatis impedimentum, quæcunque ratione valida non fuerunt, S. Synodus omnino illud tollit.* Proceditque id ipsum non tantum, ubi sponsalia nulla ex defectu publico, & noto, ut volunt Sanch. *L.* 7. *d.* 68. *a num.* 14. Pont. *L.* 7. *cap.* 35. *num.* 10. Henriq. *L.* 12. *cap.* 10. *&c.* eo quod dicta dedecentia, quæ est in eo, quod quis ducat in uxorem consanguineam in primo gradu illius, quacum sponsalia contraxerat, sit semper, quoties publice constat sponsalia fuisse valida (potius dicere debebant hi AA. publice habita pro validis) etsi de facto seu reipsa irrita; adeoque dum Concilium dicit, non contrahi impedimentum hoc ex sponsalibus, quæ quacunque ratione valida non sunt, id sic intelligendum: quæ quacunque ratione, quæ cognoscitur & scitur, valida non sunt. Verum etiam, ut probabilius docent Pirh. *hoc tit. num.* 39. Castrop. *cit. num.* 7. citatis Rebell. *L.* 3. *quæst.* 17. Hurtad. *d.* 21. *diffic.* 1. *num.* 4. Coninck *d.* 32. *d.* 5. *num.* 69. Nav. *l. c. n.* 57. Ledesm. & alii, ubi defectus irritans sponsalia est occultus, v. g. defectus consensus, aliudve impedimentum dirimens omnino occultum; eo quod Concilium loquens universaliter, sine fundamento restringi non debeat ad sponsalia publice invalida; & ne, si spectanda sit tantum dedecentia publica, quæ apud homines oritur, & non, quæ sufficiat, quæ oritur spectato ipso contractu, dicendum quoque foret, ex sponsalibus validis, omnino tamen occultis non oriri impedimentum.

3. Resp. ad secundum: Ex matrimonio irrito aliunde quam ex defectu consensus, sicut olim oriebatur hoc impedimentum, & quidem usque ad quartum gradum, ut constat *ex cit. c. unic. h. t. in* 6. Castrop. *c. p.* 10. *num.* 3. ita & hodiedum pari modo nascitur ex sponsalibus de præsente seu matrimonio irrito, non ex defectu consensus (vel etiam, quia contractum in præjudicium priorum sponsalium de præsente, seu matrimonii contracti cum alia, ut Castrop. *n.* 3. §. *neque item*) sed ratione alterius impedimenti, v. g. in specie ex defectu solemnitatis, seu quia clandestine contractum. Ita contra Sanch. *L.* 7. *d.* 30. *num.* 13 asserentem ex matrimonio rato celebrato clandestine nullum nasci impedimentum. Pont. *L.* 7. *c.* 35. *in fine*. Hurt. *l. c. diff.* 1. *num.* 7. Castrop. *l. c.* & apud hunc Barbos. Farin. *ad Sess.* 24. *c.* 3 *Trident.* Rebell. *in append.* testantes sic decisum a S. Congregat. bis expressis: *Præsupposita declaratione per Constitutionem Pii V. super hoc decreto* (scilicet *Sess.* 24. *num.* 3.) *censuit congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti etiam nulliter contractis omissa forma Tridens. Sess.* 24. *c.* 1.

4. Atque ex his jam resolves, quid dicendum ad quæstionem, an sponsalia a pubere contracta cum minore septennio pariant impedimentum publicæ honestatis: nimirum respondendum affirmative, si major septennio cum puella minore quidem septennio, eidem tamen proxima, in qua malitia supplet ætatem, contraxit sponsalia; quia dicta sponsalia non sunt invalida. Et hic est casus decisus *in c. Juvenis, h. t.* ideo enim ibi deciditur contracta sponsalia illa a juvene pubere cum puella septenni peperisse hoc impedimentum publicæ honestatis; quia apparebat puellam illam esse propinquam septennio, & in illa malitiam supplevisse ætatem. Non vero illud natum tantum ex nisu ad copulam, quo forte juvenis ille tentavit illam carnaliter cognoscere. Ita Abb. *ad cit. c. juvenis, num.* 4. Barbos. *num.* 3. & 4. & ex illis Pirh. *num.* 32.

QUÆSTIO CXII.

An & qualiter dicatur hoc impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis.

1. RESP. ad primum: Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis; ut si quis promiserit se ducturum unam ex filiabus Titii, & illæ consenserint. Sanch. *L.* 1. *de sponsal. d.* 26. *n.* 1. & *l.* 7. *d.* 69. *n.* 1. Pirh. *num.* 37. juxta *l. unic. hoc tit. in* 6.

2. Resp. ad secundum: Ex sponsalibus vel etiam matrimonio contractis sub conditione de futuro impedimentum hoc non oriebatur olim ante eventum conditionis. Castrop. *nu.* 3. sed nec modo oritur ante impletam conditionem; quia, cum conditio suspendat consensum usque ad eventum conditionis, efficit, ne sponsalia vel matrimonium ante illius adventum effectum habeant, seu sint valida, nimirum ex defectu consensus; adeoque cum Trident. dicat; ex quacunque ratione non sint valida, non causare hoc impedimentum, illud non causabunt. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Atque ita si quis contraxerit sponsalia de præsenti seu matrimonium cum sorore illius, cum qua contraxerat antecedenter sponsalia conditionata ante eventum conditionis, valebit hoc matrimonium. Si vero contraxerit post illa sponsalia conditionata, alia sponsalia absoluta cum sorore sponsæ istius prioris ante eventum conditionis, nullum ex illis orietur impedimentum, quippe invalidis; quia contracta in præjudicium prioris sponsæ, cum tenebatur exspectare eventum conditionis; adeoque poterit, & post eventum conditionis debebit ducere priorem sponsam. Castrop. *cit. num.* 3. *in fine*. Impleta vero conditione mox oritur hoc impedimentum; quia jam evadunt sponsalia pura, absoluta, & valida. Et quidem eo ipso absque novo consensu in eorum sententia, qui docent, ea absque novo consensu subsistere. Secus ante novum consensum in eorum sententia, qui tenent novo consensu opus esse. Castrop. *loc. cit.* Dixi: Ex sponsalibus contractis sub conditione de futuro. Nam si sit conditio de præsente vel præterito, statim oritur hoc impedimentum, si conditiones veræ sunt. Pirh. *loc. cit.* Arg. *cit. c. unici*. Quod si etiam conditio sit de futuro impossibili aut turpi, ita, ut non sit contra substantiam matrimonii, statim oritur hoc impedimentum; quia, cum ea conditio habeatur pro non adjecta, sponsalia manent pura & absoluta. Sanch. *cit. d.* 69. *num.* 6. Pirh. *num.* 38.

QUÆSTIO CXIII.

An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus validis, sed mutuo consensu, aut alio ex capite dissolutis.

1. **R**Esp. primo: Impedimentum hoc perpetuum esse, & morte alterius sponsorum non cessare, docent Sanch. *L. 7. d.* 68. *num.* 22. Laym. *cit. cap.* 9. *num.* 3. Piasec. *in pract. Episcop. part.* 2. *c.* 4. Castrop. *cit. p.* 10. *num.* 9. Pont. *L.* 7. *c.* 36. *num.* 9. Gutt. *cap.* 103. *num.* 11. Hurtad. *d.* 21. *diffic.* 1. *num.* 5. Rebell. *in append. ad l.* 4. *num.* 99. Parin. *ad cit. c.* 3. *Trident.* eo quod illa sponsalia simpliciter ac in perpetuum fuerint valida. Et constat fere hoc ipsum ex *c. Si quis uxorem*, 27. *quæst.* 2. ubi: *Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quamquam postmodum præveniente die mortis ejus nequiverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguineis ejus licet eam accipere in conjugio*, & *c. seq.* ubi: *Si quis desponsaverit uxorem, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguineis* (quod tamen modo intellige intra primum gradum) *eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.*

2. Resp. secundo: Durare quoque hoc impedimentum post soluta sponsalia mutuo consensu aliave de causa, tenent Piasec. Sanch. Laym. *ll. cit.* Pagn. *in c. ad audientiam, hoc tit. num.* 29. ubi ait: ad hanc quæst. an sponsalibus valide ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis pluries fuisse propositam, ac mature examinatam, Congregationem Cardinalium sub die 6. Julii 1658. censuisse non esse sublatum. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua die 20. ejusdem mensis prædictam ejusdem Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari. Item novissime P. Jacob. Wex. *in opusc. Canonico Trident. de sponsal. part.* 1. §. 6. *num.* 42. dicens sententiam oppositam carere nunc omni probabilitate ob memoratam Cardinalium declarationem, & *num.* 38. dicens: jam a tempore Urbani VIII. tres declarationes contrarias illi sententiæ oppositæ emanasse, ac declarationem, quam pro se afferunt AA. oppositæ sententiæ, non fuisse nec esse authenticam. Adducitur etiam pro hac sententia textus, *c. accessit, de sponsal. impub.* ubi Alexand. III. expresse sic statuit: *Quod si puella impubes completo septennio desponsata, adepta postmodum pubertate, resiliat, adeoque sponsalia dissolvantur, nihilominus remaneat impedimentum publicæ honestatis.* Unde si in hoc casu per dissensum approbatum a Jure (concedente nimirum potestatem post pubertatem acquisitam resiliendi, & per dissensum dissolvendi sponsalia ante pubertatem contracta) manet adhuc dictum impedimentum, multo magis vi dicti textus censendum, remanere illud dissolutis mutuo consensu sponsalibus contractis inter puberes.

3. Nihilominus sententiam contrariam, nempe non remanere, seu non nasci dictum impedimentum ex sponsalibus dissolutis mutuo consensu aut alia legitima de causa, teneat Castrop. Pont. Gutt. Hurt. Rebell. Parin *ll. cit.* Dian. *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 223. Barbos. *de potestate Episcop. alleg.* 51. *num.* 188. aliique ab eo citati. Item recentior Vincent. de Justis editus primum anno 1691. *L.* 2. *disp. matrim. cap.* 8. *a num.* 32. in quam sententiam multum inclinat Krimer. editus anno 1702. *in* 4. *lib. Decret. a num.* 209. referunt quoque Sacr. Congregat. Rebell. Farin. *ll. cit.* uti & Corrad. *in praxi dispensat. Apost. l.* 8. *cap.* 7. *num.* 13. ubi is, quod Sac. Congregat. censuerit sponsalia de futuro posse quandoque ante contractum matrimonium per verba de præsente mutuo consensu contrahentium dissolvi, atque, ubi sic dissoluta fuerint, nullum hodie inducere impedimentum; quia eadem met Congregat. censuit dicta sponsalia esse invalida, nimirum quoad effectum inducendi hoc impedimentum; eo quod Concilium quoad hoc requirat sponsalia, non utcunque & secundum quid, sed simpliciter valida, videlicet ex utrinsque consensu, & voluntate constante nec rescissa, nec revocata, qualia sunt non nisi morte alterutrius dissoluta, vel etiam ob aliam necessitatem, qua coguntur a matrimonio abstinere; non vero quæ libero mutuo consensu solvuntur. In confirmationem quoque hujus sententiæ affertur, quod *in c. Si quis uxorem, & seq.* dicatur hoc impedimentum manere ex sponsalibus de futuro etiam non secuto connubio, expresso solum specifice casu mortis. Unde arguitur non nasci, nisi ex sponsalibus per firmitatem voluntatum in utroque sponso, quæ probatur per eorum constantiam in iis usque ad mortem, aut aliam necessitatem, qua coguntur abstinere a matrimonio. Sed neque ex eo, dicunt hi AA. quod hoc impedimentum jure annexum sit sponsalibus eo ipso, quod valida sint, probari ullo textu, quod firmiter iisdem annexa, etiam in adventum casus, ubi libera voluntate contrahentium solvuntur, cum nulla juris dispositione annexa sint certis casibus solum ex suppositione, qua soluta seu sublata, & illa tolluntur. Neque ex eo, quod impedimenta semel firmiter nata non possint tolli directe pro libitu contrahentium, sequitur, quod tolli nequeant indirecte. Quamvis & negent hi AA. suppositum, nimirum impedimentum hoc unquam natum absolute ex sponsalibus per consensum solum temporaliter, & transeunter præstitum; cum sponsalia dissoluta mutuo consensu jam non sint valida amplius, sed invalida ex defectu consensus, prout indicat memorata declaratio Sac. Congregat.

4. Ad adductam illam ab Adversariis declarationem Card. dicunt, de illa non constare authentice, & aliam a se allatam esse magis credibilem; eo quod hæc expresse habeatur in impressis declarationibus ad Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat. matrim. v. quacunque ex ratione.* Declarationibus autem Cardinalium, de quibus non constat authentice (quales sunt, quæ non apparent manu Cardinalis Præfecti & Secretarii subscriptæ, & consueto sigillo obsignatæ) fidem adhibendam non esse, ut cum aliis docet Pagn. *in c. quoniam, de constitut. num.* 59. Ita fere Krimer. *num.* 213. ad textum *c. accessit.* Dicunt ibi non agi de sponsalibus libero mutuo consensu dissolutis, sed a Judice dissolutis, vel unius solum dissensu approbato a jure; adeoque potius dissolutis ex necessitate saltem ex parte alterius.

5. Et hæc quidem valde probabiliter pro sententia negante illud impedimentum nasci, vel permanere ex sponsalibus libere mutuo consensu dissolutis. De cætero tamen his non attentis, si declaratio adducta a fautoribus oppositæ sententiæ sit authentica, & ut dicunt hi AA. specialiter a Papa approbata, absque dubio illi deferendum, & conformiter ad mentem Pontificis respondendum contrarium, ut recte Krimer. An vero sit authentica, aut etiam obtineat vim legis ligantis omnes Christi fideles, esto, nullibi sit juridice, & solenniter promulgata, prout plures putant, pendet ex eo, quænam conditiones ad hoc requirantur, de quo tractatur *tit. de const.* Illud sane passim videre licet apud AA. multas circumferri & tribui Sac. Congregat. declarationes etiam contrarias, quæ authenticæ non sunt, vel etiam dictam vim obligandi universalem non habent, sed mere sunt doctrinales, imo nequidem emanatæ a S. Congreg. Unde etiam multi libri similium declarationum, qui mentito ipsius Congregat. nomine prodierunt, ab eadem S. Congregatione sub *date Romæ* 29. *April.* 1621. annuente Gregor. XV. reprobati indici librorum prohibitorum addendi.

§. II.

De impedimento disparitatis cultus.

QUÆSTIO CXIV.

Quid hic intelligatur per disparitatem cultus, & qualiter impediat matrimonium.

1. **R**Esp. ad primum: Disparitas cultus supponit hic pro diversitate fidei seu religionis inter contrahentes, qualis est seu censetur inter baptizatum & non baptizatum, etsi hic sit Catechumenus.

2. Resp. ad secundum: Indubitatum est præstare impedimentum matrimonio contrahendo interdictas personas vel ex jure ipso, quod dedeceat, posita Christi institutione, matrimonium in Sacramentum elevante, ut Christianus contrahat matrimonium, quod non est Sacramentum, quale vel eo ipso non est, quod pars altera non sit baptizata, adeoque incapax Sacramenti; cum matrimonium, utpote unicum indivisibile vinculum afficiens duo extrema, nequeat esse Sacramentum ex parte unius, & non ex parte alterius. Castrop. *d.* 4. *p.* 11. *num.* 1. Præterquam quod hæc disparitas sit impedimentum impediens, seu reddat Christiano graviter prohibitum, adeoque illicitum matrimonium, prout constat ex illo Apostoli 2. *ad Cor.* 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: Prout hunc textum applicat D. Hieron. *L.* 1. *adversus Jovinian.* Item ex *c. non oportet*, & *c. cave*, 28. *quæst.* 1. juncta Gloss. *vers. Christiano*, quæ etiam *ibidem* notat, quod

Cate-

Catechumenus non sit fidelis. Præter hoc, inquam, est impedimentum dirimens, seu dirimat matrimonium contrahendum, & contractum a Christiano cum infideli seu non baptizato, ut constat ex communi usu & consuetudine Ecclesiæ, habentis istiusmodi matrimonia contracta sine dispensatione pro nullis & irritis.

QUÆSTIO CXV.

Quo jure hoc impedimentum dirimat matrimonium.

1. RESp. primo: Non dirimit illud jure naturali. Castrop. *loc. cit.* Pont. *l. 7. c. 47. n. 2. & 3.* Gutt. *c.* 104. *n.* 1. Covar. *in 4. decret. p. 2. cap. 6. §.* 11. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 164. cum communi. Siquidem dicta disparitas non repugnat substantiæ seu essentiæ & fini matrimonii; cum stante illa obligari possint conjuges tales ad cohabitationem, debiti redditionem, & prolis educationem. Et licet ordinaria dicta cohabitatio obnoxia gravibus discordiis & periculis, & timenda mala prolis educatio; hæc tamen non probant esse talia conjugia irrita, sed tantum illicita plerumque, sive nisi hic & nunc quandoque gravis necessitas & causa excuset. Atque ita non tantum in lege veteri plures fideles contraxere matrimonia cum gentilibus & idololatris. Jacob cum filiabus Laban, quæ videntur fuisse idololatræ. Joseph cum filia Putipharis. Salomon cum filia Pharaonis. Esther cum Assuero; sed & in lege nova seu Christiana, v. g. Monica cum viro infideli. Clotildis cum Clodoveo; absque eo, quod in scriptura aut Ecclesia propterea istiusmodi matrimonia habita sint pro concubinatu, aut etiam reprehendantur. Sed neque his obstat, quod conjux factus fidelis, privilegio fidei possit ab infideli recedere, ac matrimonium solvere contrahendo aliud; exinde enim non sequitur, prius matrimonium jam eo ipso reddi invalidum seu dirimi; potest siquidem etiam cum infideli remanere, ubi nullum periculum perversionis, aut contumelia creatori imminet, quod non posset, si matrimonium fidelis cum infideli dirimeretur jure naturæ.

2. Resp. secundo: Neque impedimetum hoc jure positivo dirimit matrimonium. Covar. *l. c.* dicens esse communem Canonistarum, & Theologorum. Castrop. Gutt. Pont. Pirh. *cl. cit.* nullus siquidem textus est, ex quo id colligatur. Et licet Christus elevaverit matrimonium in Sacramentum; quin & licet exinde aliasve ob rationes dicatur jure positivo divino promulgato ab Apostolo prohibitum tale matrimonium fidelis cum infideli; non tamen hinc sequitur aut probatur, Christum inhabilitasse quoque fideles ad matrimonium, quod non est Sacramentum.

3. Resp tertio: Est proinde hoc impedimentum dirimens introductum solo jure Ecclesiastico. AA. citati cum communi & certa. Et licet fortassis (dico *fortassis*; quia aliqui hoc deducere volunt ex Concilio Nicæno, *Can.* 67. & 69. ubi æque punitur nubens infideli, quam habens duas uxores; neque admittitur ad pœnitentiam, nisi infidelem relinquat) jus nullum scriptum Pontificium aut Concilii generalis hac de re extat, est tamen sufficienter inductum consuetudine, & praxi universalis Ecclesiæ profecta ex traditione Apostolorum, prout colligitur ex *c. 28. quæst.* 1. quæ consuetudo vim legis irritantis habet, Sanch. *L. 1. d. 72. num. 7. &* 8. Castrop. *cit. part.* 11. *num.* 3. Pirh. *loc. cit.* Inde jam sequitur, posse Papam in hoc dispensare, ut fidelis contrahat matrimonium cum infideli, & quidem licite, si causa sit gravis, & periculum perversionis tam in conjuge quam liberis caveatur. Sanch *n.* 10. Castrop. *num.* 4. Gutt. *n.* 2. Pirh. *n.* 164.

QUÆSTIO CXVI.

An hoc impedimentum extendat se ad matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, eaque dirimat.

RESp. negative D. Thom. *in 4. cap. 39. qu. unic. a. 3. ad 5.* Sanch. *L. 7. d.* 72. Gutt. *num.* 6. Castrop. *num.* 6. Laym. *L. 5. tract. 10. part. 4. cap. 14. num.* 2. Pirh. *hoc tit. num.* 165. cum communi Theologorum & Juristar. contra Gl. *in c. fin. de condit. appos. v. contra substantiam.* Host. *in cap. 1. de conjug. servor.* Caretium *num.* 157. Simanch. *de Cathol. instit. cap.* 40. & 46. & paucos alios. Arg. *c. decrevit, de haret. in* 6. ubi decernitur, uxores, quæ scienter nupserunt hæreticis privandas dote in pœnam delicti, & tamen non præcipitur illas separandas a viris; adeoque supponitur matrimonium esse validum. Neque his obstant, quæ in contrarium adduci solent ex Conciliis *Carthagin. 3. cap.* 12. Chalced. *cap.* 14. Illiberit. *cap.* 15. 16. 17. Agathensi *Can.* 67. quæ eodem modo videntur loqui de matrimonio cum Hæreticis, ac de matrimonio cum infidelibus. Nam esto, omnia hæc sint authentica, dici potest cum Castrop. *l. c. num.* 7. antiquis temporibus fuisse matrimonia cum Hæreticis irrita, dicta irritatione contraria consuetudine abrogata; præterquam quod nomen *Hæretici*, ut Castrop. *l. c.* Pont. *in append. ad cap. 46. L. 7. cap.* x. Reginald. & alii, sumatur quandoque, & speciatim *in can. 72. sexta Synodo general.* pro infideli. Sed neque facta contra legem habenda sunt pro infectis, ut habetur *L. non dubium, c. de ll.* nisi lex illa irritet.

QUÆSTIO CXVII.

Quo jure illicitum & prohibitum sit matrimonium cum Hæreticis.

1. RESp. primo: Prohibitum & illicitum esse jure Ecclesiastico constat ex citatis Conciliis, uti & ex *c. oportet, caus. 28. q.* 1. quod desumptum est ex Concil. Agath. *c.* 25. ubi dicitur: *Non oportet cum Hæreticis commiscere connubia.* Prohibitum quoque esse jure divino positivo, colligunt plures ex citatis verbis Apost. 2. *ad Cor.* 6. *Nolite jugum ducere cum infideli*, ut videre est apud Cornel. a Lapide, & Toletum *in illum locum.*

2. Resp. secundo: Jure naturæ illicitum est, dum adest periculum perversionis conjugis Catholici, vel malæ educationis prolium in hæresi, aut etiam gravium jurgiorum inter conjuges, quæ vix abesse possunt inter tales conjuges diversæ fidei. Pont. *l. c. cap. 2. per tot.* Castrop. *num* 8. Pirh. *num.* 165. cum communi & patet. Dum vero probabiliter & prudenter creditur abesse dictum periculum, non repugnat tale conjugium juri naturæ; siquidem lex illa naturæ fundatur in dicto periculo. Castrop. *num.* 10. Coninck. *d. 31. dub 3. concl. 3. & dub. 26. a.* 24. Pirh. *l. c.* & AA. communiter. Unde sequitur, quod quoties periculum illud in aliqua Provincia communiter cessat, neque cernitur adesse in matrimonio, de quo hic & nunc celebrando tractatur, posse licite sine ulla dispensatione illud iniri; quia in eo casu tam lex Ecclesiastica quam naturalis, vetans iniri matrimonium cum hæretico cessat. Castrop. *num.* 15. Quod autem aliqui AA. Azor. *Tom 1. Instit. mor. l. 7. cap. 11. qu.* 5. Sanch. *cit. d. 72. num* 5. Gutt. *num.* 7. Hurt. *d. 24. differ. 2. in fine &c.* tam generaliter pronuntiant: quod, si in regione aliqua vel regno hæretici & Catholici promiscue habitent, & religionem suam profiteri permittantur, ut in Germania, Polonia &c. licita esse talia conjugia; quia periculum perversionis & iniquæ educationis prolis & rixosæ cohabitationis plerumque cessat, id, inquam, non placet; quia non plerumque cessat in iis etiam locis tale periculum, ut constat experientia, sed valde frequens est. Et esto, cesset plerumque, ac propterea lex Ecclesiastica ibi non videtur obligare, quia tamen sæpe uno alterove casu adest illud periculum, adhuc lex naturalis obligabit ad illud evitandum non contrahendo talia matrimonia, ut recte Laym. *l. c. n.* 2. Pont *l. c.* Pirh. *n.* 166. & Castrop. ipse *cit. n.* 10.

3. Quod si etiam in locis, ubi Catholici non permittuntur, secure suam religionem profiteri, aliquibus concedatur hæc securitas a periculo perversionis, rectaque prolium educatio adhuc authoritate privata non posse contrahi matrimonium cum hæretico, bene tamen accedente Pontificis dispensatione (quia tunc solum ex obligatione legis Ecclesiasticæ abstinendum a tali conjugio) censet Castrop. *num.* 11. quandonam autem hæc Catholico concedatur securitas, prudentis relinquendum arbitrio examinatis circumstantiis; & quidem inter magnos Principes sufficientem reputandam securitatem, si fidem dent juramento firmatam, maxime, si dantis fidem intersit illius observatio, censet Castrop. ex Ponc. *in cit. append. c. 5. a n* 4. Pari modo, dum dubium est, num hic & nunc adsit tale periculum, sive num sequi possent ista mala & incommoda, ad summum Pontificem, vel etiam ad Episcopum in Germania nostra spectare, rem examinare & contrahendi matrimonii licentiam dare, ait Laym. *l. c. n.* 2.

4. Resp. tertio: Sed neque ita jure naturæ illicitum esse tale matrimonium, etiam stante illo perversionis periculo (modo tamen obfirmato animo non consentiendi in illam perversionem illud celebretur) quin possit in pluribus casibus honestari ac licitum reddi; ut si ex tali matrimonio cum subjectione talis periculi magni fructus sperentur. V. G. multorum Acatholicorum conversio, eorum tranquillus status, & Ecclesiæ catholicæ non leve incrementum, tenet Castrop. *n.* 12. cum Ponc. *c. 6. num.* 7. quin & Pontificem debere tunc in lege sua Ecclesiastica dispensare; cum periculum peccandi subire non ita sit intrinsece malum, quin ex rationabili causa subiri possit, ut doceri solet *in tract. de caritate*, & constat exem-

exemplis pluribus, v. g. Judithæ exponentis se periculo violandi castitatem, Estheris nubendo Assuero incurrentis periculum desereodi suam religionem. Non tamen videtur id dicendum, dum stante æquali periculo perversionis cum æquali vel etiam majore spe boni alicujus privati inde secuturi; v. g. conversionis alterius conjugis. Unde etiam ait Laym. *l. c.* tunc tandem summum Pontificem dispensative id permittere posse, si io aliquo casu probabilis spes sit ex istiusmodi matrimonio longe majoris fructus spiritualis secuturi, ob quam incommoda illa permitti possint; quod tamen perrarum esse dicit; cum Serario *de conjug. Catholic. cum hæret. cap. 2.* & Becano 2. 2. *cap. 9. q. 5. dub. 4. respons. 3.*

5. De cætetu talibus matrimoniis non obstat, quo minus licite contrahi possiot, quod hæreticus recipiens & administrans Sacramentum matrimonii peccet, utpote obstans effectui gratiæ; non eoim Catholicus contrahens cum eo cooperatur ejus iniquitati; cum possit hæreticus cum Dei gratia illud peccatum evitare; uti nec parochus Catholicus assistens tali matrimonio; quia assistit contractui per se licito. Castrop. *n. 12.* Ponc. *in cit. append. n. 9.* Neque obstat, quod hæreticus credat matrimonium non esse Sacrameotum; cum satis sit, quod velit celebrare matrimonium, prout est ab Ecclesia receptum, quamvis ipse ex errore privato contrarium Ecclesiæ censeat; & hac ratione non exponit Catholicum periculo non suscipiendi Sacramentum. Castrop. *cit. numer. 11. in fine.*

QUÆSTIO CXVIII.

An valeat pactum adjectum tali matrimonio Catholici cum Acatholico, ut pars liberorum nasciturorum educetur catholice; V. G. Filiæ sequendo matrem Catholicam; pars altera educetur in hæresi; V. G. Filii sequantur patrem hæreticum.

RESP. Tale pactum passim ab AA. censeri irritum & impium; cum pareotes teneantur omnes proles educare in vera religione, cui obligationi nunquam renunciare possunt. Laym. *loc. cit. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 167.* Tanner. *d. 8. de matr. q. 4. dub. 5. n. 91.* qui tamen addit, & cum eo Pirh. *loc. cit.* Krimer *in 4. decret. num. 1065.* in casu, quo contrahitur matrimonium cum hæretico licite, nimirum dum creditur per hoc multum promovendum bonum publicum, nec tamen spes sit maritum hæreticum permissurum proles omnes in fide Catholica educari &c. non videri illicitum io pactis coojugalibus talem appooere exceptionem, ut pars saltem aliqua liberorum educetur Catholice; salvo tamen semper jure matris Catholicæ, ut etiam cæteros liberos, quantum fieri potest, in vera religione instruere non intermittat.

§. III.

De impedimento raptus.

QUÆSTIO CXIX.

Quid sit raptus mulierum.

1. RESP. Raptus hic proprie est, quando mulier, cum qua prius nihil actum de matrimonio contrahendo, sive virgo, sive alia mulier, sive vidua, sive conjugata, modo ingenua sit, seu non serva, & honeste, hoc est, non impudice viveos, libidinis cum ea exercendæ, vel etiam matrimonii contrahendi causa abducitur per vim illatam fœminæ aut ejus parentibus aliisve, sub quorum potestate est. Ita fere Pirh. *ad tit. de raptor. & incend. num. 1.* ex Farin. *in pr. crim. p. 5. v. raptus q. 145. num. 5. & 2.* Julio Claro *v. raptus numer. 1.* Unde

2. Infero primo, non committi raptum, si mulier sui juris & sub nullius potestate constituta sine vi & volens abducatur; rapere enim ex vi nominis importat vim & violentiam; non obstante *L. unic. C. de raptu Virgin.* ubi: incurri pœnas a raptoribus, sive volentibus sive nolentibus virginibus seu aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum; cum lex illa nitatur præsumptioni, quod vis quædam importunis ac dolosis suasionibus sit mulieri illata. Sanch. *lib. 7. d. 12. n. 9.* & ex eo Pirh. *n. 4.* Proceditque idipsum (saltem in ordine, ut ordinaria raptori pœna non incurratur) si importunis precibus seu metu reverentiali, citra tamen omnem dolum & fraudem adducta sit, cum tales preces se solis vim non inferant; secus tamen, si dolosis persuasionibus, aut fallacibus promissionibus muuerum, vel quibuscunque fraudibus circumventa abducatur, quod in dubio præsumitur. Sanch. *loc. cit. n. 10. & 11.* Pirh. *n. 5.* Farin. *loc. cit. n. 131.*

3. Infero secundo: Committi raptum; (etsi forte in hoc casu iofligenda pœna raptori ordinaria mitior) si puella sub parentum potestate constituta, etiam consentiens, ex eorum domo ipsis invitis abducatur; cum per talem abductionem gravis fiat parentibus iojuria, quam puella per suum io abductionem consensum non potest remittere. Sanch. *n. 12.* Fariu. *num. 118.* Host. *in sum. de raptor. num. 1.* quod autem abductio fiat insciis parentibus, etsi adhuc sit raptus; quia adhuc deest eorum consensus, quod satis est, ut de injuria queri possint, non est tamen raptus proprie & stricte dictus, ordinaria pœna digous. Sanch. *loc. cit.* Fario. *num. 121.* Pirh. *loc. cit.* Laym. *lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 13. n. 2.* Navar. *lib. 5. consil. 3. num. 1. de raptor.* Pari modo si constituta sub tutorum vel curatorum (vel etiam, ut addit Pirh. fratrum) custodia abducatur, raptus est, etsi minora pœna puniendus. Laym. Pirh. *LL. cit.* Sanch. *num. 14.*

4. Iofero tertio: Committi raptum, si sola fœmina dissentiat, nolitque e domo parentum abduci, etsi parentes conseotiant, cum hi non habeant potestatem exponendi illam ad talem usum. Hurt. Pirh. *LL. cit.* Sanch. *loc. cit. n. 8.* unde patet, duplicem esse raptus speciem, ut D. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 7.* nimirum, si vel vis injusta in abductione puellæ exerceatur vel in ipsam puellam, vel erga ejus parentes aut tutores.

Iofertur quarto: Quod si fœmina initio consentiens in sui abductionem, & postea invita & repugnans cognoscatur, non committi raptum, sed stuprum; cum in delictis juxta *L. divus ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* initium spectetur, econtra committi raptum (etsi raptor non incurrat saltem pœnam ordinariam raptus; quia is non fuit consummatus, ut AA. mox citandi) si fœmina ab initio invita abducta fuit, etsi postea libere consentiat in cupulam; quia initium, in quo fuit violentia spectandum. Sanch. *loc. cit. n. 7.* Farin. *loc. cit. q. 145. & 134.* Pirh. *num. 4.*

5. Iofero quioto: Non esse raptum, si quis per vim a fœmina extorqueat copulam, non traduceodo illam de uno loco ad alium, sed oeque si præcise abducatur a loco, v. g. de via publica per aliquot solum passus commodioris concubitus gratia, vel de una camera in aliam, sed ubi de domo in domum aliam, sive de loco in locum alium fuit traducta animo abducendi eam ulterius a loco, in quo habitat seu commoratur. Sanch. *n. 20. & 21.* Farin. *q. 145. n. 69.* Clarus *§. raptus n. 1.* Pirhing *n. 10.* etsi ad locum destinatum non pervenerit.

6. Infero sexto, non esse raptum (saltem qui pœnas juris incurrat *L. unic. c. de rapt. virgin.*) si rapta fuit publica meretrix, Sanch. *n. 22.* Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1253. num. 12. & 13.* cum scorta non veniant honestarum fœminarum nomine, Gl. *in cit. L. V. virginum*, juncta Gl. *margin. L. B.* & meretrix non censetur vim passa a cognoscente illam, nisi probetur. Secus tamen est, si non tantum desiit esse publica meretrix, facta alicujus concubina; sed etiam cœperit ducta pœnitentia impuræ vitæ, honeste vivere. Mascard. *loc. cit. n. 14.* Item secus, saltem quo ad iocurrendam pœnam, si mulier, etsi iohonesta, esset tamen conjugata. Mascard. *n. 15.* De cætero bene dicit Pirh. *n. 11.* cum Sanch. *n. 37.* perinde esse io foro conscientiæ, quo ad committendum raptum, sive mulier sit meretrix sive honesta; dummodo violenter ex dictis causis abducatur.

7. Infero septimo, non esse raptum (saltem secundum Jus Canonicum, cui standum, & quod in hoc videtur correxisse jus civile, *L. unic. C. de rapt. virg.* ubi in hoc casu censetur adhuc committi raptus) dum quis eam, cum qua contraxit vera sponsalia, etiam de futuro tantum, rapit de domo paterna, aut iovitis pareotibus, *c. cum causa de raptor.* Pirh. *n. 7.* idque sic statutum a jure canonico io favorem matrimonii, quod dum debet esse liberum, ut cum fœmina libere posset contrahere in domo parentum, etiam impune a sponso volens abduci poterit invitis parentibus ad matrimonium promissum exequendum. Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *in cit. c. cum causa.* Contrarium tamen dicendum, si quis fœminam, cum qua contraxit vera sponsalia de futuro, invitam & reclamantem eduxerat e domo paterna ad consummandum cum ea matrimonium. Pirh. *loc. cit.* Castrop. *d. 4. p. 2. §. 2. num. 8.* Azor. *part. 3. L. 3. cap. 14. q. 3.* Idem est, dum quis fœminam, cum qua contraxit matrimonium ratum, volentem tamen, uti jure suo, quod habet ad deliberandum de ingressu in religionem spatio duorum mensium, per vim & invitam rapiat ad consummandum cum ea matrimonium. Azor. *quæst. 4.* Pirh. *num. 8.* Covar. *in 4. decret. part. 2. capit. 7. §. 4. numer. 11.* Item contrarium dicendum, nimirum adhuc committi raptum, si quis fœminam, cum qua quidem tractatum habuisset de matrimonio, ante tamen adhuc vera sponsalia contracta, etiam volentem abduceret invitis parentibus, ait Pirbing

loc. cit. num. 7. citant Sanch. *lib. 7. d. 12. num. 15.* Castrop. *loc. c.* Videtur tamen etiam ad evitandum raptum sufficere, si legitime tractatum fuerit de contrahendo matrimonio absque eo, quod sponsalia adhuc contracta, ut indicat satis Laym. *cit. capit. 13. num...* dum ait: si tractatus de matrimonio legitime contrahendo, vel sponsalia antecesserunt; quippe in *cit. cap. cum causa*, simpliciter dicitur: *ubi nihil ante de nuptiis agitur*: nimirum quod tunc committatur raptus, si invitis parentibus abducatur.

8. Infero denique, non committi raptum, si quis mulierem non ex causa exercendæ cum ea libidinis (quod tamen semper præsumitur, dum mulier est juvenis & apta ad libidinem. Farin. *quæst. 145. num. 78.*) aut ad contrahendum cum ea matrimonium, sed ex causa alia. Sanch. *num. 17.* Clarus *§. raptus num. 1.* id etiam procedere videatur, si ex alia causa abductam, postea tamen per accident cognoscat carnaliter. Uti econtra adhuc committetur raptus, dum mulier invita abducta libidinis cum ea exercendæ, aut matrimonii contrahendi causa, etsi dein neutrum attentatum, vel quia raptor non potuit, vel etiam pœnitentia ductus abstinuit ab utroque, quia, ut dictum, spectandum est initium & intentio.

QUÆSTIO CXX.

Quid tam jure civili, quam canonico, tam antiquo, quam novo statutum, quo ad pœnas incurrendas a raptoribus mulierum.

RESP. De hoc dicendum *ad tit. 17. L. 5. decret.* vide tantisper Pirh. *ad dictum tit. §. 1. & 2.*

QUÆSTIO CXXI.

Quid jure civili, & quid jure canonica antiquo statutum de raptoribus in ordine ad contrahendum matrimonio, cum ea, vel etiam cum aliis.

1. RESP. Primo: Jure civili non solum prohibitum matrimonium inire cum fœmina rapta, ut constat ex *cap. unic. de rapt. mulier.* Sed etiam irritum est tale matrimonium; idque, etiamsi mulier existens in potestate raptoris libere consensisset. Ut constat ex *Auth. de raptis mulierib.* ibi: *tale stare* (hoc est, subsistere seu vires habere tanquam validum) *etsi rapta voluerit, prohibemus*, item *collat. 9. nov. 144.*

2. Resp. secundo: Jure Canonico antiquo, nimirum, *cap. statutum 27. quæst. 2.* ubi dicitur: *Si quis Sponsam alterius rapuerit, publica authoritate mulctetur, & sine spe conjugii maneat*; statutum, ut raptor sponsæ alienæ contrahat impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens contrahendi cum quacunque alia muliere, ut qui alienum matrimonium ausus turbare, merito privetur proprio. Prædictum vero impedimentum non incurritur, si mulier rapta non fuerit desponsata, vel etiam, si contraxerit tantum sponsalia de futuro; nomine enim sponsæ in odiosis non venit sponsa de futuro. Sanch. *lib. 7. d. 12. n. 45.* Castrop. *cit. p. 2. §. 2. n. 9.* Pirh. *ad tit. de raptorib. n. 16.* Sed requiritur, ut acto contraxerit sponsalia per verba de præsente seu matrimonium; perinde autem est, sive fuerit virgo, sive corrupta; sive matrimonium illius consummatum, sive ratum tantum; quia jus non distinguit, & in utroque casu fit injuria matrimonio per raptum. Pirh. *loc. c.* Item non incurritur, si vir sciens abduci sponsam suam, non renitatur; cum illud impedimentum latum in favorem viri; Castrop. *loc. cit.* si autem vi renitatur, & sponsa consentiat, contrahit hæc quoque illud impedimentum, ita ut dissoluto matrimonio illo nulli alteri licite nubere possit. Castrop. Item non incurritur, nisi carnalis copula cum rapta sit actu secuta; cum in materia favorabili (qualis est matrimonium) ejus impedimenta sint restringenda. Pirh. *cit. n. 26.* cum Sanch. *n. 46.* De cætero hoc impedimentum impediens, quo minus matrimonium cum ulla alia deinceps contrahi possit, uti & cætera hujusmodi impedimenta orta ex crimine modo consuetudine præscripta sublatum est.

3. Resp. tertio: Jure canonico antiquo, nempe *c. de puellis cap. si autem & c. seq. 36. q. 2.* matrimonium cum raptore absolute erat irritum. Quod tamen jus antiquum alio subsequente jure antiquo correctum, nempe *c. accedens de raptorib.* ubi: *rapta puella* (*etiam invita & renitens ab initio*, in ipso raptu, ut Host. *ibid. v. rapta*) *legitime contrahet cum raptore, si prior dissensus transeat postmodum in consensum* (expressum vel tacitum, ut Host. *ibid. v. consensum*) *& quod ante displicuit tandem incipiat placere, dummodo ad contrahendum sint legitimæ personæ*, hoc est, nullo alio impedimento canonico, puta ætatis, consanguinitatis impeditæ.

QUÆSTIO CXXII.

Quid circa hoc statutum jure novo Tridentini.

1. RESP. De eo sic statuit Trident. *sess. 24. cap. 6. de reform. matrim. statuit S. Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu illa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem ducat; & nihilominus raptor ipse & omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant teneatur præterea mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non, decenter arbitrio Judicis dotare &c.* Unde patet, raptum hodiedum esse impedimentum dirimens matrimonium cum rapta, non quidem perpetuum, sed temporale, donec libertati suæ restituatur, & violentia illi illata cesset. Hinc colligenda & circa hæc notanda sequentia.

2. Primo: Incurri hoc impedimentum dirimens vi Tridentini, etiamsi mulier sit corrupta, inhonesta, meretrix; cum Concilium loquatur generaliter de rapiente fœminam causa matrimonii, non attendens qualitatem personæ, sed libertatem matrimonii, quæ etiam deficere potest, licet persona sit inhonesta. Sanch. *lib. 3. d. 13. n. 14.* Vincent. de Justis, *de disp. matr. lib. 2. c. 18. n. 40.* Krimer *l. c. nu. 519.* contra Beckman. *l. de doctrin. juris v. raptus* dicentem; si meretrix abducta vi, non dici raptum jure canonico.

3. Secundo: Matrimonium adhuc esse nullum, etiamsi rapta constituta in potestate raptoris revera libere consentiat; cum Concilium exigat ad valorem matrimonii, non tantum liberum consensum raptæ in matrimonium, sed &, ut plene sit libera a potestate raptoris, & ab eo separata. Sanch. *l. c. n. 7.* Pirh. *loc. cit. n. 19.* cum communi & in hoc correctum est jus antiquum; vi cujus ad valide contrahendum matrimonium non requirebatur, ut puella extra potestatem raptoris constituta consensum præbeat, sed sufficiebat, si etiam sub ejusdem potestate constituta libere consentiret. Barbos. *ad c. accedens de raptorib. num. 4.* citatis pluribus.

4. Tertio; non esse matrimonium nullum, quod quis fœminam desponsatam sibi per verba de futuro cum ejus consensu abducens e domo parentum, etiam iis invitis, cum ea contrahit coram parocho & testibus, etiamsi rapta non constituatur extra potestatem raptoris, & ab eo separata; cum non sit proprie raptus, si sponsa volens abducatur; & Concilium solum irritaverit matrimonium celebratum cum rapta, dum hæc est in potestate raptoris contra voluntatem suam, vel quando rapta ad celebrandum cum ea matrimonium clandestinum. Pirh. *cit. num. 19.* citato Azor. *p. 3. l. 3. cap. 14. q. 2.*

5. Quarto, non esse invalidum matrimonium celebratum cum ea, quam quis abduxit etiam invitam, non animo contrahendi cum ea matrimonium, sed solius libidinis explendæ gratia, vel ex causa alia, dum fœmina etiam necdum constituta extra potestatem raptoris, libere consentit in matrimonium. Ita probabilius Sanch *cit. d. 13. n. 3. & 4.* Rodriq. *Tom. 1. sum. cas. 223. n. 7.* Con. *d. 31. dub. 4.* Laym. *cit. c. 13. in fine.* Less. *lib. 4. c. 3. n. 64.* Castrop. *l. c. n. 11.* Corrad. *in pr. disp. Apost. l. 7. c. 6. n. 49.* Pirh. *n. 22.* contra Azor. *l. c.* Sa *v. matr. n. 9.* Veracruz *in append. ad specul. conjug. ubi de raptu pag. 81. §. hic considerandum &c.* eo quod decretum illud Concilii sit pœnale & correctorium juris communis, & quod Concilium in eo intendat favere libertati matrimonii; ideoque illud attentatum ex raptu reddit irritum, ut ea irritatione coerceat raptores, videntes se finem suum consequi non posse, adeoque non extendendum ad raptorem ex causa libidinis. Castrop. *l. c.* Videtur tamen sufficere ad hoc impedimentum, quod mulier causa libidinis in principio rapta, dein a raptore vi detineatur causa matrimonii cum ea contrahendi; cum illa detentio ex hoc fine, in quantum constituat abductionem, est raptus causa matrimonii. Vincent. de Justis *l. c. l. 4. c. 6.* & ex eo Krimer. *l. c. n. 521.*

6. Quinto, venire hic nomine raptoris, non solum illum, qui physice rapit, sed etiam eum, cujus nomine, mandato, & ad ejus petitionem fœmina rapitur; ita ut matrimonium a mandante, petente cum ea initum, dum est in ejus potestate, sit invalidum, non vero initum cum ea mandatario. Pirh. *n. 23.* Corrad. *loc. cit. lib. 7. c. 6. n. 51.* Krimer *n. 518.* Item is, qui rapuit motu proprio fœminam, non ut ipse, sed alius cum ea contraheret matrimonium, valide contrahit cum ea libere consentiente, etsi adhuc constituta sub potestate raptoris. Idem est de eo, qui raptori consilium præbuit; quia pœna

illa

illa statuitur raptori, qui rapuit eo fine, ut ipse cum ea matrimonium contrahat, qualis non est ille consiliarius. Pirh. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. n.* 6.

7. Sexto incurri pœnas raptui a Trident. statutas, adeoque & illam inhabilitatem contrahendi cum rapta matrimonium, quia hæc est pœna inter reliquas statuta, etiamsi copula cum rapta non sit secuta; quia non punitur hac pœna raptus commissus libidinis causa, sed factus causa ineundi matrimonii. Pirh. *num.* 24. Sanch. *num.* 8.

8. Octavo, incurri hoc impedimentum, etsi rapta causa contrahendi matrimonii nondum sit deducta ad locum destinatum; cum sufficiat, quod raptor violenter ex dicta causa eam abstraxerit in potestatem suam, utpote per quam violentam abstractionem jam est consummatum delictum raptus, & perfecte irrogata injuria libertati matrimonii. Pirh. *loc. cit.* Sanch. *n.* 10. Non tamen incurri, si de uno loco in alium moraliter idem. V. G. de una camera in aliam abripiatur. Haunold. *de jur. & just. Tom.* 6. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 541.

9. Nono; incurri etsi fœmina violenter abducta, dein manens in potestate raptoris, libere consentiat contrahere matrimonium; secus, si ab initio volens sit abducta, & dein mutata voluntate resistat abductioni. Pirh. *n.* 25. Sanch. *n.* 9.

10. Decimo, non incurri, si solum precibus importunis, vel etiam donis & pecunia inducta sit, ut consentiat sui abductioni; nisi forte preces illæ ob adjunctas minas vel metum reverentialem æquiparentur violentiæ; quia alias non est proprie raptus. Sanch. *n.* 11. Pari modo non esse raptum pœnis Tridentini, adeoque dictæ inhabilitati obnoxium, si dolo falsisque promissis abducatur, cum non sit violentia, censent Castrop. *n.* 15. citatis Sanch. *eod.* n. 11. Gutt. *de matr. c.* 86. *n.* 14. & 15. Pirh. *n.* 26. non obstante, quod dolus sufficiat ad pœnas juri civili statutas; eo quod Trid. solis raptoribus inter reliquas pœnas imponat dictam inhabilitatem, quales proprie non sunt, ubi abest violentia.

11. Undecimo; non incurri, si sponsa de futuro lubens invitis parentibus, tutoribus abducatur. Castrop. *num.* 14. Pirh. *n.* 28. juxta *cap. penult. de raptor.* Secus esse, si sponsa de futuro renitens abducatur, eo quod adhuc lædatur libertas matrimonii, dum vi abducitur, ut matrimonium contrahat, tenent Pirh. *loc. cit.* Castrop. *cit. n.* 14. citans Sanch. *d.* 13. *n.* 15. Gutt. *num.* 22. contra Henriq. *lib.* 12. *de matr. c.* 14. *n.* 4. & 5. Less. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 78. cum quibus sentire videtur Barbos. *ad c.* 6. *de raptor. n.* 4. citans pro hoc Rebell. *de oblig. just. p.* 2. *l.* 3. *q.* 12. *num.* 5. Farin. *cit. qu.* 145. *n.* 88. Anton. Gennens. *in pract. ecclesiast. q.* 6. *num.* 91. & alios; ex quibus tamen aliqui id sic limitant; nisi sponsa haberet causam justam resiliendi a sponsalibus.

12. Duodecimo, non incurri hoc impedimentum, dum fœmina consentiens & volens abducitur, non tantum insciis parentibus, sed etiam iis invitis & renitentibus, ut probabilius docent Sanch. *lib.* 7. *d.* 13. *n.* 13. Castrop. *loc. cit. n.* 12. Coninck *cit. d.* 31. *dub.* 4. *in fine.* Less. *loc. cit. dub.* 9. *n.* 70. Reginald. *in foro pœnit. l.* 22. *n.* 31. contra Henriq. *loc. cit.* Gutt. *loc. c. n.* 17. Farin. *n.* 121. Tosch. *Tom.* 6. n. *raptor. concl.* 5. Bonac. & alios apud Barbos. *in cap.* 6. *de raptor. n.* 3. Laym. *n.* 4. Pith. *n.* 27. Quamvis horum posteriorum prior sententiam contrariam dicat non improbabilem, alter valde probabilem; siquidem dictum impedimentum latum est a Concilio in favorem matrimonii, ne fœmina invita & repugnans cogatur cum raptore contrahere matrimonium; jam vero libertati matrimonii non obest illa parentum repugnantia, cujus proinde non meminit Concilium, sed solius puellæ consensus.

QUÆSTIO CXXIII.

Num etiam raptus, viri factus a fœmina inducat dictum impedimentum.

RESP. Si fœmina rapiat virum nolentem, & contradicentem ad ineundum secum matrimonium hoc impedimentum uti & cæteras pœnas a Tridentino statutas non incurri; eo quod non loquatur nisi de viro raptore, & decretum pœnale & correctorium extendi non debeat ultra expressa; tenent Pirh. *l. c. n.* 28. Sanch. *cit. d.* 13. *n.* 16. sic quoque ait Castrop. *loc. cit. n.* 16. pœnas illas non extendi ad raptores fœminas, quia jus non præsumit violentiam inferendam viro. Addit tamen, quod, si aliquando viro inferatur violentia, ea stante, non posse consistere matrimonium, secus ea cessante, tametsi extra potestatem raptricis non sit. De cætero locum quoque in hoc casu, dum nimirum mulier robusta & authoritate pollens causa matrimonii rapit virum. V. G. adolescentem timidam, esse decreto Tridentini, & incurri vere impedimentum raptus dirimens, tenent absolute Vinc. de Justis *de dispens. matr. lib.* 2. *c.* 18. *num.* 75. Haunold. *l. c. num.* 549. quos citat & sequitur Krimer. *n.* 522. eo quod licet dictum decretum odiosum sit & pœnale loquens solum de raptore, & non de raptrice, adeoque videatur non extendi ultra expressa, id tamen locum non habeat, quando ratio legis porrigitur etiam ad non expressa; in præsente autem casu ratio legis, quæ est libertas matrimonii, æque patet in fœmina rapiente virum, quam in viro rapiente fœminam. Adde, quod, cum leges non ferantur de iis, quæ rarissime contingunt, sed solum de frequenter contingentibus; rarissime autem mulier rapiat virum, ratio esse potuit, cur Tridentinum non expresserit hunc casum. De cætero probabilius esse fœminas raptrices istiusmodi non incurrere pœnas alias ordinarias raptus, ut Pirh. *addit. de raptorib. n.* 12. citatis Claro §. *raptus n.* 6. Menoch. *de arbitr. cas.* 291. n. 30. Sanch. *d.* 12. *n.* 25. Addit quoque in genere, Castrop. Concil. Trid. (intellige quo ad dictam inhabilitatem aliasque pœnas) locum solum habere in iis locis, ubi receptum; alias standum esse juri antiquo *cap. fin. de raptorib.* ubi illud statuitur, quod rapta, etiam adhuc constituta in potestate raptoris, libera tamen cum eo contrahat, valeat matrimonium.

QUÆSTIO CXXIV.

An sicut raptus matrimonium, ita quoque dirimat sponsalia, eaque reddat irrita inter raptorem & raptam.

RESP. Pari modo sicut matrimonium, ita etiam sponsalia valide contrahi non possunt inter raptorem & raptam, quamdiu hæc violenter detinetur in illius potestate. Quamvis enim Concilium non loquatur de sponsalibus de futuro, sed solum de matrimonio, adeoque ejus decretum pœnale quo ad dictam inhabilitatem, & irritationem non videatur extendendum ad sponsalia, attamen, cum sponsalia sint via & præparatio ad matrimonium, hoc prohibito & irritato, prohibentur & irritentur & illa, si eadem prohibitionis ratio sit in utroque, uti est in præsente, nimirum defectus plenæ libertatis; ita Pirh. *loc. cit. n.* 29. citatis Nav. *lib.* 5. *consil.* 4. *ad tit. de raptorib.* Sanch. *cit. d.* 13. *num.* 17.

§. IV.

De impedimento erroris.

QUÆSTIO CXXV.

Qualiter error personæ præstet impedimentum matrimonio.

1. RESP. Primo: Error circa substantiam seu individuum personæ, ut dum quis putans se contrahere cum Maria contrahit cum Anna; jure naturæ reddit contractum matrimonialem nullum; dum enim objectum nempe personam, circa quam versatur, falso cognoscit, putans esse, quod non est, adeoque reddit incognitum, facit deficere voluntarium circa hoc objectum, & excludit consensum in hanc personam; juxta illud *L. si per errorem ff. de jurisd. omn. Jud. error excludit consensum, & l.* 1. *c. de falsa caus. adject. errantis nullus est consensus,* & illud Menochii *cons.* 179. *n.* 20. *voluntas errantis nihil disponit,* In specie juxta illud *c. unic.* 29. *q.* 1. *error personæ conjugii consensum non admittit.* Qui tamen consensus jure naturæ necessarius est ad matrimonium, & quidem in determinatam personam propter individuam cum ea vitæ societatem, aliter, ac accidit in aliis Sacramentis & contractibus, quorum valori non obstat, quod erretur in persona, v. g. dum confirmatur, absolvitur Petrus, confirmante, absolvente putante esse Joannem; dum equus venditur Titio, venditore putante esse Cajum; cum enim in his non spectetur hæc vel illa determinata persona, quam mente concepit, sed solum, quæ præsens est, parumque referat ad Sacramenti validam administrationem intentio ministri, quæ non ad singularem personam, puta Petrum vel Joannem, sed ad eam, quæ præsens est, restringitur. Quod si tamen minister præter communem Sacramenta administrandi modum mere per accidens hic & nunc sic restringeret intentionem suam ad singularem, quam sibi in mente designavit, personam, pariter de valore istius Sacramenti loquendum ac de matrimonio, in quo erratur in persona. Perinde autem est, sive matrimonium redditur invalidum, sive error ille in substantia seu persona sit error antecedens consensum (qui est causa, quare consensus habeatur, ut si quis contrahat cum hac persona, quia putat Mariam esse, cum ea non contracturus deposito errore, sive si sciret non esse Mariam) sive sit error concomitans qui non est causa consensus, sed pure il-

lam concomitatur, ut si quis contrahat cum hac persona, quam putat esse Mariam, contracturus tamen etiam cum ea, & forte libentius, si non esset Maria, sed Anna; uterque enim hic error facit, ne adsit actualis consensus in personam, quam quis falso putat esse eam, quam sibi animo designavit. Ita Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. & ex eo Krimer *loc. cit. num.* 3072.

2. Resp. secundo: Error circa qualitatem. V.G. Virginitatem, nobilitatem, divitias, fœcunditatem, pulchritudinem &c. etsi sit antecedens, seu dans causam matrimonio, alias non contrahendo, si error ille non intercessisset. V.G. dum sic contrahitur: duco te in uxorem, quia puto te esse nobilem, non ducturus te, si scirem te non esse nobilem: non reddit matrimonium irritum. Laym. *loc. cit. nu.* 2. dicens esse communem Scholasticorum. Sanch. *lib.* 7. *d.* 18. *numer.* 18. Covar. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 3. & *var. resol. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Molin. *de just. tract.* 2. *d.* 352. §. *illud est.* Castrop. *tract.* 28. *d.* 4. *part.* 4. *num.* 3. citans insuper Gl. *in l. a Divo Pio v. actionem ff. de ritu nupt.* Valent. 3. 2. *d.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 4. §. 2. Gutt. *de matr. cap.* 89. *num.* 3. & alios plures contra quosdam putantes tale matrimonium non valere in foro conscientiæ, secus in foro externo; hocque etiam, ut expresse Laym. etsi error proveniat ex dolo alterius contrahentis, simulantis, se esse talibus qualitatibus præditum. Ratio responsionis a priori & ab intrinseco est; quia talis error non impedit consensum requisitum substantialiter, nec tollit voluntarium absolutum & simpliciter; cum dictus consensus consistat in traditione voluntaria tui corporis, quæ non impeditur etsi deceptus sit credens esse nobilem &c. cum illæ qualitates incitarint te quidem ad hanc traditionem faciendam, non tamen fuerint materia vel objectum illius. Unde patet talia matrimonia imprimis non esse irrita jure naturæ, sed neque esse irrita jure positivo ecclesiastico, patebit ex jam dicendis. Altera ratio a posteriore desumitur, nimirum e gravissimis damnis & inconvenientiis inde orituris, si talia matrimonia passim ob tales errores & deceptiones tanquam irrita dissolverentur. Quæ etiam est ratio, cur Ecclesia hujusmodi matrimonia irritare noluerit (nullus enim existit canon ecclesiasticus, quo & infirmantur, ut Laym.) etsi forte potuisset, sicut irritavit de facto matrimonia ex gravi metu injuste incusso contracta, etsi non minus metus ille quam error causet involuntarium, cum metus ille injustus facilius probetur, quam error ille & deceptio; adeoque non ita metus ac error dubia relinqueret matrimonia, ac omnia litibus involveret. Laym. *num.* 2. Castrop. *num.* 3. Unde jam etiam facile respondetur ad illud adversariorum: contractus, cui error causam dedit, saltem ope Judicis venit irritandus, nimirum, si irritationem suscipere potest; matrimonium autem semel validum rescindi non potest. Similiter ad illud: quod donatio sit nulla, dum datur Titio non pauperi eleemosyna, quia putatur pauper; nimirum donationem illam esse nullam; quia error hic commissus non est in qualitate, sed substantia; cum enim eleemosyna sit miseriæ alterius sublevatio, ad ejus substantiam & objectum pertinet vera paupertas, non ficta & simulata.

3. Resp. tertio: Loco limitationis præcedentis *quæst.* Si tamen contractus habeat expressam, & actualem voluntatem non contrahendi cum hac muliere, nisi habeat talem qualitatem, verb. g. nisi sit nobilis, matrimonium nullum est, deficiente illa qualitate, non tam ex errore qualitatis, quam ex defectu substantialis consensus, qui non nisi sub conditione præstitus est hoc modo: duco te, si nobilis es, alias non duco te. Sanch. *cit. d.* 18. n. 2. Laym. *nu.* 2. Castrop. n. 5. Gutt. *cap.* 89. *n.* 6. Idem est, seu non valet matrimonium, dum error qualitatis infert errorem circa substantiam ipsam seu errorem personæ, uti contingit, dum per qualitatis aut qualitatum non communium (quales sunt divitiæ, nobilitas) sed singularium individuationem personæ denotantium expressionem seu narrationem persona alias ignota describitur seu sit cognita. V.G. si vis contrahere cum primogenita Petri, & offertur tibi Caja, quæ non est primogenita Petri, sed fingit se illam esse, aut persuaseris aliunde illam esse primogenitam, contractum cum ea matrimonium nullum est; quia hic iterum deficit consensus, seu quia non habes consensum contrahendi cum hac persona. Laym. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Secus tamen foret, si dicta Caja tibi prius nota de visu designaretur a te ad matrimonium, quia putas esse primogenitam, cum tamen non sit, nisi forte haberes actualem intentionem illam non ducendi, si non esset primogenita, ait Laym. *loc. cit.*

QUÆSTIO CXXVI.

An igitur etiam error circa servilis conditionis qualitatem non dirimat matrimonium.

1. RESp. primo: Error servilis conditionis, licet versetur tantum circa qualitatem personæ, ut dum liber cum ancilla vel serva, vel libera cum servo contrahit, ignorans illam conditionem, reddit matrimonium nullum; irritatio hæc habetur *cap.* 2. 3. & *ult. de conjug. servor.* Ratio autem hujus irritationis ab AA. reddi solet ex D. Thom. communiter recepto *in* 4. *d.* 36. *q. unic. art.* 1. nimirum quod æquum sit, maxime conducens, & tantum non necessarium ad finem generis, & mutuorum obsequiorum præstationem &c. ut in hoc contractu matrimoniali servetur æqualitas, seu conjuges conferant inter se æqualem corporum suorum potestatem, quæ æqualitas in dicto conjugio servorum cum liberis servari nequit; cum liber plenam sui corporis potestatem det servo, obligetque se ad individuam vitæ societatem, quam tamen servus libero concedere & præstare nequit; siquidem in potestate domini constitutus, ejusque obsequiis & negotiis diu noctuque occupari potest, in terras longinquas mitti quin & vendi, non obstante matrimonii vinculo, ut constat ex *cap.* 1. *de conjug. servor.* adeoque impeditur frequentissime reddere debitum conjugi, ejus obsequiis assistere, vacare educationi prolium &c. Unde etiam desumitur ratio, cur potius irritatur matrimonium ex errore hujus qualitatis, quam ex errore aliarum qualitatum.

2. Extenditur responsio, vel potius ex ea deducitur, quod liber detecto errore seu servitute, authoritate propria recedere possit, si absit scandalum; etsi regulariter, dum matrimonium, publice contractum, & de eo constat, adsit scandalum, adeoque separatio fieri non debeat sine judicio Ecclesiæ. Gutt. *cap.* 90. *n.* 11. Ponc. *lib.* 9. *cap.* 43. *in fine*. Quin etiam servus possit, renuente etiam libero, recedere; cum ex parte utriusque contractus sit nullus; nisi forte ex tali contractu & deceptione liber passus damnum, cui aliter servus satisfacere nequit, quam matrimonium ratificando. Castrop. *cit. d.* 4. *p.* 5. §. 1. *num.* 4.

3. Limitatur econtra responsio e Sanch. *lib.* 7. *d.* 19. *num.* 4. Coninck *d.* 31. *dub.* 2. *n.* 26. ut error conditionis servilis non reddat matrimonium irritum, si mancipio promisse sit a domino libertas intra breve tempus, V.G. sex menses; eo quod videantur cessare rationes, ob quas alias tale matrimonium irritatur, & moraliter reputari debeat matrimonium cum libera. Contrarium tamen probabilius censent Ponc. *lib.* 7. *cap.* 43. *num.* 16. Gutt. *cap.* 90. *n.* 6. quibus favere videtur Castrop. *loc. cit. part.* 5. §. 1. *num.* 4. eo quod textus absolute irritet matrimonium liberi cum mancipio ignorata servitute ob deceptionem, quam in eo patitur liber, & involuntarium, quod tali contractui inesse præsumitur. Illud tamen certum, ut Castrop. esse dicunt hi AA. contra Sotum Ledesm. &c. valere matrimonium, si contrahatur cum ea, cui concessa libertas pro aliquo determinato tempore; quia absolute contrahitur cum libera; prætcrquam quod libertas concessa pro quocunque tempore est perpetua, *l. libertas juncta l. ides statim de manum. testam.* contrarium tamen expresse habet Pirh. *ad tit. de conjug. servor.* citans Sanch. *d.* 19. *num.* 2. nimirum esse tale matrimonium nullum, dum libertas concessa ad biennium, ut eo elapso, rursus servus in pristinam servitutem redigatur; eo quod talis maneat revera servilis conditionis, & quidquid interea agit, agat ut servus. Illud etiam certum juxta *cit. cap.* 2. *de conjug. serv.* matrimonium tale invalidum ex errore servilis conditionis fieri validum, si liber post scientiam servitutis cognoscat carnaliter servam. Verum, ut Pirh. *loc. cit. n.* 5. cum Barbos. *in cit. cap.* 2. & aliis apud illum quia post Trid. *sess.* 24. *de matrim. cap.* 1. non sufficit ad matrimonium consensus præsumptus, qualis habetur per subsequentem copulam, nisi post sublatum impedimentum novus consensus coram Parocho & testibus interveniat, non habebit locum quoad hanc partem *cit. cap.* 2. in locis, in quibus Trid. receptum; adeoque talis postquam cognito errore eam cognovit, adhuc compelli non poterit, ut eam tanquam uxorem maritali affectu tractet.

QUÆ-

QUÆSTIO CXXVII.

An ergo etiam invalidum sit matrimonium ex errore servilis conditionis contractum in iis casibus, dum per ipsum matrimonium servus evadit liber.

RESP. In hoc non convenire AA. negant Sanch. *lib. 7. d.* 20. *nu.* 14. & alii cum Gloss. *in cap. fin. de conjug. servor.* eo quod expresse approbetur in *Auth. de nupt. coll.* 4. ubi: *Non erit justum tale non constare conjugium*; & tale conjugium dici non possit liberi cum servo; cum eo ipso desinat esse servus, & ea servitus, quæ per matrimonium tollitur ejus bonis obesse non possit, quæ est sola ratio, cur conjugia liberi cum serva irritentur. Affirmant e contra Gutt. *cap.* 91. *n.* 16. Covar. *in 4. decret. part. 2. cap. 7. num.* 1. Castrop. *loc. cit.* §. 3. *num.* 5. eo quod Jus Canonicum absolute matrimonium liberi cum serva servitutis ignari irritet ob defectum voluntarii, quem liber habere censetur; in præsente vero casu vere sit matrimonium liberi cum serva; cum servus, ut libertatem consequatur, debeat prius contrahere, adeoque hic contractus sit stante formaliter servitute. Atque ita tota ratio Castropalai consistit in hoc, quod matrimonium tale sit natura prius libertate, & pro hoc priori sit contractus liberi cum mancipio. Ad textum vero *Auth.* respondet Castrop. in eo decisum non esse, valere tale matrimonium, sed justum esse, ut valeat, nimirum deinceps, dum postmodum consenserint; quia tunc sublato impedimento per ipsum matrimonium justum est, illud constare. Ad illud, quod non obstet matrimonium tale illius bonis, dicit, non irritari ex eo matrimonia contracta ex errore servitutis, quod aliqualiter obstent bonis illius; alias enim, ut dictum, deberent irritari contracta cum scientia servitutis, sed ob deceptionem libero factam & involuntarium illius consensum, quorum utrumque in præsente casu reperitur in tali contractu, & talis contractus non fuisset, si veritatem scivisset. Sed quid, si scivisset servitutem per ipsum matrimonium tolli, quid eum deterruisset ab eo, nisi forte turpe existimasset etiam illam ducere, quæ antecedenter serva fuisset.

QUÆSTIO CXXVIII.

Quo jure error conditionis irritet matrimonium.

1. RESP. In hoc quoque non convenire AA. Juri naturali, vel saltem juri gentium adscribunt *Sylv. v. matrimonium* 6. *quæst.* 1. Angles *in florib. 4. sentent. part. 1. super dist.* 36. *quæst. de error. condit. art.* 1 *dub.* 1. apud Layman *loc. cit. n* 3. qui & ipse in hanc sententiam inclinare videtur, & probabilem satis dicunt Sanch. *num.* 15. Castrop. *num.* 2. idque (quod spectare videtur jus naturale) ob rationes adductas; nimirum quia status servilis repugnat bonis & fini matrimonii, secus, ac contingit in leprosis, bannitis, relegatis, qui etsi & ipsi libere nequeant vacare usui matrimonii, id tamen contingat per accidens. Ad hæc, sacris canonibus videatur hoc impedimentum non de novo inductum, sed quod antea receptum erat, approbatum sit, ita ut, quod ait Layman non sine verisimilitudine dici possit, errore illo servilis conditionis jure gentium infirmari matrimonium.

2. Econtra quamvis juri naturali valde conforme sit, ut talis error dirimat matrimonium, non esse tamen hoc jure irritum, sed solo jure ecclesiastico, quamvis antiquissimo irritatum, sentiunt Sanch. *loc. cit. num.* 16. Gutt. *loc. cit. num.* 1. Con. *dub.* 3. *concl.* 1. Castrop. *num* 3. Pirh. *loc. cit. numer.* 8. quam sententiam inter AA. magis receptam, ait Laym. Ratio hujus sententiæ est, quod quamvis contrahens ex errore servitutis aliquo modo, & secundum quid involuntarie contrahat, in quantum si conditionem servilem præsciret, non contraheret (uti etiam accidit in errore circa qualitates alias) simpliciter tamen, & absolute talis contractus sit voluntarius; quia simpliciter in hanc determinatam personam consentit, adeoque est verus & validus contractus, spectato solo jure naturæ. Ad hæc ex jure naturæ provenire nequit dicta irritatio, quia talis error obstat bonis matrimonii; cum alias etiam servitus non ignorata redderet matrimonium irritum; neque quia per deceptionem illam facta injuria homini libero, cum deceptio illa non sit facta in substantia contractus, quæ consistit in mutua traditione corporum ad usum conjugalem, quæ etiam in contractu liberi cum servo reperitur, licet traditio illa facta a servo non sit ita plena ac expedita, sicut facta a libero: non enim exinde destruitur essentia matrimonii, ut quæ solum requirit, ut conjux alteri reddat debitum, individue cohabitet &c. quoties legitime impeditus non fuerit, uti hæc patent in matrimonio sani cum leprosa; quod tamen simile, ait Layman juxta dicta ab eo ante, non tenere; cum servitus per se sit status quidam stabilem obligationem continens, quæ obligationi matrimoniali suapte natura non parum detrahit. Qualem obligationem stabilem usui matrimoniali contrariam, quia non continent aliæ qualitates, sed tantum per accidens, cum usum non impediant, errorque circa illas sit varius & multiplex, non fuerit expediens, passim matrimonia ex eo errore irritari. Ex quibus jam etiam infertur juxta priorem sententiam, ut recte Laym. dicendum matrimonium inter infideles contractum ex errore conditionis servilis irritum esse, & posse deceptum, dum errorem cognovit, ad alias nuptias transire. Contrarium vero dicendum, si solo jure ecclesiastico irritarentur illa matrimonia, utpote cui infideles non subjecti. Pirh. *loc. cit. num.* 9.

QUÆSTIO CXXIX.

Cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse vel ignoratam, ut matrimonium contractum inter servum, & liberam validum vel irritum declaretur.

RESP. Probabilius videri id onus incumbere mancipio. Sanch *lib. 7. d.* 19. *num.* 8. Gutt. *cap.* 90. *num.* 14. Castrop. *num.* 8. Pirh. *loc. cit. num.* 13. cum Abb. *in cap. fin. de conjug. servor. num.* 6. Jo. And. *ibid. num.* 3. Butrio *nu.* 6. *&c.* contra Henriq. *l.* 11. *de matrim. cap.* 10. *num* 5. Ratio est, quod cum jure ipso irritum sit tale matrimonium ob inæqualitatem contrahentium, ut dictum, allegans hanc inæqualitatem, habeat suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, a quo dimoveri nequit, nisi probetur, libere & cum scientia dictæ inæqualitatis contraxisse. Ad hæc scientia alieni facti nunquam præsumitur, sed potius ignorantia. *Reg. præsumitur ignorantia de reg. jur. in 6. L. verius ff. de probat.* Mascard. *concl.* 1214. *numer.* 5. adeoque cum præsumptio ignorantiæ servitutis stet pro libero (nisi forte tempore contractus fuisset in loco, in quo servitus conjugis omnibus nota) mancipio incumbit probatio scientiæ; ita fere Castrop. Sed neque semper allaganti ignorantiam incumbit probatio, ut Mascard. *de probat. vol. 2. concl.* 279. sed tantum, ubi illa ignorantia non præsumitur.

QUÆSTIO CXXX.

An cessante hoc errore servilis conditionis, sive si liber sciens servam cum ea contrahat; vel etiam dum liber contrahit cum libera, quam putat esse servam, valeat matrimonium.

1. RESP. Ad primum: esse hoc matrimonium validum non minus, quam cum servus cum serva contrahit; quia cessat deceptio facta libero, & præsumptio consensus involuntarii, ob quæ matrimonium liberi cum serva irritatur. Laym. *num.* 3. Castrop. *num.* 9. Sanch. *lib. 7. d.* 19. *n.* 13. juxta *cap. 2. de conjug. servor.* Unde si qui textus contrarium habere videantur, intelligendi, supposito errore, seu ignorantia dictæ conditionis; quin & addit Castrop. cum Sanch. *n.* 14. & Gutt. *n.* 14. nullum committi peccatum contrahendo cum serva; quia id nullibi prohibetur, tametsi fiat irregularis arg. textus in *cap. si quis viduam dist.* 34.

2. Resp. ad secundam: pari modo valere matrimonium in eo casu; error siquidem conditionis servilis tunc tantum vitiat matrimonium, quando per illum redditur deterior conditio contrahentis, uti fit, cum quis contrahit cum serva putans esse liberam; non vero dum contrahit cum libera, quam putat esse servam; unde etiam, dum servus contrahit cum ancilla, quam putat esse liberam, valet matrimonium; cum conditio servi contrahentis non fiat per hoc deterior; quia contrahit cum æquali seu suæ conditionis; ita Pirh. *l. cit. num.* 6. cum Sanch. *loc. cit. n.* 23. & aliis.

De cæteris impedimentis matrimonii dirimentibus agitur in sequentibus specialibus titulis hujus *Lib.* 4 ad quos quoque commodius referuntur impedimenta dirimentia cætera, quæ propriis careant titulis, & hic omissa, puta impedimentum ætatis *ad tit.* 2. impedimentum criminis *ad tit.* 7. impedimentum ligaminis *ad tit.* 21.

TITULUS SECUNDUS.

De Desponsatione impuberum.

QUÆSTIO CXXXI.

An & qualiter impuberes contrahere possint sponsalia.

RESP. Sponsalia contracta inter impuberes (quales sunt mares ante annum 14. ætatis, fœminæ ante annum 12. *l. fin. c. quomodo tutor. esse desin.*) ante annum septimum completum sunt Jure canonico invalida. Secus si contrahantur ab iis post annum septimum, eo quod eo tempore, & non ante præsumatur discretio, *c. literas c. accessit c. ad dissolvendum h. t.* Quod si tamen inter septennes, adeoque habentes ætatem a jure requisitam unus necdum discretionem seu usum rationis adeptus esset, contra quod alias regulariter accidit, adeoque præsumitur, sponsalia adhuc erunt nulla. Quod ipsum vult *l. in sponsalibus ff. de sponsal.* dum dicit; *in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis*; nimirum, quod in matrimoniis semper sufficiat ætas in jure præscripta; in sponsalibus autem non semper; cum sæpe post septennium completum deest requisita discretio & usus rationis. Sanch. *loc. cit. d. 16. num. 3.* Gutt. *de matr. cap. 2. n. 3.* Castrop. *p. 6. n. 3.* Pirh. *h. t. num. 2.* De cætero, cur jus canonicum eandem in viris ac fœminis requisiverit septennii ætatem ad contrahenda sponsalia, cum tamen requisiverit diversam ad contrahendum matrimonium, & est ratio, quod ad sponsalia sufficiat usus rationis, qui eodem tempore, nempe post septennium advenire solet viris ac fœminis; ad matrimonium vero requiritur potentia generandi, quæ tardius in viris reperitur. Pirhing *loc. cit.* ex Sanch. *loc. cit.*

QUÆSTIO CXXXII.

Num ad hoc, ut valida sint sponsalia impuberum, necesse sit septennium esse completum mathematicè seu physicè, ita ut nulla dies desit; an vero sufficiat esse completum moraliter.

1\. RESP. Posterius non improbabiliter doceri a Gutt. *loc. cit. numer. 7. & 8.* Vivald. *in Candel. Aur. p. 1. de sponsal. cap. 2. n. 15.* & alii apud Castrop. *loc. cit. n. 4.* Fundamentum eorum est, quod id, quod parum distat, nihil distare videtur. Aristot. *2. physicor. & l. penult. ff. de milit. testam.* & quod jura requirantia septennium fundentur in præsumptione usus rationis accedentis illo tempore; præsumptio autem ista cessare nequeat ob defectum duorum vel trium dierum. Quot vero dierum defectus morale illud complementum impediat inter fautores hujus sententiæ non convenit. Jo. And. *in cap. literas h. t. n. 2.* Vega *l. 6. sum. cas.* 101. statuunt duos vel tres dies. Rodriq. 1. *tit. sum. cap. 244. n. 2.* unam hebdomadam. Sotus *in 4. d. 27. q. 2. art. 2. ad 3.* Vivald. *loc. cit.* ulterius extendunt. Gutt. *loc. cit.* affirmat etiam medii anni defectum non impedire, quo minus septennium censeatur completum.

2\. Prius tenent probabilius Sanch. *cit. d. 16. numer. 4.* Ponc. *lib. 12. c. 5. n. 3.* ConincK *d. 21. dub. 5. n. 51.* quos citat & sequitor Castrop. *n. 5.* Fundamentum horum AA. est, quod quoties a jure designatur certum tempus, illud compleri debeat physice, ita ut nequidem unus dies deficere debeat, ut videre est in professione religiosa, ad cujus valorem Trident. *sess. 25. cap. 15. de regular.* exigit annum 16. completum, in presbyteratu, ad cujus licitam collationem exigit 24. annos completos; ne alias liberum sit cuilibet tempus septennii restringere vel ampliare, quod jura præscribentia certum tempus vitare intendunt. Plures nihilominus inter hos AA. ut Ponc *loc. c. num. 5.* Con. *loc. cit.* Pirh. *num. 3.* Sanch *d. 26. n. 2. & 4.* Covar. *l. c. p. 1. cap. 2. n. 2. &c.* putant non obstare, diem ultimum septenni completum non esse, modo cœptus sit; eo quod favore matrimonii dies cœptus ex juris dispositione pro completo habeatur; arg. *l. qua ætate ff. de testam.* ubi favore testamenti permittitur, ut testamentum, quod alias condi nequit ab eo, qui annum 14. *non* complevit, condi ab eo possit, qui ultimum diem anni 14. inchoavit; quod tamen Castrop. *loc. cit. num. 6.* ait spectato rigore juris non subsistere; eo quod tempus a jure determinatum currat a momento ad momentum; & confirmat idipsum exemplo religiosæ professionis, in qua dies inceptus non habetur pro completo, ut ipse Sanchez *lib. 2. de matrimon. d. 24. num. 22.* Quo ad *l. qua ætate*, ait esse specialem illam dispositionem, quæ ad alios casus extendi non debeat, præsertim cum non sit eadem ratio, dum testamentum testatori favorabile est, & nullatenus onerosum; sponsalia autem, sicut ac professio, partim sint favorabilia partim onerosa.

QUÆSTIO CXXXIII.

An saltem valeant sponsalia contracta ante septennium, dum constat contrahentes pollere perfecto usu rationis.

RESP. Non convenire quoque in hoc AA. Affirmant Con. Ponc. *ll. cit.* Covar. *l. c. n. 1.* Sanch. *d. 16. n. 9.* Rebell. *de oblig. just. l. 4. q. 5.* Fundamentum illorum est, quod ideo præscribatur septennium; quia ante illud non præsumitur adesse usus perfectus rationis; adeoque cessante hic & nunc illa præsumptione per certitudinem de usu rationis tanquam fine ac fundamento hujus legis, cesset lex hæc requirens septennium. Unde & dixit J.C. in *l. in sponsalibus ff. de sponsal.* ad sponsalia satis esse, quod sponsi, quid agant, intelligant. Confirmantque hoc ipsum exemplo matrimonii, pro quo contrahendo, esto, a jure requisitus sit in fœminis 12. annus completus, in maribus 14. si tamen malitia, hoc est potentia generandi ante illam ætatem alicui adveniat, valide contrahat matrimonium; *c. de illis il 2. h. t.* quia in eo cessat ratio, ob quam illa ætas 12. & 14. annorum præscripta. Negant e contra Castrop. *l. c. n. 8.* & quos citat Abb. *in c. juvenis n. 5. & in c. germ. n. 6. h. t.* Angel. *v. sponsalia num. 5.* Marian Socin. *consil. 3. vol. 1.* Rationes illius sunt, quod si sententia affirmativa vera, jura statuere & dicere non debuissent, sponsalia ante septennium contracta esse nulla, sed præsumi debere esse nulla, quamdiu usus rationis perfectus non elucescit. Item frustra septennium hoc a jure præscriptum esse, si solus usus rationis spectetur; quia stante usu rationis ante septennium valebunt; illo vero deficiente etiam post septennium non valebunt. Quod autem matrimonium contractum ante præscriptam ætatem, malitia supplente ætatem, non valeat, id sit specialiter decisum a jure; quale cum nihil disponat vel excipiat circa sponsalia, hæc exceptio sine fundamento trahatur ad sponsalia.

QUÆSTIO CXXXIV.

An & qualiter peccent impuberes contrahendo sponsalia de futuro ante septennium vel ante perfectum usum rationis.

RESP. Nullum, aut certe levissimum committi ab iis peccatum. Sanch. *lib. 1. d. 17. num. 4.* Gutt. *cit. cap. 2. nu. 14.* Ponc. *lib. 12. c. 5. num. 4.* Coninck *dub. 21. dub. 5. in fine*; quos citat & sequitur Castrop. *num. 15.* contra Nav. *in man. cap. 22. num. 12.* Sylv. *v. matrimonium 5. num. 6.* Rosell. Pet. Ledesm. &c. docentes peccare graviter contrahentes ante legitimam ætatem, si exinde sponsalia sint invalida; imprimis enim si contrahant ante perfectum usum rationis, patet, non committi peccatum mortale; cum contrahentes ex eodem capite non sint capaces culpæ mortalis. Si vero pollentes perfecto usu rationis contrahant ante septennium, secundum sententiam probabilem sunt sponsalia valida, ac proinde non peccant. Si tamen sint invalida, adhuc non peccant graviter; nulla enim irrogatur irreverentia Sacramento; cum sponsalia non sint sacramentum; in nullius etiam id procedit præjudicium; cum neuter contrahentium vi illorum obligetur; ad summum itaque tanquam actus otiosus, & inutilis erit peccatum veniale. Neque his obstat *cap. 2. h. tit.* ubi dicitur; *Districtius inhibemus, ne aliquis, quorum uterque vel alter ad ætatem a Canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, nisi forte urgentissima necessitate aliqua interveniente*: loquitur enim de matrimonio, non de sponsalibus,

ut

ut colligitur ex verbo illo *conjungantur*, quod conjunctionem matrimonialem denotat; sponsalia siquidem non sunt conjunctio sponsorum, sed conjunctionis promissio, ita Castrop. *cit, num.* 11.

QUÆSTIO CXXXV.

An & qualiter peccent impuberes contrahendo sponsalia de præsente seu matrimonium.

RESp. Impuberes contrahentes matrimonium per verba de præsente, malitia non supplente ætatem, peccare mortaliter negant Sanch. *lib.* 1. *d.* 57. *num.* 6. Ponc. *l.* 52. *cap.* 5. *num.* 4. eo quod cum ille contractus non sit matrimonium, sed tantum habeat rationem sponsalium, nulla fiat irreverentia Sacramento. Econtra si id fiat sine urgentissima causa esse peccatum grave, censet Castrop. *cit. part* 6. *num.* 13. eo quod manifeste id prohibeatur, *cap.* 2. *h. t.* quod loquitur de conjunctione matrimoniali, non vero de conjunctione per copulam, in quam conari a talibus non posse sine peccato gravi, admittit Sanch. Item quod tales tametsi sola sponsalia contrahant, quantum tamen est in ipsis, matrimonium, ad quod contrahendum sunt impediti, contrahere intendant; attentare autem efficere Sacramentum nullum, gravis sit irreverentia irrogata religioni. Textus vero in contrarium adduci soliti, si bene expendantur, non tam talem contractum matrimonialem permittant, quam solum factum narrent, declarentque matrimonium non esse, sed sponsalia, & nullatenus affirment aut indicent, talem contrahendi modum esse licitum, quod ipsum tamen si indicarent, explicandum esse, ait Castrop. quod id liceret stante urgentissima causa ab Ordinario approbanda (utpote quæ irreverentiam illam, quæ est in contrahendo matrimonio forte nullo excusat,) & habita probabilitate de aptitudine talium impuberum ad generandum, qua seclusa, nulla esse potest causa exigens contractum per verba de præsente, vel etiam honestans conamen illud in copulam, uti illud permitti posse ex urgentissima causa, dum dubium est de valore matrimonii, uti est, dum dubitatur de potentia generativa, docet Sanch. *loc. cit.*

QUÆSTIO CXXXVI.

An & qualiter sponsalia contracta ante septennium eo advenient ratificentur.

RESp. Ratificantur ex mutua cohabitatione, Castrop. *loc. cit. num.* 11 juxta *cap. ult. h. t. in* 6. deficiente vero illa cohabitatione, ratificari debent verbo vel facto, quibus se tanquam sponsos gerant. Ad hanc tamen ratificationem requiritur, ut ipsi sponsi sciant sponsalia ante septennium nulla esse, & velint ea rata habere; siquidem stante ignorantia ratificatio locum non habet. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *lib.* 1. *d.* 16. *n.* 8. & 9. Gutt. *de matr. cap.* 2. *n.* 13. Ponc. *loc. cit. cap.* 9. *n.* 5.

QUÆSTIO CXXXVII.

Quæ ætas requiratur ad sponsalia de præsente, seu ad matrimonium valide ac licite contrahendum.

1. RESp. primo: Jure naturæ nulla determinata ætas requiritur ad hoc, sed ea est sufficiens, in qua perfectus usus rationis adest; ea siquidem sufficit, ut contrahens se obligare possit ad copulam media potentia successu temporis habendam. Sanch. *lib.* 7. *d.* 104. *num.* 11. Castrop. *de sponsal. d.* 4. *p.* 14. §. 4. *num.* 1. Laym. *loc. cit. tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 12. *num.* 1. cum communi.

2. Resp. secundo: Ætas jure ecclesiastico seu secundum Canones, uti & secundum leges, est pubertas, eaque completa, nimirum in masculo 14. in fœmina 12. annorum completorum, ut constat ex *cap. ubi non est*, *cap. puberes*, *cap. continebatur*, *cap. attestationes h. t. l. minorum ff. de ritu nupt.* Covar. *in epitom. l.* 4. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. Fagnan. *in cap.* 2. *h. t.* ubi etiam *num.* 15. rationem dat, quare conjunctio matrimonialis ante dictos annos a Canonibus ita prohibeatur, nimirum, quod cum minores apti sunt ad matrimonium, obligantur ex contractu matrimoniali; plerumque autem incertum sit, num sint apti supplente nimirum malitia ætatem, idque ex habitu corporis aliisve signis difficulter cognosci valeat, hinc frequenter fiat, ut alter conjugum pœnitentia ductus prætextu invaliditatis resiliat a matrimonio, & cum alia contrahat. Porro hanc ætatem debere esse completam mathematice non secus ac ætas ad professionem & sacros Ordines requisita; eo quod quoties jus ætatem alicui actui præscribit, ea integra esse debeat, & quod in iis, quæ a jure sunt præscripta, regula illa: *quod parum distat &c.* locum non habeat, sed solum in iis, quæ ab humano pendent arbitrio, tenent Sanch. *loc. cit. in princ.* Ponc. *lib.* 7. *c.* 65. *nu* 1. Castrop. *l. c.* contra Rebell. *l.* 3. *q.* 16. *sect.* 2. & alios censentes, sufficere esse completam moraliter, v. g. 10. vel 20. diebus deficientibus.

Limitatur tamen responsio ita, ut proximi pubertati, discretione & potentia coeundi pollentes, valide & licite, tam in foro externo quam conscientiæ contrahere possint matrimonium. Castrop *loc. cit. n* 2. Sanch. *n.* 21. Ponc. *l. c.* Covar. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 35. juxta *cap. continebatur & c. de illis h. t.* siquidem in matrimonio contrahendo non debet spectari tempus annorum, sed an contrahentes sint ejus discretionis, ut se obligare, generare, concipere possint. Pirh. *l. c.* Gl. *in c. puberes h. t.* Talibus autem contrahentibus matrimonium incumbit onus probandi, se habuisse tempore contractus dictas qualitates, utpote quæ ante pubertatem non præsumuntur, nimirum se matrimonii onera recte percepisse (hoc enim venit nomine discretionis & prudentiæ, cujus fit mentio *c. fin. h. t.*) ac insuper se habuisse potentiam illam (quæ probatur per copulam, cum seminis effusione per aliqua signa judicio Medicorum examinata) alias matrimonium illorum declarandum nullum. Porro proximi pubertati dicuntur secundum aliquos, quibus duo vel tres anni deficiunt, secundum alios, quibus desunt 6. menses, secundum alios, quibus deest annus; quod ultimum verius censet Castrop. *l. c. n.* 3. Alii id Judicis arbitrio relinquendum, ut Corrad. *lib.* 4. *dispens. Apost. c.* 3. *a n.* 2. Arg. *l.* 1. *ff. de jure deliberandi*. Et quamvis aliqui pubertatem non ex annis æstimant, illumque masculum puberem dicant, qui annum 14. implevit, etsi tardius pubescat; certum tamen esse ait Pirh. *loc. cit.* illum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest; unde alia est pubertas naturalis, alia legalis.

QUÆSTIO CXXXVIII.

An, quando & quale peccatum committant, qui sponsalia de præsente seu matrimonium contrahunt ante pubertatem.

RESp. ante legitimam ætatem seu pubertatem contrahere matrimonium, esse peccatum, negat Sanch. *lib.* 1. *d.* 17. & *lib* 7. *d.* 104. eo quod istiusmodi matrimonia impuberum non valeant in vi matrimonii, sed tantum in vi sponsalium; contrahere autem sponsalia ante ætatem determinatam a jure matrimonio non sit peccatum. Textus vero, *cap.* 2. *h. tit.* districtius inhibens, ne aliqui ante ætatem determinatam conjungantur intelligendus est non de conjunctione per consensum conjugalem, sed per carnalem copulationem; quam tamen interpretationem hujus textus non subsistere, patet ex eo, quod Papa ibi, dicat, conjunctionem illam concedi non posse nisi ex urgentissima causa, siquidem conjunctio per copulam carnalem, ne quidem ex urgentissima causa concedi potest. Verum contrarium, nimirum, ubi ignoratur (idem est, ubi de hoc dubitatur, & a fortiore, ubi scitur contrarium) malitiam superare ætatem, contrahere matrimonium esse peccatum mortale; quia tales attentant inire statum ab Ecclesia reprobatum, & districte prohibitum, tradunt Rebellus *lib.* 4. *quæst.* 5. Ponc. *libr.* 7. *cap.* 65. *num.* 3. Castrop. *num.* 4. Pirh *loc. cit.* Robert. Konig *h. t. n.* 3. qui etiam vult committi grave sacrilegium non secus; ac si adulti cum impedimento dirimente contraherent, vel ac si minister in aliis Sacramentis committeret talem defectum, ex quo Sacramentum redderetur invalidum; neque obstare ait, ejusmodi matrimonia habere duntaxat rationem sponsalium; cum hoc ipsum sit sacrilegium, usurpare nimirum materiam & formam Sacramenti; imo intendere Sacramentum perficere in talibus circumstantiis, ubi valere non potest ut matrimonium & Sacramentum, sed tantum, ut sponsalia, quæ non sunt Sacramentum. Verum hæc ratio non usque adeo placet; quia tunc irrogatur irreverentia Sacramento, quando quis profert formam Sacramentalem super materia indebita; non vero quando ponit aliqua, quæ neque forma neque materia sunt Sacramenti, qualis est in præsente contractus irritus, quem proinde ponens non committit sacrilegium irrogando irreverentiam Sacramento, ut patet in contractu matrimoniali metu extorto, & hinc irrito, etiamsi ponatur animo se obligandi: De cætero hic notandum, aliud esse, ignorare malitiam non superare ætatem, aliud ignorare legem inhibentem ne contrahatur ante pubertatem, nisi ubi adest dicta malitia, in

quo secundo casu per accidens dicta ignorantia legis excusabit a peccato; quod autem scientes nullitatem talis matrimonii nequeant efficaciter intendere matrimonium vel Sacramentum, non impedit, quo minus illud attentare possint, ac ita peccent.

QUÆSTIO CXXXIX.

An & quando Episcopus possit dispensare cum impuberibus, ut contrahere possint matrimonium.

RESP. Dum adest urgentissima causa, posse Ordinarium dispensare cum impuberibus habentibus usum rationis (intellige ad obligandum sese) ut matrimonium valide & licite contrahant, ait Castrop. *num.* 4. Sanch. *lib. 7. d.* 104. *numer.* 9. Hurtad. *d.* 22. *diff.* 12. *in fine*. Laym. *loc. citat.* Limitat hoc ipsum aliquantum Pirh. *numer.* 33. nimirum ut possit id ipsum Episcopus, dum adest justa causa (cujus cognitio ad ipsum quoque spectat) quando impuberes sunt prope legitimam ætatem seu pubertatem, ut dubium sit, an malitia superet ætatem, valeatque tunc talis dispensatio pro utroque foro; siquidem, ut ait Barbos. *ad cap. 2. h. t. num. 5. & de potest. Episc. alleg.* 35. *num.* 20. cum in *cit. cap.* 2. Pontifex dispensationem sibi non reservaverit, tacite eam Episcopis concessit.

QUÆSTIO CXL.

An pubertate obtenta, necdum tamen obtenta potentia coeundi seu generandi valeat matrimonium.

1. RESP. Esse invalidum matrimonium tale, eo quod dum contrahens ex defectu ætatis non habet potentiam generandi, non videtur habere ætatem requisitam ad matrimonium (intellige ad valorem illius) tenent quidam cum Gloss. *in cap. impuberes h.* 1. *v. tardissime*. Econtra valere illud, modo speretur successu temporis dictam potentiam habendam, probabilius affirmant Covar. *loc. cit. num.* 2. Sylv. *v. matrimonium* 5. *quæst.* 7. Mascard. *de probat. concl.* 889. *num.* 10. Sanch. *lib.* 7. *d.* 104. *num.* 5. Gutt. *cap.* 117. *num.* 1. Castrup. *nu.* 5. Pirh. *num.* 35. Layman *loc. cit.* siquidem dum adest legitima ætas, & de nullo impedimento perpetuo constat, tenet matrimonium, & certe alias sequeretur, quod impotens ad copulam ob infirmitatem corporis non posset contrahere matrimonium, & non dari triennium ad experiendum, utrum impotentia illa sit temporalis an perpetua, sed continuo dissolvendum tale matrimonium, ut Castrop. textus vero *cap. puberes* postulat hanc potentiam ad valorem matrimonii in contrahentibus ante annos pubertatis, non vero in contrahentibus completis istis annis. Porro tempus exspectandum ad experiundum, utrum impotentia sit perpetua, & ante quod dissolutio matrimonii peti non potest, est plena pubertas, nempe in mare annus 18. juxta *l. abrogato ff. de adoption. & §. minorem Instit. eod. in fœmina* 14. *l. mela ff. de alimentis legat.* sentiunt Covar. *loc. cit.* Sanch. *num.* 18. Gutt. *num.* 1. Ponc. *numer.* 1. Castrop. *num.* 7. Layman *loc. cit. num.* 2. Pirh. *cit. num.* 35. eo quod cum complexiones hominum sint diversæ, æquum non sit intentari dissolutionem matrimonii ob impotentiam, quousque conjux sit in ea ætate, qua censetur naturæ perfectum robur acquisivisse; videtur quoque Layman sentire, ultra dictos annos adhuc exspectandum triennium; dum postquam dixerat, exspectandam plenam pubertatem, quæ est 18. annorum in mare, 14. in fœmina; addit: & ex eo tempore conceditur spatium triennii ad experiendum, utrum impotentia sit perpetua nec ne, sicut docent Con. *d.* 31. *dub.* 7. *num.* 18. & Sanch. ex probabiliore. Hæc ipsa tamen limitant hi AA. nimirum; nisi ante attactos annos appareret impotentiam non ex debili ætate, sed ex frigiditate aliove impedimento provenire.

2. Illud hic notandum, & inferendum ex dictis, & cum Layman *loc. cit. num.* 3. quod si mas ante annum 14. fœmina ante 12. in carnis delicto, puta adulterio, incestu, Sodomia deprehendantur, præsumptionem juris ac de jure esse, quod in ea ætate delictum non perfecerint, uti constat *ex l. si minor. ff. ad Leg. Jul. de Adult. & cap.* 1. *de delictis puer.* si tamen certis indiciis constet, quod malitia ætatem suppleat, puniri poterit, mitius tamen, quam sit ordinaria pœna, de quo Molin. *tract.* 3. *d.* 36. *numer.* 5. Notandum item & inferendum, per malitiam hic intelligi, tum vigorem naturæ seu potentiam coeundi & generandi, ut Sylv. *v. matrimonium* 5. *quæst.* 2. Pirh. *h. tit. num.* 37. tum etiam prudentiam, ut vocatur *in cap. fin. h. t.* idest, discretionem & judicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem, ejusque perpetuum & indissolubile vinculum; atque hæc duo, nempe dictam discretionem & potentiam copulative requiri ad valorem matrimonii ante legitimam ætatem contracti. Abb. *in cap. continebatur h. t. num.* 4. Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO CXLI.

An & qualiter sponsalia impuberum de futuro solvantur mutuo consensu eorum.

1. RESP. Primo: impuberes septennio majores (nam, cum septennio minores, saltem ubi perfecto usu rationis non polleat, contrahere nequeant sponsalia, de iis cessat quæst.) contrahentes sponsalia resilire ab eis seu dissolvere ea etiam mutuo consensu nequeunt ante adeptam pubertatem, ne propter ætatis inconstantiam sæpius contrahant, & iterum resiliant juxta expressum textum *cap. de illis h. t.* Nacti tamen pubertatem possunt id non tantum mutuo consensu; sed etiam quilibet eorum, non exspectato alterius consensu potest resilire, jure sic statuente, ne cogantur approbare & firmiter observare, quod in tenera ætate immaturo judicio statuerunt. Proceditque id ipsum tam in foro conscientiæ quam externo, jure consulere volente immaturo, & mutabili puerorum judicio, ne tam gravi vinculo indissolubiliter, & irrevocabiliter obligari possent; adeoque, ut præsumitur, volente auferre omnem obligationem etiam in foro conscientiæ, non secus ac puerorum vota, etsi valida, possunt sola patris vel tutoris voluntate irritari. Pirbing *loc. cit. num.* 7. cum Sanch. *cit. d.* 51. *numer.* 10. Procedit item, etiamsi sponsalia juramento firmata fuerint; eo quod juramentum sequatur naturam actus, cui adhæret, nisi a jure contrarium statutum fuerit, a jure autem nullibi dispositum, quod juramentum confirmet sponsalia impuberum. His non obstante *cap. ex litteris de sponsal.* ubi textus inquit, eos impuberes, quia sponsalia contraxerunt, & juramento firmarunt, cogendos esse ad contrahendum matrimonium, siquidem impuberes, de quibus ille textus, erant pubertati proximi, ita ut, non tantum sponsalia firma, sed & matrimonium de præsente contrahere possent. Ita docent Castrop. *loc. cit. num.* 9. citatis Ponc. *de matrimon. cap.* 9. *num.* 8. Henriq. *cap.* 2. *de sponsal. num.* 9. contra Sanch. *cit. d.* 51. *num.* 23. & 24. Gutt. *cap.* 29. *num* 12. Covar. *in 4. decret. part.* 1. *cap.* 5. quamvis & hi id non admittant nisi in casu, ubi impuberes pubertati proximi contraxerit sponsalia.

2. Resp. secundo: Resilire poterit impuberum quilibet, qui prior pubertatem adeptus, non exspectata alterius pubertate, cum juxta *cap. cum contingat de off. Jud. delegat.* frustra exspectetur eventus, cujus nullus est effectus. Castrop. *cit. part.* 17. *num.* 5. Pirh. *h. t. num.* 6. cum Sanch. *lib.* 1. *de sponsal. d.* 51. *a num.* 6. Debebit tamen statim ac adeptus pubertatem reclamare seu a sponsalibus resilire, alioquin postmodum non poterit; quia eo ipso, quod non reclamaverit, censetur per tacitam consensionem ita firmasse sponsalia, ac si ea post pubertatem contraxisset. Sanch. *loc. cit. num.* 14. Castrop. *cit. num.* 5. Ponc. *cap.* 9. *num.* 4. Gutt. *loc. cit. num.* 3. Arg. *cit. cap. de illis*; statim autem reclamare censetur, si intra triduum, postquam agnovit se attigisse pubertatem, reclamet; *arg. l. fin. C. de jure advocati*, ibi; *in continente*, & *l. fin. C. de Judæis*: ibi, *illico*, id est, intra triduum, ut *ibi* Bald. Mandos. *de monitoriis quæst.* 31. *num.* 8. Sanch. Gutt. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Unde jam opus non est, ut factus pubes, sponsalia ratificet; quia eo ipso, quod non reclamet, censetur in priore voluntate persistere. Pirh. *loc. cit. num.* 7. Sanch. *loc. cit. d.* 15. quod vero *ibidem num.* 16. addit, & ex eo Pirh. nimirum si impubes ante pubertatem resiliat a sponsalibus, & postea non mutet eum dissensum; quia non amplius recordatur, post pubertatem manere sponsalia dissoluta, id merito vocatur in dubium; cum enim dissensus ille seu resilientia impuberis sit nulla, jure illam irritante, perseverantia habitualis in illo dissensu etiam post pubertatem nihil operatur, sed manet is in vigore, quo ante pubertatem contracta sponsalia, & vi illius persistunt sponsalia, nisi retractentur & solvantur alio dissensu post pubertatem habito expresse vel tacite, loco talis taciti consensus sufficiente non reclamatione jure sic statuente. Porro sufficere pro foro conscientiæ dissensum hunc seu reclamationem fieri interius in animo, etsi extrinsecus non manifestetur, tradunt Sanch. *loc. cit. num.* 16. Gutt. *num.* 7. Econtra sicut ad constituenda, sic & ad dissolvenda sponsalia requiri extrinsecam consensus vel dissensus manifestationem; docent Castrop. *loc. cit.* Ponc. *numer.* 5. Si quamvis expediat manifestationem illam dissensus fieri coram Episcopo ejusve Vicario, his tamen deficientibus, sufficere

fieri

fieri coram honestis personis, tradunt Sanch. *num.* 17. Gutt. *num.* 7. Castrop. *num.* 5.

3. Resp. tertio: pubes, qui contraxit sponsalia cum impubere, resilire non potest, sed tenetur exspectare pubertatem alterius, qui eam adeptus, si non resilierit, uti potest, firma persistunt sponsalia. Sanch. *cit. d.* 51. *numer.* 10. Castrop. *loc. cit. num.* 6. Gutt. *cap.* 29. *numer.* 8. cum communi juxta expressum textum, *cap. de illis h. t.* & *ibi* DD. potest siquidem contractus quandoque claudicare, id est, ex parte unius esse retractabilis, & non ex parte alterius, v. g. in favorem minoris, dum hic cum majore contrahit, illi soli permissum resilire, *l. non eo minus*, *c. de procurat.*

4. Resp. quarto: Dum parentes pro filiis impuberibus contraxerunt sponsalia, (intellige valida, nimirum accedente consensu filiorum impuberum) filii impuberes resilire nequeunt, quousque puberes effecti. Sanch. *num.* 12. Gutt. *num.* 10. Castrop. *num.* 7. His non obstante textu *cap.* 1. *h. t.* ubi; *potest pater filium nondum adultum, cujus voluntas discerni non potest, cui vult, matrimonio tradere, & postquam filius pervenit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc implere*: oam intelligendum hoc de debito, non necessitatis, sed honestatis, ubi filius non habet justam causam reclamandi; Gloss. & Abb. *in cit. cap.* Castrop. *cit. numer.* 7. Et licet citatus textus non videatur facere differentiam inter filium impuberem & puberem; cum tam hic quam ille, ubi ex decentia non adest justa ratio in contrarium, debeat implere voluntatem patris, impubes tamen exspectare debet pubertatem, ante quam resilire nequit. Ex his infertur, dicta hucusque de dissolutione sponsalium contractorum ab impuberibus, habere pari modo locum, dum hi de præsente contraxerunt matrimonium, matrimonio hoc juris interpretatione non habente vim nisi sponsalium, adeoque ante adeptam pubertatem resilire nequeunt. Pirh. *loc. cit. num* 9. & 10. nisi tamen inter impuberes intercesserit copula vera & perfecta, quæ quandoque anticipat pubertatem (intellige annos alias communiter designatos pubertati) *cap. a nobis h. t.* per hanc enim inter illos consummatur matrimonium. Abb. *in cit. cap.* 3. Pirhing *cit. num.* 10.

TITULUS TERTIUS.

De clandestina desponsatione.

QUÆSTIO CXLII.

Sponsalia de futuro clandestine contracta num valeant & liceant.

1. RESp. ad primum; Sponsalia de futuro celebrata clam sine præsentia Parochi, & testium vel etiam cujuscunque alterius sunt valida, Sanch. *l.* 1. *d.* 13. Gutt. *de matrimon. cap.* 4. *a num.* 1. Ponc. *l.* 12. *cap.* 5. *nu.* 6. Castrop. *loc. cit. part.* 3. *num.* 15. Pirh. *ad tit. de sponsal. num.* 26. Barb. *ad Trid. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* contra Segur. & alios paucos apud Castrop. *loc. cit.* siquidem contractus istiusmodi sponsalitius irritus non est jure naturali, ut per se constat, neque ullo alio jure positivo; nam Trid. *loc. cit.* irritans contractum matrimonialem seu matrimonium sic contractum, & vel sic corrigens & derogans juri communi, vi cujus tale matrimonium valebat, nullam mentionem facit de sponsalibus; ergo ea dispositione omissa seu præterita, adeoque nullatenus cadentia sub illo decreto Tridentino irritante sponsalia de præsente clandestine celebrata relinquuntur dispositioni juris communis, vi cujus a fortiore valent sponsalia clandestina, cum etiam vi illius valeant, & valuerint matrimonia clandestina.

2. Resp. ad secundum: Neque etiam per se loquendo sponsalia clandestine celebrata sunt illicita. AA. cit. cum communi contra Sylv. Armill. Cajet. &c. apud Castrop. *loc. cit.* nullo enim jure nec antiquo nec novo sunt prohibita; quod autem ex clandestinis sponsalibus oriantur quando aliqua inconvenientia, non probat esse per se illicita, sed solum consultius esse, ut testes adhibeantur, etiam ad hoc, ut eis fides in foro externo adhibeatur, ad illud vero, quod obiici solet, nimirum, prohibito matrimonio, prohibentur quoque sponsalia: ergo prohibito matrimonio clandestino prohibentur quoque sponsalia clandestina, negatur sequela, nam licet prohibito absolute matrimonio quocunque demum modo illud contrahatur, prohibeantur quoque absolute sponsalia, utpote quæ via sunt ad matrimonium, & non contrahuntur nisi ratione matrimonii futuri, quod proinde, si illicitum, sponsalia forent promissio rei illicitæ, &, sic nulla; non tamen inde sequitur, quod prohibito non absolute matrimonio, sed solum ne tali modo, nimirum clam contrahatur, prohibeantur quoque sponsalia sic contrahi, cum sponsalia clandestina non sint via ad matrimonium clandestinum; non enim clandestine ea contrahentes promittunt sibi, aut obligant se ad matrimonium clam contrahendum, sed eo modo, quo permittit Ecclesia; adeoque sponsalia talia sunt promissio rei licitæ, & consequenter valida & licita. Textus quoque adduci soliti ex *l. oratio ff. de sponsat. l. si quis tutor ff. de ritu nupt.* eodem modo intelligendi de casu, in quo matrimonium prohibetur absolute, sive ut nullo modo contrahatur, vel quando est eadem ratio prohibitionis matrimonii & sponsalium, quæ eadem ratio non est in præsente, dum matrimonium clandestinum prohibetur ad vitandum concubinatum cum secunda uxore putatitia, ad quam quippe publice ductam cogebat Ecclesia inscia matrimonii prioris clam contracti, valide tamen, intellige, ante dictam prohibitionem, quod locum non habet in sponsalibus clandestinis, quibus non obstantibus, matrimonium subsequens cum alia est validum.

QUÆSTIO CXLIII.

Quænam matrimonia sint clandestina.
Item: *An & qualiter matrimonia contracta sine præsentia parochi & testium olim fuerint, & modo sint prohibita.*

RESp. matrimoniorum clandestinorum a jure reprobatorum, & punitorum tantum duæ sunt species; dum nimirum contrahuntur absque præsentia parochi & testium; vel dum contrahuntur sine præmissis denunciationibus; quorum priora dicuntur ab aliquibus clandestina simpliciter; alia clandestina secundum quid, & huic clandestinitati non obstat, etsi de cætero contrahantur in medio foro, & publica Ecclesia.

Ad 2. dub. Resp. 1. Fuerunt semper istiusmodi matrimonia ab Ecclesia graviter prohibita & illicita, ut patet ex multis Canonibus, præsertim ex *cap. nullus* 30. *quæst.* 5. ubi Hormisda Papa: *nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in domino*; & quidem sub gravi culpa, prout denotant verba Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *Ecclesia semper detestata est hæc matrimonia*. Castrop. *d.* 2. *part.* 13. *§.* 2. *numer.* 8. Pirhing *h.* 2. cum D. Thom. *in supplem.* 3. *part.* 45. *art.* 1. Oritur hæc illicitas solum ex præcepto Ecclesiæ, & non ex jure naturæ; licet enim ex ejusmodi contractu matrimoniali clandestino regulariter oriantur gravissima inconvenientia, puta scandala, occasiones peccandi &c. (quæ erat causa graviter prohibendi talia matrimonia) id tamen non est ex ratione ipsius contractus, sed ex pravo hominum affectu & malitia, quod non est sufficiens ad hoc, ut ipse contractus in se malus reddatur. Sicut, licet in ludo & portatione nocturna armorum plura damna soleant accidere, non tamen seclusa lege positiva, peccatum est ludere, aut noctu ferre arma, maxime, si bonus finis assistat. Unde jam etiam infideles clam contrahentes, dum ex tali contractu nullum damnum timetur, non peccant. Ita Castrop. *loc. cit.* citatis Cajet. *Tom.* 1. *opusc. tract.* 12. *de matrimon. quæst.* 2. Coninck *d.* 27. *dub.* 2. *numer.* 4. Soto &c. Quin etiam fideles ipsi ante Trident. contrahebant, & modo post illud in locis, in quibus non est receptum, licite adhuc contraherent clandestine, dum mala oritura, nisi clandestine contraheretur, præponderarent malis orituris, aut oriri solitis ex clandestinitate. Quippe leges hujusmodi affirmativæ non ita stricte obligant, quin licitum sit ab eis recedere ob urgentem necessitatem, aliamve justam causam, qualis est vitatio aliorum gravissimorum incommodorum. Pirh. *h. t. numer.* 2. citato Covar. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Hinc quinque casus recensentur a Tanner. *Tom.* 4. *d.* 8. *de matrimon. quæst.* 3. *dub.* 6. *num.* 113. nimirum: dum per matrimonium clandestinum periculum sobi-

tum

tum evadere possunt aliqui: dum per adhibitionem testium inique impedirentur a matrimonio, dum exspectando testes magnam opportunitatem contrahendi matrimonium essent amissuri: dum sine gravi damno palam contrahere nequeunt, v. g. si virgo constituta sub potestate tutoris, merito timeret, se tradendam viro pravo, vel alias indigno ab iniquo tutore: dum post contractum publice matrimonium, sed invalide ob impedimentum dirimens, obtenta dispensatione, recontrahitur denuo clam.

QUÆSTIO CXLIV.

An & qualiter matrimonia hæc clandestina olim & modo post Trident. sint irrita.

1. **R**Esp. primo: Fuerunt istiusmodi matrimonia semper valida, suntque modo in locis, in quibus Tridentinum non publicatum, seu non receptum, ut constat ex eo, quod Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. anathemate damnat eos, qui clandestina matrimonia vera ac rata esse negant, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit. Ratio etiam hujus est, quod præscindendo ab illa Ecclesiæ irritatione, in matrimonio clandestino inveniatur tota essentia contractus legitimi de præsente, & solum deficiat extrinseca illa, & accidentalis solennitas publicitatis.

2. Resp. secundo: Hodiedum jure novo Trident. *loc. cit.* hujusmodi matrimonia nulla, & irrita declarantur his verbis: *Qui aliter, quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum matrimonium omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsente decreto irritos facit & annullat.* Additque in fine; *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post 30. dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Ex quibus verbis patet, ex duplici capite vi hujus decreti matrimonia illa evadere nulla, & irrita. Primo directe, annullato per hoc decretum ipso contractu. Secundo indirecte inhabilitatis personis ad sic contrahendum. Castrop. *loc. cit.* §. 2. *num.* 2. Porro ratio movens Ecclesiam ad irritanda hujusmodi matrimonia fuit experientia, qua compertum per simplicem prohibitionem non satis occurri gravibus malis illis ex clandestinitate nascentibus. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. d.* 3. *num.* 5. Qualia mala erant, quod conjuges clandestini sæpius ab invicem recederent, aliaque conjugia publice inirent, in perpetuis adulteriis viverent, matrimonia cum impedimentis invalide contraherentur; magno fidei conjugalis, prolium, ac Sacramenti tum detrimento, tum contemptu, Ecclesia, quæ de occultis non judicat, factos tales contractus ignorante, ac propterea medelam debitam afferre non valente.

3. Atque ex his infertur primo, quod ubi decretum hoc Trid. promulgatum est, etiam ignorantes illud invincibiliter invalide contrahere matrimonium in absentia Parochi & testium; cum lex irritans actum obliget etiam ignorantes quo ad nullitatem actus, licet ignorantes non afficiat quo ad alias pœnas; cum ubi delictum nullum, ibi nulla pœna; & hæc irritatio non in pœnam contrahentium clandestine imponitur, sed in odium talis contractus, ut inconvenientia inde orta evitentur. Sanch. *lib.* 3. *d.* 17. *num.* 10. Castrop. *part.* 13. §. 8. *num.* 7. Pont. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 18. Infertur secundo; matrimonium etiam in mortis articulo, aut in quacunque necessitate contractum sine præsente Parocho, & testibus esse nullum; quia deest forma substantialis ad valorem matrimonii præscripta. Aliud foret, ubi lex est ecclesiastica aliqua, mere præceptiva præscribens solum, & inducens solennitatem extrinsecam, & accidentalem contractui. Sanch. *loc. cit. num.* 4. & 5. Pont. *num.* 3. ConincK *d.* 27. *dub.* 1. *num.* 11. Castrop. *loc. cit. num.* 9. ubi etiam, quod in hoc casu nulla admitti debeat epikeja; quod pluris præstet viam esse præclusam talibus conjugiis clandestinis; quam quod aliqui patiantur damnum ex matrimonio non contracto.

4. De cætero licet hoc decretum irritans, ut dictum, non extendat se ad matrimonia invalide ob impedimentum aliquod, dum ea postmodum sublato impedimento denuo clam contrahi possunt; non tamen procedit hæc limitatio, si impedimentum fuit publicum, & in foro externo, seu in facie Ecclesiæ notorium, vel si periculum sit, ne in facie Ecclesiæ aliquando innotescat; tunc enim necessarium est, ut tales sublato impedimento denuo contrahant coram Parocho, & testibus; quia cum constet illud in foro Ecclesiæ fuisse & esse nullum, testes, qui priori contractui adstiterunt, non fuerunt testes matrimonii validi, sed invalidi. Sanch. *cit.* §. 37. *num.* 10. & 11. Pirh. *loc. cit. n.* 8.

5. Resp. tertio: Quod autem Ecclesia potuerit irritare talia matrimonia, quia contractus sunt, inde conficitur, quod ideo Respublica civilis, & politica reddere potest contractus irritos subditorum suorum, v. gr. constitutione sua impedire, ut valida sit translatio bonorum facta a minore sine authoritate tutorum interposita, ipsasque personas eorum reddere ad contrahendum inhabiles, v. g. mulieres, ne sine licentia viri, minores & prodigos sine authoritate tutorum contractus celebrare possint; quia subduntur eis in ordine ad commune bonum, politicamque gubernationem; consequenter, cum minorem potestatem in Christi fideles in ordine ad gubernandum eos, prout eis communique bono expedire judicaverit, non habeat Ecclesia, poterit quoque hunc in finem contractus eorum irritare, eosque reddere hic & nunc inhabiles ad contrahendum, uti fecit irritando ultimas voluntates certa solennitate carentes, professionem emissam ante annum 16. ætatis, vel expletum novitiatum, reddendo consanguineos inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium. Et cur igitur non etiam contractum matrimonialem celebratum sine testibus reddere posset invalidum, & personas ad sic contrahendum valide inhabiles, cum licet matrimonium sit contractus civilis, sit tamen Ecclesiæ subjectus ob rationem Sacramenti ei annexam.

6. Resp. quarto: Potuit quoque Ecclesia irritare matrimonium clandestinum, in quantum Sacramentum erat, idque absque eo, quod materiam Sacramenti mutaverit, aut mutare potuerit. Tametsi enim Ecclesia mutare nequeat materiam, aut formam Sacramenti matrimonii a Christo institutam, efficiendo, ut quod prius erat materia legitima vel forma, sine sui mutatione jam non sit materia legitima & sufficiens, v. gr. ut panis & vinum non sit amplius materia Eucharistiæ; ut contractus legitimus non sit amplius materia matrimonii; hoc enim esset de se, & directe immutare essentiam Sacramenti; potest tamen immutare & destruere id, quod antea erat materia & forma sufficiens, nempe ipsum contractum reddere illegitimum & nullum, si non celebretur coram Parocho & testibus, & hac ratione efficere, ut non sit amplius materia & forma matrimonii; quippe cujus materia & forma erat contractus legitimus; quod non est nisi per accidens, & indirecte mutare materiam, seu potius impedire, ne constituat Sacramentum, non secus, ac si quis facere posset, ut hic panis non esset amplius panis, vel hoc vinum non esset amplius vinum usuale, infundendo tantum aquæ; vel etiam mutando significationem efficere, ut τὸ *corpus* non significaret amplius corpus organicum, sed lapidem, non nisi per accidens & indirecte mutaret materiam Eucharistiæ. Unde jam etiam sequitur, quod verba vel signa mutui consensus expressiva, quæ ante Trident. etiam clam seu absente Parocho, & testibus prolata constituebant Sacramenti matrimonii, modo post Tridentinum non constituant illud; quia jam non sunt expressiva consensus constituentis contractum legitimum, quod requiritur ad essentiam & valorem Sacramenti matrimonii, idque absque eo, quod verba aut signa illa moveantur formaliter, pergunt enim significare consensum internum sufficientem, sed tantum materialiter.

QUÆSTIO CXLV.

Quid dicendum quo ad valorem de matrimoniis, quæ celebrantur in loco, ubi receptum est Tridentinum, ab incolis locorum, in quibus non est receptum; & vice versa quæ celebrantur in loco, in quo non est receptum, ab incolis locorum, ubi est receptum.

1. **R**Esp. ad primum: Incolæ locorum, in quibus Tridentinum receptum non est, dum forte morantur vel transeunt loca, in quibus receptum est Tridentinum, ibidem invalide contrahunt matrimonium non adhibito Parocho & testibus. Sanch. *lib.* 3. *d.* 18. *num.* 26. Pont. *L.* 5. *cap.* 7. §. 6. *num.* 1. & *seq.* Castrop. *loc. cit. part.* 13. §. 8. *num.* 5. Pirh. *l. cit. num.* 15. cum communi. Quia quidquid sit de legibus aliis, peregrini & quilibet in materia contractuum, quo ad eorum solennitatem tenentur contrahere juxta legem & consuetudinem ibi receptam; quia ratione contractus sortiuntur forum juxta *L. ult. de foro compet.* & *L. si fundum ff. de eviction.* ita ut, si aliter ibi contrahant, contractus non subsistat; cum ea sit in unoquoque loco forma substantialis contractus, quæ pro illo præscribitur. Sanch. *loc. cit. numer.* 10. Castrop. Pont. Pirh. *LL. cit.*

2. Resp. ad secundum primo: Si incola loci, in quo receptum

ceptum est Tridentinum, excurrit ad locum, in quo illud receptum non est, ibique contrahat cum incola illius loci clam sine Parocho &c. valet matrimonium; cum enim contractus matrimonii sit individuus, regulatur secundum locum cujuslibet contrahentium; sicut etiam Parochus proprius sponsi est etiam proprius sponsæ, cum desponsati sunt ex diversis Parochiis. Engels *h. t. n.* 20.

3. Resp. ad secundum secundo: Dum uterque sponsorum incolæ loci, in quo receptum Tridentinum, transeunt ad locum, in quo illud non est receptum animo ibi figendi verum vel quasi domicilium, indubitate valet matrimonium ibi ab iis contractum sine Parocho; Sunt enim eo ipso incolæ talis loci, in quo non obligat Trident. Idem est, dum absque animo figendi ibi domicilium, aut diutius ibi commorandi negotiorum, vel alia de causa morantur, aut contrahunt sine Parocho & testibus, contractus siquidem, ut jam dictum, regulantur secundum leges loci, in quo celebrantur, Gail. *L.* 2. *observ.* 123. Peregrini etiam non obligantur legibus sui territorii, dum extra illud versantur. Nec obstat, quod Trident. inhabilitaverit ipsas personas ad contrahendum sine præscripta solennitate, eaque inhabilitatio ipsas personas comitari videatur. Nam decretum illud Trident. inhabilitans non utcunque afficit personas, sed tantum contrahentes in tali loco, ubi receptum illud decretum. Castrop. *loc. cit. num.* 4. & quod inhabilitatio comitetur personam velut umbra corpus, id solum procedit, ubi persona in individuo per sententiam Judicis est inhabilitata; secus, si inhabilitatio est generalis ex lege; cum tunc habeat naturam legis, ut non obliget, ubi lex recepta non est. Engels *loc. cit.* citans præter alios Barbos. *de offic. Episcop. part.* 2. *alleg.* 32. *num.* 153.

4. Resp. ad secundum tertio: Dum vero talis de industria & præciso animo contrahendi matrimonium clandestine, seu ut opus non sit contrahere coram Parocho & testibus; quia v. g. Titius post contracta, & non dissoluta rite sponsalia cum Caja cogitat ducere Bertam, adhuc valere matrimonium, sentiunt communius gravissimi AA. Sanch. *citat. d.* 18. *num.* 18. 28. *& seq.* Pirhing *num* 11. Castrop. *cit. num.* 4. citatis Rebell. *L.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 3. Coninck *d.* 27. *dub.* 5. *num.* 10. Gutt. *cap.* 61. *num.* 52. Gasp. Hurtad. *d.* 5. *de matrimon. diff.* 5. *num.* 15. Ratio præter adductam Resp. præced. sumitur ab aliis contractibus. Sic enim potest quis (nisi lex aliqua particularis obstet) proficisci ex loco proprii domicilii ad alium locum ex intentione (verb. gr. quia id sibi commodum & utile) celebrandi ibidem contractum, v. gr. venditionem juxta formam, & ejus valorem in eo loco præscriptum; cur non igitur etiam se quis conferre potest alio ad contrahendum ibi matrimonium juxta formam ad valide contrahendum illud ibidem præscriptam; cum nulla lex id vetet. Ad hæc non committitur fraus (quæ nulli patrocinari debet) ab eo, qui utitur jure suo juxta *reg. nullus ff. de reg. juris.* Hoc verum, peccare hujusmodi graviter, uti & ipsi incolæ talis loci, contrahendo clandestine. Unde & propterea etiam a Principibus sæcularibus Juris Ecclesiastici adjuvandi gratia puniri possunt. Sanch. *lib.* 3. *d.* 47. *numer.* 13. Engels *loc. cit.* Arg. *cap. excommunicamus de hæret. cap. decernimus de sent. excommun. in* 6. Quin & licet in hoc agant fraudulenter, dum ideo clandestine contrahunt, ut v. gr. relicta priore sponsa contrahere possint cum alia; non tamen peccant in hoc, aut agunt fraudulenter, quod intendant negligere, seu declinare formam Tridentini in eo loco, in quo ea non est necessaria ad valorem matrimonii. Pirh. *cit. num.* 11.

5. Quod huic sententiæ opponi solet, illud est; quod, ut habet Card. de Lugo *in resp. mor. lib.* 1. *dub.* 36. Barb. *de Paroch. cap.* 21. *num.* 26. Bossius *de contract. matrim. cap.* 1. §. 29. Congregat. Card. interrogante Archiepiscopo Coloniensi, consulta super validitate hujusmodi matrimoniorum responderit, se censere contrahi hac ratione invalide, saltem si cum fraude fiat. Hoc responsum eorum oblatum Papæ, per decretum Urbani VIII. 16. August. 1627. authoritate Apostolica approbatum & confirmatum sit. Item, quod idem responsum a Congregat. Card. testetur Rypæ *L.* 4. *consultat.* 6. uti & responsum pro invaliditate talium matrimoniorum a facultate Theologica Viennensi, ait Gobat. in *Theol. experim. tr.* 10. *num.* 467. Ad quæ responderi aliud non potest, quam legem illam declaratoriam ex eo nondum videri obtinere, tum quod necdum publicata sit authentice etiam in curia Principis; tum quod non constet, saltem morali certitudine, de tali publicatione, quod ad vim obtinendi robur apud fideles necessarium esse ait Krimer in *L.* 4 *decret. num.* 644. ex Carden. *in crisi Theol. ad sem. prohibitas ab Innoc. XI. dissert.* 1. *cap.* 51. *num.* 198. Quod si tamen dicta declaratio revera vim obtinet, pro ea facere videtur, quod in *L. hoc modo de condit. & demonstrat.* notanter constitutum sit, nimirum ut, si per fraudem præjudicetur legi Reipublicæ utili, ipso jure rescindatur, quod fraudandæ legis gratia factum est. Lex vero illa irritans Trident. tanta virorum præstantissimorum deliberatione concepta negari nequit utilissima, quæ revera fraudari videtur per talem ad loca illa recessum, & si id permittatur, validaque habeantur talia matrimonia, aperitur janua raptibus, adulteriis, priorum sponsalium injustis dissolutionibus, cum ingente sæpe parentum, aliorumque interesse habentium præjudicio; ac denique, quod jure suo uti dici non possit, qui legem defraudare conatur.

QUÆSTIO CXLVI.

Quid dicendum de matrimoniis celebratis in locis Hæreticorum & infidelium.

1. RESp. primo: Si in iis locis nunquam promulgatum est Trident. sine dubio valent matrimonia ibi a fidelibus, & Catholicis contracta sine Pastore & testibus; idque sive ibi commorentur permanenter, sive per modum transitus. Sanch. *cit. d.* 18. *num.* 35. Pirh. *num.* 12. constat ex dictis; quia Trident. decretum irritans matrimonia clandestina ligat solum ratione territorii & Parochiæ, ubi illud promulgatum & usu receptum.

2. Resp. secundo: Si vero in iis locis aliquando promulgatum, & receptum fuit Trident. & consuetudine contraria non abrogatum (dum enim consuetudine denuo abrogatum, tantundem est, ac si ibi nunquam promulgatum. Castrop. *num.* 3. Sanch. *d.* 18. *num.* 1. & alii juxta *cap.* 1. *de treuga & pace* (& ibi nulli sint Parochi, vel expulsi ab Hæreticis, aut licet sint, penitus ignorantur, aut tutus non est ad eos accessus, valere matrimonia ab iis celebrata sine Parocho & testibus; eo quod decretum illud Trident. ibidem sit inobservabile, adeoque ad ista matrimonia clandestina se non extendant, ne multa gravia incommoda inde oriantur, tenent Pirh. *cit. num.* 12. citatis Layman *L.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 40. *num.* 7. Tanner. *d.* 8. *de matrimon. capit.* 8. §. 4. & Zypæo *Jur. Pontif. l.* 4. *num.* 16. Ardekin. *de matrimon. cap.* 8. §. 4. Krimer. *num.* 647. Item Coninck *d.* 27. *dub.* 1. *num.* 12. allegans etiam pro hoc declarationem quandam Clem. VIII. quam dispensationem fuisse ait Hurtad. *d.* 5. *de matrim. differ.* 3. *numer.* 10. Nihilominus contrarium censet Castrop. *loc. cit. numer.* 8. quia absolute deficit forma substantialis a Trid. præscripta. Ad dictam declarationem dicit, non constare de illa authentice, & esto constaret, carere tamen publicatione legis.

3. Resp. tertio: Ipsos quoque Hæreticos, ubi in locis promulgati & recepti Trident. vivunt permixti Catholicis in minore numero, teneri contrahere matrimonium juxta leges Trident. adeoque contrahere nulliter sine Parocho & testibus, cum per Baptismum in Ecclesiam sint recepti, factique illius subditi, subditus autem rebellis teneatur ad leges sui superioris, affirmat Engels *h. t. num.* 20. citans Bossium *de matrimon. cap.* 1. §. 24. *numer.* 65. *&* §. 28. De cætero infideles degentes inter fideles, sive permanenter, sive transeuntes in locis, in quibus viget Trident. valide contrahunt non observato decreto Trid. cum non subsint legibus Ecclesiæ, & decretum illud sit lex mere ecclesiastica, & ut talis recepta a Principibus Christianis. Sanch. *lib.* 3. *d.* 17. *n.* 8. Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO CXLVII.

Quis sit Parochus proprius in ordine ad matrimonium contrahendum.

1. RESp. primo: Est non solum ille, ut volunt Spin. *in specul. testam. gloss.* 15. *num.* 42. Henriq. *Lib.* 11. *de matrimon. cap.* 3. *num.* 3. Rodriq. *Tom.* 1. *sum. cap.* 219. *num.* 6. *&c.* in cujus Parochia habes domicilium seu habitationem animo ibi perpetuo manendi, dum commodior se non obtulerit: sed etiam, in cujus Parochia decernis majore parte anni morari, animo postea ad proprium domicilium remigrandi, ut contingit in scholaribus, mercatoribus, mercenariis locantibus suas operas; quia ex tali habitatione acquiritur quasi domicilium, ibique conveniri quis potest juxta *L. hæres absens ff. de judic. & L.* 2. *cap. ubi de crimine agi oport.* Habitatio autem constituens quasi domicilium sufficiens est ad constituendum Parochianum. Arg. *cap. fin. de Parochiis*, & praxis recepta, qua scholaribus & mercenariis diu habitantibus in Parochia aliqua solus illius Parochus ministrat Sacra-

menta

menta Eucharistiæ, extremæ unctionis. Ita tenent Sanchez *lib* 3. *d*.23. *a num*. 12. Gutt. *de matrimon.cap* 63. *a num*. 13. Castrop. *part*. 13. §.9. *n*. 9. contra Pont. *lib* 5. *cap*. 15. §. 1. docentem illum quoque esse Parochum proprium ad contrahendum matrimonium, in cujus Parochia quis moratur etiam transeunter; eo quod & is sit proprius Parochus peregrinorum, aliorumque hospitum respectu Eucharistiæ, & confessionis Sacramenta ministranda. Quam sententiam nullam habere probabilitatis speciem, ait Castrop. eo quod repugnet receptæ praxi, & secum vehat gravissima incommoda, dum quilibet fugiens sui domicilii Parochum, contrahere posset matrimonium coram Parocho cujuscunque loci. Quod autem Parochus commorantibus in sua Parochia vel illac transeuntibus peregrinis ministrare possit dicta Sacramenta, id fit ex speciali delegatione Papæ in favorem peregrinorum ob horum Sacramentorum necessitatem. Porro non requiri, ut quis de facto habitet in tali Parochia, sed satis esse, quod dicto animo commorandi majore parte anni ibi habitare incipiat, astruit Castrop. *num*. 10. cum Sanch. *loc. cit. n*.14. neque inconveniens sit, posse aliquem contrahere coram duplici Parocho, uno domicilii proprie talis, & alio diuturnæ habitationis seu quasi domicilii, sicut ab iisdem suscipere potest Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ. Sanch. *d*.24. *num*.5. Castrop. *cit. n*.10. Gutt. *cap*.64. *num*.4.

2. Resp. secundo: Illorum, qui nec domicilium proprie tale, nec quasi tale habent, sed modo hic, modo illic subsistunt, & hinc inde vagantur, Parochus proprius est, in cujus Parochia transeunter demorantur. Sanch. *d*.25. *nu*.23. Castrop. *n*.11. Gutt. *d*.25. *n*. 2. & 14. qui idem censent de iis, qui deserto domicilio proprio, ad novum acquirendum extra civitatem illam proficiscuntur; eo quod, dum sunt in via, censendi sint vagi, vel quasi vagi. Ubi illud notandum diligenter, Parochum sub peccato mortali teneri prius petere ab ordinario suo licentiam tales vagos copulandi justa Trid. *Sess*.24. *cap*. 7. quod ipsum verum esse, etiamsi unus tantum contrahentium sit vagus, notat cum Sanch. *l. c.* & Gutt. *l.c. n*.8. Castrop. *l.c.* qui pariter notant in ordine ad obligationem illam, petendi veniam, illum non censeri vagum, qui ex una Parochia vel oppido domicilium mutavit, & in aliam Parochiam transit, animo non ibi permanendi, sed habitationem commodiorem inquirendi; cum is notus sit in Parochia, in qua diu habitavit; adeoque ibi fieri possint denunciationes, cessetque finis, ob quem Trident. præcipit Parochis, ne vagos copulent sine licentia Ordinarii.

3. Resp. tertio: Parochus proprius Hæreticorum in ordine ad assistendum licite eorum matrimoniis est Parochus Catholicus, in cujus Parochia degunt, cum id non sit prohibitum illi, neque ratione communicationis cum Hæreticis; quia hi non sunt vitandi post *extrav. ad evitanda*, neque in sacris, neque in politicis, nisi sint nominatim denuntiati; neque propter irreverentiam, quæ infertur Sacramento, quod Hæretici indigne recipiunt; cum Parochus non sit minister hujus Sacramenti. Layman *lib*. 5. *tract*. 10. *p* 2. *cap*.4. *n*.5. Et ex eo Pirh. *num*. 21.

QUÆSTIO CXLVIII.

Quis præter Parochum sit ordinarius valens assistere matrimoniis, & dare licentiam.

RESp. Est imprimis Papa respectu omnium Christi fidelium. Dein Legatus Papæ in provincia suæ legationis; quia potest in ea, quæ Episcopus. Sanch *l*. 3 *d*. 28. *n*.8. Gutt. *d* 66. *n*.10. Castrop. *p*.11. *n*.1. Pirh. *h.c. n*.20. Tertio Cardinales respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli; cum ibi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem. Nav. *lib* 4. *consil. tit. de sponsalibus consil*.47. Castrop. *loc cit.* Gutt. *n*.9. Sanch. *num*. 7. Quarto Archiepiscopus respectu subditorum suæ Archidiœcesis; non vero respectu subditorum suorum suffraganeorum; quia non est ordinarius illorum, nec jurisdictionem in eos habet. Castrop. Pirh. *ll. cit.* nisi dum actu visitaret suffraganeos; censetur enim eo tempore ordinarius. Sanch. *nu*.3. & 4. Suar. *Tom* 4. *in* 3. *p*. *d* 25. *sect* 1. *n*.14. Castrop *loc.cit.* Vel etiam dum extra tempus visitationis, denegata ab Episcopo licentia, causa ad eum devoluta per appellationem, tunc enim causa cognita lataque sententia, cui locus appellationis non est, poterit ei matrimonio assistere, vel licentiam assistendi concedere alteri. Sanch. *L*. 3. *d*.28. *n*.4 Gutt. *cap*. 66. *n*.3. Castrop. *loc. cit.* Quinto Episcopus; ut constat. Sexto Prælati alii habentes territorium proprium, in quo jurisdictionem quasi Episcopalem privative ad Episcopum exercent, etiam in subditos sæculares; cum & hi respectu suorum subditorum veniant nomine ordinarii. Sanch. *num*.6. Gutt. *n*.6. Pirh. *num* 20. Castrop. *cit. num*. 1. Septimo Vicarius Generalis Episcopi in spiritualibus, etiam sine speciali mandato Episcopi, per seipsum assistere potest matrimonio sibi subditorum; quia & ipse est ordinarius, habetque unam eandemque cum Episcopo jurisdictionem. Barb. *de potest. Episc. alleg*. 32. *num*. 177. Gutt. *num*. 12. Castrop *n*. 3. Pirh. *loc.cit.* Sanch. *lib*. 3. *d*.29. *n*.18. Pont. *L*.5. *cap*. 11. *num*. 1. Posse & illum per se ipsum assistere matrimonio, non secus ac Parochus, etsi Sacerdos non sit, affirmat Barb. *loc. cit.* & quem citat Pont. *loc. cit. n*.23. contra Sayr. Nav. Cenedo & alios apud Barbos. ad quos accedit Card. de Luca ad *Trident. d*.26 *n*.20. Potest sententia Barbosæ firmari ex hoc, quod non minus sit ordinarius quam Parochus, & sit Parochus Parochorum totius diœcesis sicut Episcopus. Poterit quoque sine speciali mandato Episcopi, & licet sacerdos non sit, dare alteri (modo is sacerdos sit) facultatem assistendi matrimoniis; quia, ut dictum, venit nomine Ordinarii. Castrop. Sanch. *ll. cit.* Barb. *n*.177 Card. de Luca *l. c.* & sic habet praxis quotidiana. Unde jam etiam Vicarius foraneus, quia non est ordinarius, nisi forte sit Parochus, assistere per se nequit matrimonio, aut licentiam ad hoc concedere alteri, nisi sit id specialiter commissum. Castrop. *l.c. n*.4. Sanch. *lib* 3. *d*.29. *n*. 20. Gutt. *cap*. 67. *n*. 16. Octavo Capitulum sede vacante; cum in omni jurisdictione succedat Episcopo. Sanch. *d*.28. *n*.5. Pont. *lib*.5. *cap* 10. *n*.4. Barb. *loc. cit. p*. 2. *alleg*. 32. *n*. 132. Pirh Castrop. *ll. cit.* Ac denique Vicarius Capituli sede vacante, Castrop. *loc. cit. n* 4. Dian. *p* 8. *tract*. 8. *resol*. 49. Pont. *loc. cit.* Et posse illum, etsi sacerdos non sit, assistere eidem per seipsum non minus, quam Parochum aut Vicarium Episcopi, eadem ratione firmari videtur, nempe quod exerceat ordinariam & Episcopalem jurisdictionem, & sit Ordinarius, & parochus parochorum.

QUÆSTIO CXLIX.

Qui & qualiter possint concedere ac debeant licentiam assistendi matrimonio.

1. RESp. primo præter dicta *quæst. præced.* Parochus & quilibet ordinarius, qui per se potest assistere matrimonio, id potest. Item vice-parochus ad breve tempus constitutus; eo quod licet sit delegatus, est tamen delegatus ad universitatem causarum, adeoque unam saltem alteramve causam subdelegare potest, *cap. cum causam de appell.* Alium vero vicecuratum constituere nequit talis delegatus, nisi consuetudo aliud obtineat, in quo casu iste vicecuratus concedere potest licentiam assistendi, eo quod tunc non sit delegatus a delegato, sed ab ordinario tacente & consentiente tali consuetudini, ut per absentiam vicecuratus alius ad breve tempus substituatur, ita tenent Castrop. §. 12. *nu*. 8. Sanch. *d*. 31. *num*. 15.

2. Resp. ad secundum primo: Potest licentia illa concedi absque scripto verbotenus, & generaliter (uti ea concessa censetur, dum committitur sacerdoti, ut exerceat omnia parochi munia) eo quod Concilium exigat solum licentiam, non addendo; *in scripto aut in particulari*. Sanch. *lib*. 3. *d*. 35. *num*. 10. Pont. *lib* 5. *cap*. 19. *num* 12. Castrop. §. 12. *num*. 1. Farin. *vol* 4. *pag*. 67. testans sic decisum a Congreg. Cardin. Hanc licentiam censeri concessam, facta concessione administrandi omnia Sacramenta; eo quod parochus non administret Sacramentum matrimonii, negant ConincK *d*.27. *dub*. 3. *nu*.30. Henriq *lib*.11. *cap*.3. *n* 5. Hurtad. *d*. 5. *diff*. 11. *num*. 37. Affirmant e contra; eo quod, licet parochus non sit minister hujus Sacramenti in rigore, improprie tamen & vulgo censetur minister illius, quatenus ejus præsentia nomine Ecclesiæ matrimonii administrationi est necessaria. Castrop. *loc. cit.* cum Farinac. attestante id quoque decisum a Congr. Card.

3. Resp. ad secundum secundo: Valet hæc licentia, etsi metu vel dolo extorta; eo quod jure illa non irritetur, dum nihil per eam conceditur tali sacerdoti, quod in ejus dominium transit, sed solum ejus assistentiæ valor, ut matrimonium firmet. Sanch *lib* 3. *d*. 39. *n*.13. Gutt. *cap*.69. *n*. 14. Hurtad. *diff*.11. *in fine* Castrop. *num*. 2.

4. Resp. tertio: licentiam tacitam sufficere negant Menoch. *de arb. cas*. 453. Henriq. *lib*. 11. *cap*. 3. *num*. 5. Ceval. *in qq. commun. quæst*.604. *num* 114. Gonz. *ad reg*. 8. *Cancell. gl*. 47. *n*.52. testans sic decisum a S. Cong. his verbis: *non sufficit tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia*. Distinguunt Sanch. *lib*. 3. *d*.35. *n*.20. Pont *loc.cit. n*.1. Hurtad. *num*.38. Castrop. *n*.4. ita ut velint sufficere licentiam tacitam de præsente, quam parochus concedere censeatur, videns sacerdotem nomine suo disponere se ad assistendum matrimonio, dum facile impedire posset; cum tacitus hic consensus sufficienter signo

illo

ille externo expressus sit vera licentia antecedens matrimonium. Negant vero de licentia tacita subsequente matrimonium, quæ vocatur ratihabitio de futuro; eo quod vel sic non fiat coram habente licentiam a parocho, sed coram eo, qui habiturus esset, si peteret, & præsumit assistentiam suam parocho non fore ingratam. Neque obstat, quod alias ratihabitio retrotrahatur & mandato æquiparetur; cum id tantum verum sit dum actus pendet ex sola voluntate mandantis; contractus autem matrimonialis pendeat à multis, scilicet a consensu contrahentium, & testium, parochi aut alterius Sacerdotis de licentia parochi assistentia, quæ cum non adsit, sed solum ejus dandæ spes & præsumptio, actus est invalidus, adeoque nequit cum voluntate parochi tantum reddi validus postea; quod autem Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ unctionis administrari possint ab alio sub tali ratihabitione futura, inde est, quia non agitur de iis administrandis valide, sed licite tantum, adeoque necesse non est, ut licentia præcedat administrationem, sed sufficit probabilis præsumptio futuræ; ita Castrop. *loc. cit. num.* 5.

5. Resp. quarto licentia hæc concessa in generali vel particulari, ut valeat, debet constare concessionario; cum sit quoddam quasi privilegium, & quædam quasi donatio, quæ non prodest, nisi acceptetur; acceptari autem nequeat, nisi agnoscatur. Porro dum licentia illa petitur per nuncium, petentem non posse valide assistere matrimonio, antequam sciat illam datam, & a nuncio suo acceptatam, censent Hurtad. *cit. diff.* 1. Pont. *cit. cap.* 29. *num.* 8. contrarium, nempe posse illum ea licentia data & acceptata valide uti, etsi non sciat eam datam & acceptatam, tenent Sanch. *d.* 36. *n.* 2. Coninck *d.* 27. *dub.* 3. *num.* 3. Castrop. *n.* 6. eo quod cujuslibet beneficii, privilegii, dispensationis, facultatis, gratiæ concessio a puncto acceptationis factæ a nuncio specialiter ad id destinato habeat effectum, ut DD. communiter colligunt ex *cap. si tibi absenti de præb. in* 6. quod autem concessionarius ea uti nequeat licite, per accidens est, quod valorem licentiæ non impedit; de cætero sacerdotem regulariter non debere credere affirmantibus datam licentiam assistendi (nisi forte affirmans tantæ esset authoritatis, ut omnis fraudis suspicio abesset, maxime si velint contrahere sine denunciationibus) ob gravissima alias exinde oriri solita incommoda, monent Sanch. *lib.* 3. *d.* 37. *num.* 2. Pont. *lib.* 5. *cap.* 29. *numer.* 8. Castrop. *num.* 7. *&c.*

6. Resp. quinto: Dum prohibitum parocho dare licentiam, etsi eam det illicite, erit tamen valida (nisi forte prohibitioni adjectum decretum irritans. Sanch. *lib.* 3. *d.* 31. *num.* 1. testans sic decisum a Congreg. Card.) Gutt. *cap.* 67. *per tot.* Castrop. *num.* 9. arg. *cap.* 2. *de matr. contract. contra interdic. Eccles.* Idem sentit Castrop. dum licentia data sub onere præmittendi denunciationes, aliamve diligentiam in indagatione impedimenti præstandi, dum hæc omissa; eo quod censendum id non præcipi in vi conditionis, a qua dependeat valor licentiæ, sed oneris & obligationis, maxime si præcipiatur diligentia, quam jus commune postulat.

7. Resp. sexto: Licentia hæc data non censetur revocata, donec per epistolam vel certum nuncium significata sit ei, cui facta. Sanch. *lib.* 3. *d.* 36. *num.* 9. Coninck *loc. cit. num.* 32. Castrop. *num.* 10. Et si quis post matrimonium opponit, licentiam revocatam fuisse, aut etiam sacerdotem ea caruisse, credi non debet, nisi probetur. Castrop. *loc. cit. ex Mascard. de prob. concl.* 982.

QUÆSTIO CL.

An in parocho, ut valide ac licite assistat matrimonio, requiratur Sacerdotium, carentia censurarum, & ut vere sit parochus.

1. RESp. ad primum negative. Sanch. *lib.* 3. *d.* 20. *num.* 3. Castrop. *part.* 10. §. 10. *num.* 2. Pirh. *num.* 17. Gutt. *de mat. cap.* 62. *num.* 16. decretum enim illud Trid. cum sit correctorium juris communis, verba illius non sunt amplianda, cujus etiam, si finem spectes in requisitione præsentiæ parochi intentum, qui est, ut Ecclesiæ constet de matrimonio; hæc attestatio æque præstari potest per parochum non sacerdotem. Neque etiam contrarium infertur ex eo, quod Trident. dicat qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi licentia; nam etsi dictio illa *alius* quandoque, non tamen semper est repetitiva similium, ut patet ex illo *Lucæ* 23. *ducebantur & alii duo nequam*, quandonam autem sit repetitiva similium, quandonam dissimilium, colligendum ex subjecta materia, ut ait Gloss. *in cap. sedes de rescriptis v. majores*; quod vero parochus, sive sacerdos, sive non sacerdos, nulli alteri quam sacerdoti committere possit licentiam assistendi matrimonio, inde est, quod Trident. expressis verbis id dicat; verba autem secundum communem usum & significationem sint accipienda, congruentiam etiam hujus hanc dat Pirh. ut nimirum in substituto dignitas sacerdotalis suppleat dignitatem pastoralem. Porro posse hanc licentiam dari cuicunque simplici sacerdoti non approbato; eo quod Trid. id tantum requirat pro audiendis confessionibus, habet Sanch. *cit. d.* 20. *num.* 10. & ex eo Castrop. *num.* 5. Pirh. *b. t. n.* 17.

2. Resp. secundo: assistit quoque licite parochus non sacerdos. Sanch. *num.* 4. Gutt. *cap.* 62. *n.* 20. Castrop. *num.* 4. cum communi, contra Pet. Ledesm. *quæst.* 45. *de matr. a.* 5. *part.* 2. *dub.* 3. censentem esse mortale; tum quia non potest benedicere; tum quia causa est, ut contrahentes utantur materia tantum probabili (cum probabile sit requiri a Concilio præsentiam parochi sacerdotis) adeoque sacramentum exponatur periculo nullitatis. Ad primum dicitur, benedictionem illam, quæ fit extra missam hisce verbis: *ego vos conjungo in nomine Patris &c.* optime posse præstari a non sacerdote. Ad alterum respondet Castrop. usum materiæ probabilis in administratione Sacramentorum non esse per se illicitum, sed solum quando ex speciali Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine vim legis obtinente prohibetur, pro quo citat seipsum, *tract.* 1. *de conscient. d.* 2. *part.* 5. Verum non videtur ista responsio plene satisfacere, cum ex natura rei, etiam citra præceptum Ecclesiæ videatur semper esse illicitum in Sacramentis uti materia probabili, dum certa haberi potest.

3. Resp. tertio: Parochus excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, notorius percussor clerici, etiam denunciatus adhuc valide assistit matrimonio. Sanch. *l.* 3. *d.* 21. *n.* 4. Pirh. *b. t. n.* 18. Gutt. *cap.* 62. *n.* 23. Henriq. *lib.* 11. *de mat. cap.* 3. *n.* 4. *&* 5. Castrop. *n.* 6. non enim talis eo ipso est privatus beneficii parochialis possessione; neque assistendo exercet actum jurisdictionis, ut patet; quia etiam invitus assistit valide; jurisdictio autem semper exercenda voluntarie. Esto etiam, quod nominatim excommunicatus nequeat testari, testimoniumque (intellige communiter & regulariter) sit nullum, *cap. veniens el* 1. *de testib. cap. decernimus de sent. excom.* admittitur tamen in aliquibus casibus, in quibus infames admittuntur, uti hi in favorem matrimonii admittuntur; adeoque etiam parochus excommunicatus, uti in specie tradit Mascard. *de prob. concl.* 765. Quin etiam parochum ob ignorantiam vel crimen generaliter privatum administratione Sacramentorum: vel etiam ob specialem aliquam causam, prohibitum has vel illas personas matrimonio conjungere, adhuc valide assistere matrimonio, eo quod prohibitio illa reddat actum illicitum; cum qualitatem parochi, quam solam requirit Trid. non auferat, tenent Castrop. *n.* 7. citatique ab eo Salced. *in prax. crim. cap.* 73. *vers. primum igitur*. Sanch. *cit. d.* 21. *n.* 15. Gutt. *loc. cit. n.* 25. Henriq. *loc. cit.* Cevall. *qu.* 1. *pract. q.* 604. *n.* 71. Ac denique posse parochum nominatim excommunicatum & interdictum concedere alteri sacerdoti etiam taliter excommunicato licentiam assistendi matrimonio; eo quod Trident. in sacerdote, cui a parocho concedi potest illa licentia, aliam qualitatem non requirat quam sacerdotii, datio autem illa non sit actus jurisdictionis; cum neque per hoc sententiam ferat, neque jurisdictionem communicet, sed solum dominii cujusdam & potestatis, sicut est communicatio bonorum suorum, excommunicatus autem non toleratus, etsi omnino privatus jurisdictionis usu, non tamen dominii communicatione, quod in alium valide transferre potest; sic inquam tradunt Castrop. *num.* 8. Cevall. *nu.* 120. Gutt. *num.* 34. Henriq. *n.* 3. Sanch. *n.* 8. Pirh. *n.* 18. contra Coninck *d.* 29. *de Sacram. dub.* 2. *n.* 25. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. qui putant dare hanc licentiam esse actum jurisdictionis voluntariæ.

4. Resp. quarto: Parochus solum existimatus, quia V. G. beneficium invalide obtinuit constitutus in excommunicatione, irregularitate &c. vel eo privatus a jure vel per sententiam, stante errore communi seu aliis putantibus illum esse verum parochum, valide assistit matrimonio, uti & alia per illum gesta valent. Sanch. *d.* 22. *n.* 5. Castrop. *num.* 10. juxta *l. Barbar. ff. de off. Prætor.* Idque etiam verum esse, tametsi contrahentes ipsi norint illius inhabilitatem, eo quod singularis scientia non impediat errorem communem, propter quem jurisdictio conceditur tali ad evitanda gravia incommoda, quæ alias ex nullitate actuum oriri possent, tenet cum Sanch. *n.* 42. & Gutt. *n.* 26. Castrop. *cit. n.* 10. Ex quibus infert Castrop. *n.* 11. cum Sanch. *d.* 22. *n.* 62. & Gutt. *cap.* 62. *n.* 28. Valide assistere matrimonio sacerdotem, cui parochus verbis tantum absque intentione licentiam assistendi concessit, quia adest error communis; cum nullitas tituli sit occulta, imo valere adhuc matrimonium, si is, cui data licentia, vere sacerdos non esset, sed tantum communiter existimatus,

eo

eo quod ex ea licentia adsit præsumptus titulus, & error communis, ob quem Ecclesia defectum illum jure humano inductum supplet. Sanch. *n.* 29. Gutt. *n.* 26. Quod si tamen parochus intrusus esset in beneficium absque titulo a legitimo superiore concesso; communis sententia habet, nullatenus valere matrimonium, cui is assistit (intellige, etiam supposito errore communi, quo id ignoratur) eo quod deficiat titulus coloratus, quem jus requirit, ut gesta ab inhabili valeant, ut tenet & pluribus probat Sanch *l. c. nu.* 49. *&* 50. quem sequitur Pirh. *n.* 18. quamvis ut Castrop. *num.* 9. probabile sit & rationi consonum, ut probatur a Pont. *l.* 5. *c.* 20. *n.* 2. solum errorem communem sufficere ad jurisdictionem concedendam.

QUÆSTIO CLI.

Utrum ad valorem matrimonii requiratur, ut utriusque Sponsi parochus sit proprius, & quidem in parochia propria assistat, & quid sit quoad hoc de Sacerdote delegato.

1. RESP. ad primum: Dum sponsa & sponsus sunt diversæ parochiæ, valet matrimonium; si ulterutrius, sponsi nimirum vel sponsæ, in cujus parochia contrahitur matrimonium, assistat Sanch. *lib.* 3. *d.* 19. *n.* 4. Pont. *l.* 5. *cap.* 16. *num.* 2. Castrop. *p.* 13. §. 19. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 13 cum communi; parochus enim unius contrahentium est quoque quoad hoc parochus alterius; cum matrimonium sit unus individuus contractus, ita ut ab uno iniri nequeat, quin hoc ipso ineatur ab altero: ergo eo ipso, quod quis constitutus est ad conjungendum unum conjugem, etiam constitutus est ad conjungendum & alterum.

2. Resp. ad secundum: parochus alterutrius contrahentium valide assistit etiam extra propriam suam parochiam. V. G. parochus viri assistens ei in parochia sponsæ, vel etiam assistens matrimonio extra parochiam, aut etiam extra diœcesin utriusque. Sanch. *loc. cit. n.* 4. *&* 14. Coninck *d.* 27. *num.* 22. Gutt. *cap.* 63. *n.* 5. Spino *de testam. gloss.* 15. *num.* 42. Castrop. *n.* 3. Pirh. *num* 14. contra Pont. *num.* 2. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 2. Nav. *cap.* 25 *num.* 144. Cevall. *cit. quæst.* 604. *num.* 6. Rodriq. & alios censentes, id nec valide nec licite fieri posse; siquidem Trident. solum exigit præsentiam proprii parochi; neque aliud ad finem a Concilio intentum, qui ad clandestinas nuptias evitandas, necessarium, ut patet. Ad hæc dicta assistentia, esto sit actus jurisdictionis voluntariæ, nulla tamen ratione est jurisdictionis contentiosæ, neque illam ullo modo imitatur; adeoque extra territorium exerceri potest. Unde etiam declarationes relatæ a Pont. dum dicunt; quando matrimonium contrahitur inter virum, & mulierem diversarum parochiarum, parochum viri in ejus parochia, & parochum fœminæ in ejus parochia debere sponsos benedicere: intelligenda sunt, ut verba sonant, nimirum de benedictione in Ecclesia inter missarum solennia facienda; vel si etiam de assistentia loquantur, *vò debet* non importat necessitatem præcise, sed congruentiam, ut ita fiat pro majore matrimonii securitate & certitudine; ita Castrop. Porro parochum licite non posse assistere matrimonio suorum extra propriam parochiam sine licentia parochi istius loci, affirmant Pont. *loc. cit. num.* 11. Con. *num.* 19. Henriq. *num.* 2. Rodriq. & alii. Negant probabilius Sanch. *d.* 19. *num.* 18. *&* 19. Gutt. *num.* 6. Pirh. *numer.* 16. (qui tamen addit, probabilius esse, peccare & puniri posse, si solenniter & publice assistat matrimonio in aliena parochia sine licentia parochi; quia involat in alienum officium publicum in re gravi) *Spino n.* 42. Castrop. *num.* 42. siquidem talis assistentia in aliena parochia nullibi prohibitu; estque illa minus aliquid, quam actus jurisdictionis voluntariæ, quæ licite in alieno territorio exerceri potest. Ad hæc nil obstat illum facere quoque in ista parochia benedictionem non solennem, sed privatam; solennis vero illa benedictio, ut bene Castrop. nequaquam assistentiæ illi de præcepto conjuncta est.

3. Resp. ad tertium: Delegatus quoque ille sacerdos non minus quam ipse parochus delegans assistere potest valide ac licite matrimonio extra parochiam committentis seu delegantis illi eam licentiam. Castrop. *num.* 7. Gutt. *numer.* 10. nullus enim est textus aut ratio, cur delegatio talis ad parochiam delegantis restricta sit. Neque verum est, delegatum nequire hanc quasi jurisdictionem voluntariam exercere in alieno territorio, ut patet in confessionibus audiendis & conferendis beneficiis potestate delegata juxta probabiliorem apud Sanch. *lib.* 3. *d.* 34. *a num.* 2. & sic in specie posse Vicarium generalem Episcopi instructum ab eo facultate conferendi beneficia illa conferre constitutum extra provinciam, fuse ostendi in meo Vicario episcopali *quæst.* 263. citatis Fagn. *in cap. præsentata, de testib. numer.* 12. Garc. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 126 Paris. *de resign. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 33. Menoch. Lambert. Azor.

QUÆSTIO CLII.

Quot & quales præter parochum adesse debeant contractui matrimoniali testes.

1. RESP ad primum; Sufficiunt duo; cum Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. exigat, ut duo vel tres testes una cum parocho matrimonio intersint.

2. Resp. ad secundum: Non requiritur, ut hi testes sint omni exceptione majores, sed sufficiunt qualescunque, modo usu rationis præditi, ut intelligant & advertant, quid agatur; unde etiam impuberes, fœminæ, parentes, consanguinei, domestici, servi, religiosi, excommunicati, infames, infideles sufficiunt ad valide coram illis contrahendum matrimonium. Sanch. *lib.* 3. *d.* 41. *num* 5. Gutt. *cap.* 44. *n.* 71. Castrop. *cit. p.* 13 §. 13 *num.* 3. Pirh. *h. t. num.* 24. cum communi: decretum enim Trid. utpote correctorium juris communis & irritans matrimonium, cujus causa favorabilis est, extendendum non est, adeoque, cum exigat solum præsentiam duorum vel trium testium nulla addita qualitate, etiam ea a nobis exigenda non est; sed sicut alias in favorem fidei, *cap. fidei de hæret. in* 6. tales testes admittuntur, sic etiam in favorem matrimonii admittendi, & sic standum legi naturæ, quæ cujusvis ratione utentis testimonio contenta est. Ad hæc, testium alioquin inhabilium suppletur defectus ex communi contrahentium consensu illos admittentium, dum etiam regulariter ab iis electi, & rogati intersunt. Castrop. Pirh. *LL. cit.* cum Farinac. *de oppos. contra test. q.* 54. *num* 40. Item ex authoritate præsentis parochi. Arg. *l. cum esset de testam.* Pirh. Castrop. cum Gabr. *comm. opin. l.* 1. *de testam concl.* 8. *n.* 3. præsertim si (prout præcipitur a Trid.) librum habeat, in quo conjugum & testium nomina, diem ac locum contracti matrimonii describat. Pirh. *loc. cit.* ubi etiam, quod tunc testes alias inhabiles plenam fidem faciant de valore matrimonii, ubi lis desuper movetur in judicio, ut Sanch. *n.* 6. Ac denique in aliis causis judicialibus & actibus, validum est enim testimonium, si a Judice vel adversa parte non repellantur, Arg. *cap.* 1. *de excep. in* 6. Porro ad quæst. illam, num mandatarius seu procurator constitutus ad contrahendum simul esse possit testis, Card. de Luca *in annot. ad Trid. d.* 26. *nu.* 49. quamvis dicat, casum hunc pendere adhuc indecisum, respondet tamen, negativam videri probabiliorem, ejus ratio esse potest; tum quia procurator sic deberet esse testis de facto suo nomine principalis; tum quia Trid exigens duos testes, qui deponere possint de facto contrahentium, videtur exigere duos testes distinctos a contrahentibus non tantum principalibus, sed etiam qui solo ministerio & mandato tales sunt.

QUÆSTIO CLIII.

Qualiter parochus & testes interesse debeant contractui matrimoniali.

1. RESP. primo: Debent interesse simul duo saltem testes una cum parocho; quia Trident. copulative exigit præsentiam parochi & duorum testium; non sufficit proinde, ut intersint isti contractui successive sive unus post alterum, & sic coram singulis singulatim præsentibus is celebretur.

2. Resp. secundo: Debent interesse non tantum physice seu corpore, sed modo humano, seu moraliter, id est, animo & cum advertentia, ita ut intelligant, quid agatur, Castrop. §. 8. *num.* 11. Gutt. *cap.* 69 Pirh. *h. t. n.* 21. cum communi; non enim jure præsens esse censetur, qui non adest modo humano intelligens & advertens, quid agatur, *l. coram Titio ff. de V. S.* sufficiet autem, ut aliquo sensu advertant, quid fiat, sive visu, sive auditu; vel etiam si præsentes per interpretem intelligant consensum mutuum, Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *lib* 3. *d.* 39. *n.* 2. *& seq.*

3. Resp. tertio: Non requiritur, ut parochus & testes vocati, seu rogati intersint, sed sufficit eos casu supervenire, vel etiam omnino invitos, reclamantes, vi vel dolo detentos interesse, quia sive sponte, sive invite intersint, possunt æqualiter intelligere & testari de iis, quæ geruntur, arg. *cit. l. coram Titio*, diciturque quid coram aliquo fieri, etsi invitus adsit: Ac denique obtinetur finis Trid. cum jam Ecclesiæ constet de tali matrimonio, & esto, per talem coactionem fiat injuria parocho & testibus, hæc tamen non impedit,

pedit,

pedit, quo minus de matrimonio testari possint. Sanch. *n.* 9. Castrop. *n.* 21. Pirh. *n.* 23. Rebell. *de oblig. just. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 8. *n.* 2. Gutt. *cap.* 69. *n.* 10. cum communi. Peccare nihilominus contrahentes mortaliter, si absque gravi causa parochum, qui vices Ecclesiæ in eo actu gerit, cogant vi vel dolo assistere ob gravissima incommoda, quæ ex tali assistentia oriri solent, tradunt Sanch. *n.* 12. Con. *d.* 27. *n.* 44. Castrop. *l. c.* qui idem ait de testibus sic coactis interesse, eo quod & ipsi nomine Ecclesiæ, etsi minus principaliter quam parochus intersint, & ratio generalis deducta ab inconvenientibus, quæ per se ex tali deceptione oriantur æque in testibus ac in parocho procedunt; contrarium tamen, nimirum non peccari per hoc, saltem graviter, tenent Sanch. & Gutt. *LL. cit.*

QUÆSTIO CLIV.

An & qua obligatione parochus teneatur benedicere matrimonio.

1. RESp. primo: Tenetur post expressum mutuum consensum benedicere contrahentes hac verborum forma: *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* ut constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1.

2. Resp. secundo: Hæc benedictio etsi non sit de essentia Sacramenti; cum neque ad materiam, neque ad formam ejus spectet, ut Sanch. *lib.* 3. *d.* 38. *n.* 4. Castrop. *n.* 12. cum communi; est de præcepto tamen, ut patet ex Trid. omissionem illius esse solum peccatum veniale; eo quod eodem loco etiam plura alia gravius non obligantia contineantur, censent Sanch. *n.* 6. *& seq.* Gutt. *n.* 15. Castrop. *cit. n.* 12. Econtra esse mortale, quia in re gravi, censet Salced. *in pr. crim. cap.* 77. *§. secundo illud*, quem sequitur Pirh. *n.* 22. *in fine*.

QUÆSTIO CLV.

An & qualiter præmittendæ denunciationes.

1. RESp. ad primum: Denunciationes hæ etiam jure antiquo erant præmittendæ, ut constat ex *c. inhibitio, h. t.* desumpto ex Concilio generali Lateranensi sub Innoc. III. Iure quoque novo Trident. *loc. cit.* præcipiuntur, simulque præscribitur modus & forma in iis servanda his verbis: *imposterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis inter missarum solennia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum &c.* Indicatur quoque ibidem hujus præcepti finis, ut nimirum, si quæ laterent inter sponsos impedimenta, ab his, qui aliquid de iis noverint, Ecclesiæ detegantur, ac sic illegitima matrimonia impediantur.

2. Resp. secundo: Dum contrahentes spectant ad diversas parochias, denunciationes hæ in utrinsque parochia faciendæ; quia Concilium dicit, a proprio contrahentium parocho faciendas; & alias fini a Concilio intento (qui, ut dictum, est detectio impedimenti) non esset satis provisum, si quis eorum in aliena parochia, in qua esset ignotus, denunciaretur. Sanch. *lib.* 3. *d.* 6. *n.* 4. Gutt. *c.* 56. *n.* 5. Castrop. *p.* 13. *§.* 3. *n.* 2. Rebell. *de matr. lib.* 2. *q.* 7. *n.* 19. Pirh. *n.* 28. cum communi. Ubi tamen consuetudo obtinet, ut non nisi in parochia unius sponsi, in qua celebrandæ sunt nuptiæ, fiant hæ denunciationes, eam damnari non debere, censent cum Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. Castrop. Pirh. *LL. cit.*

3. Resp. tertio: Jure antiquo satis erat una denunciatio, modo tres fieri debent, idque tribus diebus festivis continuis, id est, inter quos non intercedunt alia festa, etsi intercedere possint ac debeant alii dies non festivi, ut eo melius detegi possint impedimenta, uti fit, si non immediate succedant hæ denunciationes, sed interposito tempore aliquo non magno, ne, si nimium interrumpantur & a se invicem distent, parochiani illorum obliviscantur, & nuptiæ nimis diu differantur. Sanch. *loc. cit. n.* 8. Castrop. *n.* 3. Pirh. *loc. cit.*

4. Resp. quarto: Debent fieri a parocho, vel ab alio de ejus licentia inter Missarum solennia, ita tamen, ut licet hoc tempus & locum videatur requisivisse Concilium ob majorem Sacramenti matrimonii reverentiam, fieri tamen possint extra Missarum solennia, imo extra Ecclesiam, etiam die non festo, ubi tamen frequens est populus, ut in prædicationibus; eo quod Concilium solum spectasse videatur frequentiam populi (ut scilicet ad plurium notitiam pervenirent) quæ regulariter major esse solet diebus festivis inter Missarum solennia. Sanch. *n.* 9. Castrop. Pirh. *LL. cit.* in quo tamen observari posse cujusque Ecclesiæ consuetudinem, ait Laym. *loc. cit. num.* 10.

5. Resp. quinto: Sunt hæ denunciationes non quidem de valore matrimonii, sed tamen sub præcepto graviter obligante tam parochum quam contrahentes; quia est in materia gravi, ut constat ex fine, qui est ad sciendum, num subsistat matrimonium, nec ne, propter impedimentum. Sanch. *l.* 3. *d.* 5. *n.* 2. Castrop. *n.* 4. Pirh. *n.* 27. Procedunt hæc ipsa in casu, quo constaret, nullum subesse impedimentum; cum lex non desinat obligare, etiamsi ejus ratio hic & nunc in particulari cesset. Pirh. *l. c.* cum Coninck *d.* 27. *de Sacram. dub.* 5. *num.* 51. quamvis omittere denunciationem unam, ubi non præsumitur impedimentum, non esse peccatum, censeant Pirh. *l. c.* Sanch. *n.* 7. Rebell. *n.* 10. Hurt. & alii apud Castrop. ipse tamen ait cum Con. absque gravi causa hanc doctrinam admitti non debere; quod si tamen uno alterove die festo etiam non immediate denunciationes intermitterentur; vel econtra, si ita continue fierent, ut nullus dies intercederet; item si tribus etiam ferialibus, ubi tamen adesset concursus populi, fierent, non esse mortale, teneant Sanch. *d.* 6. *nu.* 9. Laym. *n.* 10. Castrop. *n.* 4. & plures apud illum. De cætero, ubi foret de bono communi vel speciali contrahentium, matrimonium statim contrahi, nec esset recursus ad Ordinarium, qui dispensaret in denunciationibus, poterit iis omissis contrahi matrimonium sine omni culpa; cum leges ecclesiasticæ non censeantur in eo rigore obligare. Laym. *cit. num.* 10. Castrop. *l. c. num.* 5. Sanch. *lib.* 3. *d.* 10. *nu.* 27. citatis pluribus aliis; adeoque multo magis id poterit metu mortis, dum hic non incuteretur in contemptu clavium. Barb. *in cap.* 1. *Sess.* 24. *Trid. n.* 30. cum Sanch.

QUÆSTIO CLVI.

Quinam dispensare possint in denunciationibus.

1. RESp. primo: Parochus non potest dispensare in hoc; jure siquidem antiquo, ut constat ex *cap. inhibitio n.* 1. id non poterat: Ergo, cum Trident. in hoc jure antiquo nihil mutaverit, neque modo id poterit. Laym. *loc. cit.* Gutt. *de matr. cap.* 56. *n.* 52. Sanch. *lib.* 3. *d.* 7. *n.* 37. Pirh. *n.* 29. Castrop. *p.* 13. *§.* 4. *n.* 3. qui etiam id procedere ait, ubi adesset suspicio (intellige prudens) impediendi malitiose matrimonii, si fierent denunciationes. Posse tamen Parochum in casu necessitatis per epieiKejam interpretari, & declarare legem illam hic & nunc non obligare, v. g. si in articulo mortis concubinarius vellet contrahere matrimonium cum sua concubina, censet Pirh. *loc. cit.* citato Tanner. *d.* 8. *q.* 2. *dub.* 6. *nu.* 132. quod ipsum consequenter poterit, impendente alias gravi malo; si enim potest eas in eo casu omittere, ut Sanch. ConincK &c. utique id aliter non poterit, quam judicando, præceptum illud hic & nunc non obligare, seu Ecclesiam noluisse hic & nunc illud obligare, quod est uti epieiKeia.

2. Resp. secundo: Tametsi jure antiquo in his denunciationibus, quia præceptæ in Concilio Generali Lateranensi (in cujus lege regulariter dispensare nequit Episcopus) non possit dispensare Episcopus, hanc tamen potestatem dispensandi concedit Episcopo Tridentinum hisce verbis: nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut denunciationes omittantur. Nomine vero Ordinarii veniunt hic quoque Abbates similesque Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem (intellige cum territorio) habentes. Castrop. *loc. cit. §.* 4. *n.* 1. Navar. *sub tit. de sponsal. consil.* 5. Sanch. *d.* 7. *n.* 4. Rodriq. *Tom.* 1. *sum. cap.* 217. *num.* 4. & in specie Vicarius Generalis Episcopi. Et quidem id eum posse vi Vicariatus sine speciali commissione Episcopi, tenent Sanch. *loc. cit. n.* 10. Con. *loc. cit. dub.* 6. *n.* 55. Riccius *in pr. decis.* 259. Gutt. *cap.* 56. *n.* 11. Hurt. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *num.* 2. contra Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 5. Ponc. *lib.* 5. *cap.* 3. Menoch. *consil.* 69 *num* 55. *vol.* 1. Spin. *in specul. testam. gloss.* 15. *num.* 29. *&c.* requirentes in eo speciale ad hoc mandatum.

3. Resp. tertio: Episcopi dictique Prælati delegare quoque possunt hanc potestatem dispensandi denunciationibus. Sanch. *num.* 20. Spino *loc. cit.* Gutt. *num.* 13. Con. *loc. cit. num.* 55. *conclus.* 3. Castrop. *num.* 4. & alii contra Menoch. *loc. cit.* Siquidem hæc potestas non conceditur ordinariis, quatenus personæ singulares sunt, ut propterea electa videatur industria personæ (quod est fundamentum Menochii) sed quatenus habent jurisdictionem ordinariam, ac proinde delegari potest. Sed neque ex eo censetur electa industria personæ ejusque prudentiæ commissum, quod negotium sit arduum (quales censentur causæ matrimoniales) si fiat delegatio personæ incognitæ & indeterminatæ, uti contingit in præsenti, dum ea fit omnibus Ordinariis, tam præsentibus quam futuris. Et sic specialiter Vicarius Episcopi Generalis poterit hanc potestatem dispensandi delegare; cum habeat jurisdictionem ordi-

ordinariam, idemque cum Episcopo tribunal; & licet non possit alium Vicarium constituere, potest tamen unam alteramve causam delegare alteri. Et ita tenent Sanch. *d.* 7. *n.* 11. Con. *num.* 55. Gutt. *n.* 13. Castrop. *num.* 4.

QUÆSTIO CLVII.

An & qualis causa, & qualiter cognoscenda requiratur ad dispensandum in denunciationibus.

1. Resp. ad primum: Ordinarius nequit in iis dispensare sine justa causa; cum id a Concilio committatur illius prudentiæ & judicio, quæ verba arbitrium prudentiale, & ratione regulatum important, ut Menoch. *de arb. lib.* 1. *q.* 8. *numer.* 16. quod nequit consistere absque justæ causæ cognitione. Menoch. *consil.* 69. *num.* 62. Sanch. *lib.* 3. *d.* 8. *n.* 1. Gutt. *cap.* 57. *num.* 2. Castrop. *cit.* §. 4. *num.* 5. qui etiam cum Sanch. *n.* 2. censet Ordinarium sine causa permittentem omitti omnes denunciationes peccare mortaliter; quia potestate sibi concessa abutitur.

2. Resp. ad secundum: Concilium quidem unicam causam dispensandi allegat, nimirum suspicionem de matrimonio malitiose impediendo, si tot vel una denunciatio præcesserint; sufficit tamen etiam quævis alia causa, quæ juxta arbitrium prudentum justa habetur. Tales autem causæ v.g. sunt infamia, ut si viventes in concubinatu, habiti pro veris conjugibus publicentur. Castrop. *n.* 8. Pirh. *nu.* 19. ConincK *dub.* 6. *num.* 56. Disparitas conditionis, unde irrisio, pudor, & confusio, si denuntientur v. g. senex cum juvencula, dives cum paupercula, valde nobilis cum rustica. Sanch. *d.* 9. *n.* 3. Spino *num* 18. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Damnum & periculum animæ, sive proprium sive alienum. Sic statim jungenda matrimonio meretrix, ut statim a statu malo desistat. Item turpiter inter se viventes. Castrop. *loc. cit.* Bonum animæ, ut dum ducitur concubina in articulo mortis ob securitatem decedendi in bono statu; item legitimatio prolis. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *d.* 9. *n.* 9. Periculum fornicationis, aut dissolutionis sponsalium ob dilationem nuptiarum, dum instat tempus Adventus, vel Quadragesimæ, quo prohibentur nuptiæ benedici. Zerola *prax. Episc. p.* 1. *a. matrimonium* §. 9. Sanch. *d* 9. *num.* 14. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Favor & honor magnatibus exhibitus, dum ab onere denunciationem liberantur; tum quia eorum conjugia non solent esse ignota; tum quia favor hic sæpe cedit in bonum Ecclesiæ. Con. *loc. cit. num* 57. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Ac denique quæcunque notabilis contrahentium commoditas, sive temporalis, sive spiritualis præstat justam causam omittendi denunciationes, ut Castrop. dicens, sic facile colligi ex DD. hic relatis.

3. Resp. ad tertium: Obligatur Ordinarius, antequam dispenset, diligenter investigare, an causa allegata sit vera, num etiam, num contrahentes aliquo impedimento ligati. Sanch. *num.* 10. Castrop. *loc. cit.* Porro non requiritur cognitio causæ judicialis, etiam si ea fiat etiam pro foro externo; quia Concilium rem totam commisit arbitrio Ordinarii, quod sufficienter ratione regulari potest, si ex testibus, etiam non juratis, agnoscat causam adesse remittendi denunciationes. Sanch. *lib.* 3. *d.* 8. *num.* 4. Cevall. *qq. pract. q.* 604. Gutt. *l.* 57. *n.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 6.

QUÆSTIO CLVIII.

Num Ordinarius existente justa causa obligetur dispensare in denunciationibus.

1. Resp. affirmative, quoties bono communi vel particulari contrahentium maxime expedit concedi hanc dispensationem. Sanch. *lib.* 3. *d.* 10. *num.* 6. Gutt. *cap.* 52. *nu.* 4. Pont. *lib.* 5. *cap.* 31. *post medium*. Castrop. §. 5. *num.* 1. Tenetur enim Ordinarius ex officio providere bono communi, & speciali subditorum; adeoque denegando hanc dispensationem, ubi bono communi vel speciali valde expedit, agit contra munus suum, & graviter peccat; poteritque a tali denegatione appellari, saltem quo ad effectum devolutivum. Castrop. *loc. cit.* cum Gutt. *num.* 5. quin & si stante justa causa, ob quam valde bono communi vel speciali contrahentium expediat dispensari, Ordinarius nolit dispensare, posse illos contrahere omissis denunciationibus; quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tam gravi jactura. Docent Pirh. *h. t. num.* 29. Castrop. *loc. cit. num.* 4. Sanch. *d.* 10. *num.* 27. ConincK *loc. citat. num.* 59. Gutt. *num.* 6. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5. & alii. Sed neque Concilium in gravissima causa malitiosi impedimenti, nec etiam in aliis causis gravibus permittit Ordinario libertatem negandi dispensationem eo ipso, quo is judicet matrimonium expedire, & malitiosum impedimentum alia via tolli non posse; sed remittit Ordinario judicare, an impedimento illo stante, expediat omittere denunciationes, dum alia via impedimentum tolli potest. Castrop. *n.* 2.

2. Dixi: Si maxime expediat: Si enim non valde, sed leviter tantum ea dispensatio conducit bono communi vel speciali, dispensatio erit ad libitum dispensantis & gratiosa. Castrop. Arg. *cap. expostulasti de cler. & excom.* eo quod levis commoditas, ut Castrop. abunde compensetur rigida observantia legis communis. Porro omnes causas supra adductas graviter bono communi vel contrahentium conducere, excepta illa, quæ oritur ex verecundia ob disparitatem conditionis; item quæ consistit in gratia, & favore magnatibus exhibendo, eo quod hæ duæ causæ, etsi sint justæ: non tamen ita sint graves, quin sæpe gravius urgeant, & Ecclesiæ sit convenientius, legem illam de denunciationibus observare, ait Castrop. *n.* 3. citatis Con. Sanch. Pont. ubi supra. De cætero tametsi dispensatio facta ex causa justa, leviore tamen, fit gratiosa, adhuc debet concedi liberaliter; adeoque ne quidem imponi potest dispensato pecunia aliqua solvenda per modum mulctæ, aut eleemosynæ alicui loco pio faciendæ, uti generaliter quoad dispensationem gratis faciendam dispositum est per Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 18. non secus ac omnes conveniunt, non posse Episcopum concedentem dimissorias obligare ordinandum, ut pro dimissoriis eleemosynam faciat loco pio. Castrop. *num.* 5. licet cum Sanch. *cit. d.* 10. *n.* 10. admittat, si dispensatio fiat ob causam aliquam ortam ex culpa, imponi posse obligationem alicujus pecuniæ erogandæ, non quidem pro dispensatione, sed pro culpa commissa, & in pœnam illius, cui conceditur dispensatio.

QUÆSTIO CLIX.

An & qualiter denunciationes omissæ ante nuptias adhuc præmittendæ sint consummationi matrimonii.

Resp. Si ob causam, vel etiam quia dispensatio ab Ordinario facta non est integre, sed solum pro matrimonii contractu, præmissæ non sunt denunciationes ante nuptias, adhuc contrahentes eas præmittere ante consummationem matrimonii obligati sunt, nisi forte aliqua gravi & urgente causa excusentur; aut nisi ordinarius expedire judicaverit, ut omnino & tunc omittantur. Prout hæc habentur in Trid. *cit. cap.* 1. Estque hæc obligatio sub mortali; quia est in materia gravi, ut constat ex fine hujus præcepti, nempe ut impedimentum dirimens, si quod subest, detegatur, & ne consummantes matrimonium exponant se periculo copulæ fornicariæ. Sanch *lib.* 3. *d.* 12. *num.* 5. Gutt. *cap.* 58. *nu.* 1. & 2. Castrop. *cit.* §. 5. *num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 30. Et quamvis Sanch. *num.* 2. Rodriq. *in sum. cap.* 222. *num.* 1. tanquam probabile defendant, non esse mortale, consummare matrimonium omissis illis denunciationibus, dum contrahentes certi sunt, nullum subesse impedimentum; eo quod ratio legis, & consequenter lex, cessare videatur. Verum contrarium dicendum; quia non statim hic & nunc in particulari casu cessante fine seu ratione legis lex cessat; & lex illa Trident. non hunc vel illum singularem casum respicit, sed omnes & in genere ob periculum fornicationis, si denunciationes non præmitterentur consummationi. Et sane si ratio a Sanch. allata urgeret, pari modo non peccaretur graviter, si denuntiationes illæ sine causa & dispensatione omitterentur ante nuptias, dum contrahentibus constaret, nullum subesse impedimentum, quod tamen illi AA. non dicent. De cætero peccari solum mortaliter per primam copulam, docent Henriq. *l.* 11. *cap.* 16. *num.* 1. & alii, quos sequi videtur Castrop. *loc. cit. n.* 7. eo quod Trident. solum videatur imperasse denunciationes præmitti, tum matrimonii contractui, tum consummationi; at quando consummatum est per primam copulam, nullum de denunciationibus præmittendis subsequentibus copulis præceptum imposuerit. Utuntur hi AA. exemplo jejunii, quod si semel violatum est bis comedendo, non peccatur postea de novo, si sæpius comedatur. Verum probabilius docent Sanch. *d.* 11. *n.* 5. Gutt. *cap.* 58. *num.* 2. Pirh. *loc. cit.* & alii, peccari toties mortaliter, quoties petitur & redditur debitum; quia proceditur contra legem Ecclesiasticam graviter obligantem, & quantum est de se, incurritur periculum fornicationis; eo quod posset subesse impedimentum dirimens, cum nondum sit adhibita diligentia juridica seu præscripta ab Ecclesia, ut detegerentur impedimenta, si quæ laterent, qua se securos redderent.

QUÆ-

QUÆSTIO CLX.

Quinam factis denunciationibus teneantur denunciare impedimentum.

1. RESp. primo: Dum impedimentum est publicum, vel probatu facile, quilibet ejus conscius denunciare tenetur, quia impedire potest sua denunciatione, ne invalide contrahatur matrimonium. Castrop. *p.* 13. §. 6. *n.* 1. Pont. *l.* 5. *c.* 34. *num.* 3.

2. Resp. secundo: Dum occultum est impedimentum, impetrataque desuper dispensatio pro foro conscientiæ, nulla est obligatio denunciandi; Secus si vox est publica de impedimento; quia tunc dispensatio non prodest. Castrop. *n.* 2. Sanch. *l.* 3. *d.* 13. *a n.* 4. Gutt. *c.* 59. *n.* 13.

3. Resp. tertio: Is, cui impedimentum notum est solum ex auditu, nec recordatur, a quo audierit, non obligatur denunciare; quia nulla utilitas talis denunciationis. Castrop. *l. c.* Gutt. *num.* 12. Farin. *de testib. p.* 2. *quæst.* 69. *nu.* 75. *& seq.* Potest tamen denunciare, si nullam infamiam irrogat; quia in ea denunciatione nullum est periculum, & forte veritas manifestabitur. Gutt. Castrop. *LL. cit.* Econtra si recordetur, a quo audiverit, & is sit persona fide digna, tenetur denunciare; quia potest Ordinarius eam citare, ejusque testimonium recipere. Sanch. *d.* 13. *num.* 7. Gutrier. *nu.* 10. Pont. *l.* 5. *c.* 34. *num.* 1. Castrop. *num.* 3. Si autem persona, a qua audivit, est suspecta, nulla est obligatio denunciandi, maxime, si impedimentum est diffamatorium. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Farin. *num.* 85. &c.

4. Resp. quarto: Si quis solus novit impedimentum, obligatus est illud revelare, si præmissa fraterna correctione (dum nimirum speratur ex ea fructus) revelare potest sine suo damno, etsi probare illud nequeat. Sanch. *num.* 2. Guttier. *num.* 9 Covarruv. *in 4. decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *nu.* 1. Henriquez *L.* 11. *cap.* 14. *num.* 5. Castropal. *num.* 5. Gasp. Hurtad. *de matrim. disp.* 5. *diff.* 21. *num.* 75. contra Pont. *L.* 5. *cap.* 34. *a num.* 6. Sanch. *vers. matrimonium num.* 23. eo quod ex una parte dictum seu testimonium unius, etsi insufficiens sit ad contractum dissolvendum, sit tamen sufficiens ad impediendum matrimonium contrahendum juxta *cap. super eo de testib.* & Gl. *ibidem* & esto, ad hoc etiam sufficiens non esset dictum unius testis, sufficiens tamen adhuc foret, ut Judex ex officio urgeret contrahentes ad diligentiorem inquisitionem, qua forte detegeretur impedimentum. Ex altera parte obliget præceptum revelandi, cum commode revelari potest: tum ne contrahentes peccent, si mala fide procedant; tum ne irreverentia fiat Sacramento, & proles fiat illegitima, vel si bona fide contraxerint, ne materiale peccatum fiat, neve fit Sacramenti fictio, & proles ex se illegitima; & insuper, ut vitetur difficultas, quæ postmodum detecto impedimento, in ratificatione matrimonii intervenire solet. Et hæc omnia sufficienter honestare revelationem impedimenti, tametsi sub secreto acceperis, & juraveris te non revelaturum; asserunt Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* quod vero nemo obligetur denunciare, quod probare nequit ob periculum incurrendi nomen impostoris & calumniatoris, procedere ait Castrop. *num.* 7. dum proceditur ad punitionem; non vero, quando ad damna vel peccata avertenda lex fertur & obligatio revelationis imponitur. De cætero in hoc casu revelare quis non tenetur, ubi revelare nequit sine gravi suo incommodo cum leges Ecclesiasticæ, utpote jugum suave, in eo casu non obligent. Pont. *num.* 2. Sanch. *num.* 10. Castrop. *num.* 5. Atque ex his infertur, multo magis ipsos contrahentes, impedimenti conscios teneri fateri, & a contrahendo desistere; quia injuste alias & inique se contractui ingerunt, quem jure celebrare nequeunt. Sanch. *l.* 3. *d.* 14. Con. *d.* 27. *dub.* 7. *concl.* 2. *nu.* 62. Castrop. *n.* 6.

QUÆSTIO CLXI.

Qualiter se gerere debeat Parochus, dum post denunciationes opponitur impedimentum.

1. RESp. primo: Parochus ab aliquo (sive is sit unus contrahentium, sive alius) informatus de impedimento, debet interdicere celebrationem matrimonii (quæ interdictio non est judicialis, sed extrajudicialis, ut Castrop. §. 7. *n.* 2.) non potest tamen de eo cognoscere, an revera subsit; quia Parochus judicialem potestatem non habet, quam tamen requirit cognitio impedimenti matrimonialis. Castrop. *l. c.* Sanch. *d.* 25. *n.* 2. Gutt. *c.* 60. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 31.

2. Resp. secundo: Debet proinde Parochus monere secreto conjuges, præsertim si impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, ut desistant a matrimonio, & si ii non acquiescant, Ordinario, utpote ad quem spectat impedimenti cognitio, illud deferre debet. Sanch. *l. c.* Tanner. *d.* 8. *qu.* 3. *du.* 6. *num.* 133. Pish. *loc. cit.* Idem est, si Parochus ipse solus novit impedimentum extra Confessionem; si enim juxta dicta *quæst. præced.* quilibet alius tenetur impedimentum denunciare, multo magis ad hoc tenetur Parochus, cui ex officio incumbit, saluti & bono subditorum consulere; & licet ex revelatione tali aliqua eis nota proveniat, ipsi sibi debent adscribere, dum non acquiescunt. Castropal. *nu.* 3. Unde etiam si in hoc casu publice petant tales conjungi matrimonio, debet id iis negare Parochus, non obstante, quod alias occulto peccatori indigno petenti publice Sacramentum illud sit ministrandum. Siquidem id quoque procedit in præsente casu, dum contrahentes aliud impedimentum non haberent, quam quod susceptionem Sacramenti matrimonii indignam redderet, quale est solum peccatum mortale; cederet enim hoc tantum in damnum occulti peccatoris, nempe confusionem: Secus vero, si habeant impedimentum, quod præter indignam etiam invalidam susceptionem, & hinc occasionem plurium damnorum, pluraque deinceps patrandi peccata præstaret; cum id cederet in grave quoque damnum aliorum.

3. Dum vero novit Parochus impedimentum tantum ex Confessione, quamvis plures apud Sanch. *cit. disp.* 15. *a numer.* 6. censeant posse, imo debere illis negare assistentiam; verius tamen censent Sanch. *disp.* 16. *num.* 14. Gutt. *cap.* 60. *num.* 11. Coninck. *loc. citat. dub.* 7. *numer.* 70. Castropal. *cit.* §. 7. *numer.* 5. id eum non posse; cum Confessarius uti nequeat notitia accepta in Confessione ad actus exteriores, ex quibus Confessio pœnitenti reddi potest odiosa. Debere tamen monere pœnitentem, petita prius ab eo venia eum monendi de aliquibus auditis in Confessione, dum credit pœnitentem non ægre laturum hanc licentiæ petitionem, & monitionem suam profuturam, tenent Con. & Castrop. *LL. cit.* probabile tamen etiam ait Castropal. cum Guttier. *cap.* 60. *in fine* non esse obligationem petendi illam veniam, sed se gerere posse, ac si nihil ad ejus notitiam devenisset.

QUÆSTIO CLXII.

Qualiter se gerere debeat Ordinarius, dum impedimentum ad eum delatum est.

1. RESp. primo: Debet investigare impedimenti veritatem, & si forte ei respondeatur, esse desuper dispensatum, debet videre, an dispensatio data sit solum pro foro interno, an etiam pro foro externo. Si data pro solo foro interno; cum ea utpote non operans ultra mentem dispensantis, non prosit pro impedimento delato ad forum contentiosum, non potest illos conjungere. Quinimo, si etiam post matrimonium contractum opponatur impedimentum dirimens, cujus obtenta dispensatio solum pro foro conscientiæ, debere illum eos separare, ac cogere ad vitam cælibem ducendam, donec obtineatur quoque dispensatio pro foro externo, tenent Con. *num.* 64. Guttier. *num.* 60. Sanch. *disp.* 16. *nu.* 15. Castropal. *num.* 6. qui posterior una cum Pont. *L.* 5. *de matrim. c.* 36. *n.* 7. tradit, quod si contrahens falsis testibus probaverit, impedimentum sic oppositum nullum esse, posse Judicem, tametsi falsitatem agnoscat, eos matrimonio jungere, eo quod eo casu publicitas fori externi jam sublata sit.

2. Resp. secundo: Si Ordinario ex propria notitia, & non ex alterius revelatione constaret de impedimento, debebit iis etiam ignorans dispensationem desuper obtentam esse, eos conjungere; eo quod nequeat esse simul testis, & Judex; ac proinde ejus scientia nullius sit efficaciæ ad impediendum matrimonium. Castropal. *num.* 7. citans Sanchez *disp.* 15. *num.* 14. Guttier. *cap.* 60. *num.* 5. Con. *disp.* 27. *d.* 7. *nu.* 59. & adducens simile de irregulari petente publice ordines, quem Episcopus ex irregularitate sibi soli nota nequit repellere juxta *c. ex tenore de temp. ord.* Verum hoc jus correctum esse, jure novo Trid. vi cujus talem Episcopus possit repellere, obstendunt alii.

QUÆSTIO CLXIII.

Quodnam dicendum matrimonium contractum clandestine in ordine ad incurrendas pœnas statutas clandestine contrahentibus.

1. RESP. primo: non videri clandestine contractum in ordine ad dictas pœnas matrimonium, quod juste seu sine culpa omissis denuntiationibus, consummatur dein illicite ante præmittendas denunciationes consummationi. Pœnæ illæ siquidem impositæ sunt injuste seu cum culpa clandestine seu omissis denuntiationibus contrahentibus. Sed tales non sunt, qui solum, postquam juste omissis denuntiationibus, præceptis alias præmitti ante contractum contraxerunt, dein omissis culpabiliter denuntiationibus præceptis præmitti consummationi, matrimonium contraxerunt.

2. Resp. secundo: Censeri matrimonium clandestine contractum in ordine ad has pœnas, quod, etsi celebratum coram Parocho & testibus, celebratum tamen est omissis culpabiliter denuntiationibus. Siquidem tale matrimonium jure antiquo agnitum est clandestinum clandestinitate, supra quam pœnæ statutæ clandestine contrahentibus cadebant, ut constat ex *cap. ultim. hoc tit.* a jure autem antiquo non est recedendum, nisi per novum expresse corrigatur. Neque obstat, Tridentinum matrimonia clandestina irritare; & tamen non irritare celebrata coram Parocho & testibus omissis denuntiationibus; quia non annullavit matrimonium quodcunque clandestinum, sed celebratum sine Parocho, etsi alias celebratum coram omni populo. Ita tenent Sanch. *L. 3. disp. 1. n. 7* Ponc. *L. 5. cap. 37. num. 7.* Gutt. *cap. 75. per tot.* Henriq. *L. 11. cap. 6. num. 2.* Castropal. §. 14. *num.* 1. Pirh. *hoc tit. num.* 38 contra Pet. Ledesm. *quæst.* 45. *art.* 5. Hurtad. *disp.* 5. *diff. ult.* Molin. *Tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 176. qui quia putant tale matrimonium non esse clandestinum, excusant illud a pœnis. Unde jam infertur cum Sanch. *l. c. d.* 1. *num* 10. contra Innoc. *in cit. c. fin. n.* 1. & Abb. *ibid. num.* 9. aliosque censeri clandestinum, si celebretur coram Parocho, & coram vicinia totaque civitate omissis denunciationibus. Licet enim in hoc casu celebretur publice publicitate simpliciter, non tamen publicitate legali, ea scilicet, quam jus exigerat, quam omissam punit; jus enim in hoc casu non punit defectum publicitatis utcunque, sed ejus, quam exigit pro tali actu, nempe publicitatem per denunciationes.

3 Resp. tertio: Matrimonium celebratum sine Parocho & testibus in locis, in quibus Trid. non receptum venit nomine clandestini in ordine ad pœnas incurrendas. Sed de hoc paulo post.

QUÆSTIO CLXIV.

Quæ pœna contrahentibus clandestine omissis denuntiationibus.

1. RESP. primo: Prima pœna est illegitimitas prolium natarum ex tali matrimonio, dum illud contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis vel affinitatis, non obstante bona fide parentum, dum nimirum contrahentes, vel saltem unus eorum ignoravit dictum impedimentum; cum alias filii nati ex matrimonio putatitio invalido ob dictum impedimentum stante bona fide parentum, sint legitimi *c. ult. h. t.* ubi: *Si quis hujusmodi clandestina vel interdicta matrimonia* (intellige facta sine denunciationibus) *inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium*: Et mox subjungitur ratio: *Cum illi taliter* (intellige omissis denunciationibus) *contrahentes non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur &c.* Siquidem probabilis ignorantia non est, si culpabiliter omittuntur, quæ requiruntur, & ut talia præcipiuntur. Estque talis ignorantia indirecte voluntaria, & dicitur affectata, ut patet ex recitato textu. Sanch. *l. 3. d.* 42. *n.* 2

2. Circa quam pœnam notandum primo; tale matrimonium clandestinum debere esse invalidum, alias ex eo nati non erunt illegitimi. Castr. *cit.* §. 14. *n.* 4. prout constat ex *cit. textu*.

3. Secundo notandum: Tametsi hæc pœna statuatur, dum matrimonium est invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, locum tamen etiam habeat, dum matrimonium est invalidum ob quodcunque aliud impedimentum dirimens, juxta tamen limitationem mox subjungendam, quia mentio de impedimento gradus prohibiti fit tantum exempli gratia. Ratio vero ibi expressa, nimirum, quod parentes affectatores ignorantiæ videantur, dum debitam & præscriptam in inquirendo diligentiam non habuerint, militat in omni alio impedimento. Sanch. *loc. cit. num.* 4. Con. *disp.* 27. *dub.* 9 *a n.* 77. Pirh. *h. t. num.* 37. Nihilominus Castrop. *l. c. nu.* 3. citans Ponc. *l.* 5. *c.* 37. *n.* 7. censet contrarium, nempe pœnam hanc illegitimitatis prolium tantum habere locum in contrahentibus clandestine in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito; eo quod textus id tantum exprimat, & pœnæ non sint extendendæ, etiam ubi eadem ratio procedit. Limitanda tamen & de aliorum AA. sententia, ut pœna locum habeat in aliis impedimentis dirimentibus, saltem iis, quæ per denunciationes suapte natura detegi seu cognosci possunt, secus de aliis, ut si V. Gr. matrimonium clandestinum sit nullum ob occultum defectum consensus in uno contrahentium, altero id ignorante; quia tunc cessat ratio citati textus nempe affectata ignorantia; cum hi contrahentes dici non possint affectasse ignorantiam, dum eorum alter omni adhibita diligentia id scire non potuerit. Sanch. *d.* 42. *n.* 5. quem sequitur Pirh. contrarium tamen sentiente Con. *l. c.* eo quod *c.* 2. *& penult. qui fil. sint legit.* privilegium illud legitimitatis concedatur iis solis, qui stante impedimento probabiliter ignorato seu bona fide nati ex matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, non vero clandestine omissis denunciationibus.

4. Notandum tertio: ad pœnam illam incurrendam requiri prolem susceptam ex tali conjugio invalido durante inhabilitate & clandestinitate; si enim tollatur clandestinitas, & publicetur matrimonium contractum, & insuper per sententiam judicetur ab Ecclesia validum, filii post talem publicationem & approbationem nati censentur legitimi, etsi dein & ex post detegatur impedimentum, quod casu & per accidens ante detectum non fuerat; ut expresse habetur *cap. quod nobis, qui filii sint legitimi*. Neque contrarium sequitur ex eo, quod nati ex conjugibus impedimenti consciis, etiamsi publice contrahant, & postmodum eorum matrimonium per dispensationem approbetur, sint & maneant illegitimi; quia matrimonium taliter contractum tam de facto, quam secundum eorum æstimationem erat invalidum; matrimonium vero ignorantium etsi culpabiliter suum impedimentum saltem secundum existimationem est validum; quare mirum non est, si talis defectus approbatione Ecclesiæ suppleatur. Castropal. *loc. cit. num.* 4.

5. Resp. secundo: Altera pœna est, ut contrahentes omissis denunciationibus in gradu prohibito etiam ignoranter (intellige culpabiliter, ex hoc, quod omiserint denunciationes) separandi sint sine spe obtinendi dispensationem; quia, ut inquit Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. non est dignus, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta contempsit; quod ita intelligendum, ut Papa se in dispensando præbiturus sit difficilem, nec credatur dispensaturus ex qualibet causa, sed solum ex gravi & urgente; ideoque dispensandus debeat quoque hujus delicti facere mentionem, alias dispensatio erit nulla. Sanch. *disp.* 25. *numer.* 3. Con. *loc. cit. dub.* 9. *num.* 81. Guttier. *cap.* 75. *num.* 2. Extendi quoque hanc pœnam ad quælibet alia impedimenta dirimentia, saltem ea, quæ per denunciationes detegi possunt, ait Pirh. *num.* 39. citato Sanch. *disp.* 42. *numer.* 7. eo quod licet statutum hoc sit pœnale, sit tamen in maximum animarum favorem, nempe ad vitanda matrimonia clandestina irrita, quæ passim spe dispensationis facile obtinendæ contrahebantur.

6. Resp. tertio: Insuper subduntur gravi pœnæ arbitrariæ, arbitrio nimirum Ordinarii infligendæ, & hunc sub gravi culpa teneri illos punire, satis indicant verba Trid. *nec non & ipsos contrahentes arbitrio Ordinarii graviter puniri præcipit*, Sanch. *disp.* 46. *num.* 7. Castropal. *loc. cit. num.* 10. Guttier. *cap.* 75. *numer.* 3. *&* 9. ait tamen Pirh. *num.* 40. hanc pœnam arbitrariam contrahentibus omissis denunciationibus non imponendam, sed tantum, quando contrahunt sine parocho & absque debito testium numero. Posse quoque Judicem sæcularem tales punire, ex Sanch. *l.* 3. *disp.* 54. *numer.* 4. ait Castropal. eo quod Judex talis habeat jurisdictionem in personam, ex altera parte constet de delicto; quin & posse illum cognoscere, si opus est, dum nimirum non constat, num clandestine contraxerint, tanquam probabile contra Covar. (qui tenet retinendam illam cognitionem ad Judicem ecclesiasticum) censet Castrop. eo quod licet cognitio causæ matrimonialis per se solis Episcopis concedatur, dum tamen cognitio non est de jure (qualis esset. V. g. dum cognosceretur, an matrimonium validum necne; quale matrimonium clandestinum &c. l. c.) sed de facto, nimirum num contraxerint clandestine, an peccaverint contra statuta Ecclesiæ, non sit, cur laicis denegetur hæc potestas, ut Sanch. *l. c.*

7. Resp. quarto: Contrahentibus matrimonium in gradu alias

du alias

do alias permisso ac licito, omissis tamen denunciationibus, prout præcipitur *c. cum inhibitio* imponenda est pœnitentia; quia adhuc contra interdictum Ecclesiæ, ejus præceptum contemnendo contrahunt. Pirh. *num.* 43. cum Gloss. *in cit. c. v. pœnitentia.*

QUÆSTIO CLXV.

Quænam pœnæ statutæ contrahentibus clandestine simpliciter, hoc est sine parocho vel testibus.

1. RESp. primo: Per modum præsuppositi: procedere hanc quæstionem solum de iis matrimoniis clandestinis simpliciter, quæ non obstante clandestinitate, erant alias, & modo sunt valida, intellige, in locis non recepti Trid. dum enim matrimonia ex dicta causa nulla sunt, cessat tota ratio legis pœnalis, utpote cujus finis directus erat, metu talium pœnarum deterrere ab illis matrimoniis simpliciter clandestinis valide, sed illicite contractis; ne, cum de matrimonio contracto non constaret, veri conjuges ab invicem recedentes, & alia conjugia publice contrahentes in perpetuis viverent adulteriis, Ecclesia non valente huic malo occurrere propter defectum notitiæ primi matrimonii, utpote clandestine sine testibus contracti, hoc supposito

2. Resp. secundo: Probabilius videri ex tali matrimonio clandestine, sed invalide contracto, nimirum in locis, ubi viget Trid. non incurri pœnas illas olim statutas simpliciter clandestine contrahentibus; quia ex talibus matrimoniis, utpote irritis, non jam sequuntur ista mala, nimirum adulteria, quæ alias, dum valida erant istiusmodi matrimonia, conjugibus veris a se recedentibus sequebantur; Unde licet matrimonium contrahere clandestine invalide gravius videatur peccatum in se & absolute, quam contrahere illud valide, nimirum in locis, ubi Trid. receptum non est, non est tamen gravius quo ad Ecclesiam, & relate ad dicta mala, ad quæ declinanda illud ita ab Ecclesia punitur. Sed neque pænæ, quæ quandoque statuuntur propter solum factum aut pravum animum facientis, licet factum illud careat effectu juris, hoc est, valore, locum habent, nisi jus ipsum hoc exprimat, nimirum, quod velit punire etiam tale factum carens valore. Hinc deduco, &

3. Resp. tertio: Contrahentes simpliciter clandestine, valide tamen, nimirum in locis, ubi Trid. receptum non est, adhuc hodiedum incurrunt pœnas statutas contrahentibus simpliciter clandestine; quia lex illa pænalis ob dicta mala inde provenientia respicit factum cum effectu juris seu valore. Nihilominus tamen etiam contrahentes simpliciter clandestine invalide. Trid. *c. c.* 1. præcipit graviter puniri ab ordinariis.

QUÆSTIO CLXVI.

Quæ sit pæna parochi vel alterius Sacerdotis assistentis matrimonio clandestino.

1. RESp. primo: In *c. cum inhibitio h. t.* statuitur hæc pœna, ut tali per triennium suspendatur ab officio, circa quam pænam notanda veniunt sequentia, primo habere illam adhuc hodie post Trid. locum in assistente parocho vel alio Sacerdote, sive sæculari, sive regulari de parochi aut Ordinarii licentia matrimoniis clandestinis ob omissas denunciationes, adeoque validis; quia Trid. ex una parte de hoc nullam decrevit pænam; ex altera parte dicit se inhærere vestigiis Concilii Lateranensis, ex quo desumptum est *c. cum inhibitio*. Sanch. *d.* 48. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 42. Eandem pænam *ead. c.* statutam parocho & alteri Sacerdoti assistenti matrimonio clandestino ob non adhibitos in requisito numero testes perdurare adhuc hodiedum censent plures apud Sanch. eo quod Trid. dicat se inhærere vestigiis Concil. Lateran. Censent econtra Sanch. *n.* 4. Castrop. *n.* 23. Pont. *l.* 5. *c.* 37. *n.* 11. illam a Trid. revocatam, dum statuit, parochum aliosve, qui interfuerunt istiusmodi ob dictam rationem clandestinis matrimoniis, pro arbitrio ordinarii graviter puniendos; siquidem quando minor pæna imponitur nova lege ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur lege antiqua, tunc cesset pæna legis antiquæ; quod ipsum tamen nondum sufficienter probatum ait Pirh. *l. c.*

2. Notandum secundo: Dictam pœnam extendi a Sanch. quotiescunque interfuit matrimonio a jure interdicto. V. G. si vagos absque licentia Ordinarii conjungat, contra tenet Castrop. eo quod textus *cit. c.* tantum loquatur de matrimoniis, quæ ob suspicionem impedimenti dirimentis interdicta sunt.

3. Notandum tertio, dictam pænam locum non habere modo, si parochus alienus, vel quicunque alius Sacerdos sine proprii parochi licentia intersit tali matrimonio, cum enim tale matrimonium sit invalidum, ideo pænæ olim impositæ assistenti tali matrimonio, quod tunc erat validum, non incurruntur. Sanch. *cit. d.* 48. *n.* 6. Pirh *n.* 42. Nihilominus talem suspensum esse ab officio & beneficiis, quousque Ordinario illius parochi, qui debebat assistere, visum fuerit, a qua suspensione tamen excusat ignorantia, modo crassissima non sit, ait Castrop. *num.* 25.

4. Notandum quarto, talem suspensum ab officio, hoc est, ab officio & exercitio ordinis clericalis, non esse suspensum a beneficio, hoc est, a perceptione fructuum beneficii; cum hæ sint suspensiones distinctæ, & *in cit. c. cum inhibitio*; non exprimatur nisi suspensio ab officio, Pirh. *n.* 43. citans Sanch. *l.* 3. *d.* 52. *n.* 14. qui tamen addit, posse Judicem suspendere talem etiam a beneficio, si culpæ gravitas id exigeret, juxta §. *fin. cit. c. cum inhibitio.*

5. Notandum quinto, de cætero suspensionem illam triennalem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ per Judicem, ut constat ex textu *cit. c.* ubi dicitur: *feratur*; quod actum seu ministerium Judicis in futurum significat & exigit. Sanch. *cit. d.* 48. *n.* 2. Castrop. *n.* 12. Pirh. *n.* 42. Pont. *l. c.*

6. Notandum denique, ab ista triennali suspensione Episcopum non posse absolvere. Sanch. *l.* 3. *d.* 52. *n.* x. Gutt. *c.* 75. *n.* xx. Pont. *cit. n.* 11. Castrop. *n.* 14. Pirh. *n.* 44. Item Jo-And. Host. Præposit. *in cit. c.* eo quod suspensio illa lata ab ipso Concilio Generali, & quidem præfixo tempore, quo durare debet; Episcopus autem in lege seu decreto Concilii generalis dispensare nequeat; unde licet ipse tulerit illam suspensionem; quia tamen id fecit, non tanquam principalis, sed tanquam minister Concilii generalis, eam relaxare non poterit, & licet absolvere possit a suspensione lata a jure indefinite, nullo designato tempore, id tamen non potest, ubi adjectus certus terminus durationis suspensionis; Ac denique nec vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolvere potest ab omnibus censuris, etiam reservatis Pontifici; sed ab iis solis, quæ nec publicæ, nec ad forum externum deductæ; hæc autem triennalis suspensio, cum, ut dictum, non incurratur ipso facto, sed per sententiam Judicis jam est sententia publica, & ad forum exterum deducta. Castrop. &c.

QUÆSTIO CLXVII.

Quæ pænæ testium assistentium matrimonio contracto absque parocho, vel contracto omissis culpabiliter denunciationibus.

RESp. sunt puniendi arbitrio Ordinarii; neque enim illis alia statuta pæna. Sanch. *d.* 46. *num.* 7. Gutt. *c.* 75. *n.* 9. Castrop. *num.* 25.

QUÆSTIO CLXVIII.

Quæ pænæ per calumniam seu malitiam denunciantis impedimentum ad impediendum matrimonium.

RESp. Eum puniendum canonice pro arbitrio Judicis, cum pæna specialis non sit in jure expressa. Pirh. *n.* 43. qui tamen addit ex 2. *c. de calumniator.* calumniose denunciantem suspendendum ab officio & beneficio, donec se purgaverit.

QUÆSTIO CLXIII.

Quodnam dicendum matrimonium contractum clandestine in ordine ad incurrendas pœnas statutas clandestine contrahentibus.

1. RESP. primo: non videri clandestine contractum in ordine ad dictas pœnas matrimonium, quod juste seu sine culpa omissis denuntiationibus, consummatur dein illicite ante præmittendas denunciationes consummationi. Pœnæ illæ siquidem impositæ sunt injuste seu cum culpa clandestine seu omissis denunciationibus contrahentibus. Sed tales non sunt, qui solum, postquam juste omissis denuntiationibus, præceptis alias præmitti, ante contractum contraxerunt, dein omissis culpabiliter denuntiationibus præceptis præmitti consummationi, matrimonium contraxerunt.

2. Resp. secundo: Censeri matrimonium clandestine contractum in ordine ad has pœnas, quod, etsi celebratum coram Parocho & testibus, celebratum tamen est omissis culpabiliter denuntiationibus. Siquidem tale matrimonium jure antiquo agnitum est clandestinum clandestinitate, supra quam pœnæ statutæ clandestine contrahentibus cadebant, ut constat ex *cap. ultim. hoc tit.* a jure autem antiquo non est recedendum, nisi per novum expresse corrigatur. Neque obstat, Tridentinum matrimonia clandestina irritare; & tamen non irritare celebrata coram Parocho & testibus omissis denuntiationibus; quia non annullavit matrimonium quodcunque clandestinum, sed celebratum sine Parocho, etsi alias celebratum coram omni populo. Ita tenent Sanch. *L. 3. disp. 1. n. 7* Ponc. *L. 5. cap. 37. num. 7* Gutt. *cap. 75. per tot.* Henriq. *L. 11. cap. 6. num. 1* Castropal. §. 14. *num. 1.* Pirh. *hoc tit. num. 38* contra Pet. Ledesm. *quæst. 45. art. 5.* Hurtad. *disp. 5. diff. ult.* Molin. *Tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 176. qui quia putant tale matrimonium non esse clandestinum, excusant illud a pœnis. Unde jam infertur cum Sanch. *l. c. d. 1. num* 10. contra Innoc. *in cit. c. fin. n. 1.* & Abb. *ibid. num. 9.* aliuique censeri clandestinum, si celebretur coram Parocho, & coram vicinia totaque civitate omissis denunciationibus. Licet enim in hoc casu celebretur publice publicitate simpliciter, non tamen publicitate legali, ea scilicet, quam jus desiderat, quam omissam punit; jus enim in hoc casu non punit defectum publicitatis utcunque, sed ejus, quam exigit pro tali actu, nempe publicitatem per denunciationes.

3 Resp. tertio: Matrimonium celebratum sine Parocho & testibus in locis, in quibus Trid. non receptum venit nomine clandestini in ordine ad pœnas incurrendas. Sed de hoc paulo post.

QUÆSTIO CLXIV.

Quæ pœna contrahentibus clandestina omissis denunciationibus.

1. RESP. primo: Prima pœna est illegitimitas prolium natarum ex tali matrimonio, dum illud contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis vel affinitatis, non obstante bona fide parentum, dum nimirum contrahentes, vel saltem unus eorum ignoravit dictum impedimentum; cum alias filii nati ex matrimonio putativo invalido ob dictum impedimentum stante bona fide parentum, sint legitimi *c. ult. h. t.* ubi: *Si quis hujusmodi clandestina vel interdicto matrimonia* (intellige facta sine denunciationibus) *inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium*: Et mox subjungitur ratio: *Cum illi taliter* (intellige omissis denunciationibus) *contrahentes non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur &c.* Siquidem probabilis ignorantia non est, si culpabiliter omittantur, quæ requiruntur, & ut talia præcipiuntur. Estque talis ignorantia indirecte voluntaria, & dicitur affectata, ut patet ex recitato textu. Sanch. *l. 3. d. 42. n. 2*

2. Circa quam pœnam notandum primo; tale matrimonium clandestinum debere esse invalidum, alias ex eo nati non erunt illegitimi. Castr. *cit.* §. 14. *n. 4.* prout constat ex *cit. textu.*

3. Secundo notandum: Tametsi hæc pœna statuatur, dum matrimonium est invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, locum tamen etiam habeat, dum matrimonium est invalidum ob quodcunque aliud impedimentum dirimens, juxta tamen limitationem mox subjungendam, quia mentio de impedimento gradus prohibiti sit tantum exempli gratia. Ratio vero ibi expressa, nimirum, quod parentes affectatores ignorantiæ videantur, dum debitam & præscriptam in inquirendo diligentiam non habuerint, militat in omni alio impedimento. Sanch. *loc. cit. num. 4.* Con. *disp. 27. dub. 9. a n. 77.* Pirh. *h. t. num. 37.* Nihilominus Castrop. *l. c. nu. 3.* citans Ponc. *l. 5. c. 37. n. 7.* censet contrarium, nempe pœnam hanc illegitimitatis prolium tantum habere locum in contrahentibus clandestine in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito; eo quod textus id tantum exprimat, & pœnæ non sint extendendæ, etiam ubi eadem ratio procedit. Limitanda tamen & de aliorum AA. sententia, ut pœna locum habeat in aliis impedimentis dirimentibus, saltem iis, quæ per denunciationes suapte natura detegi seu cognosci possunt, secus de aliis, ut si V. Gr. matrimonium clandestinum sit nullum ob occultum defectum consensus in uno contrahentium, altero id ignorante; quia tunc cessat ratio citati textus nempe affectata ignorantia; cum hi contrahentes dici non possint affectasse ignorantiam, dum eorum alter omni adhibita diligentia id scire non potuerit. Sanch. *d. 42. n. 5.* quem sequitur Pirh. contrarium tamen sentiente Con. *l. c.* eo quod *c. 2. & penult. qui fil. sint legit.* privilegium illud legitimitatis concedatur iis solis, qui stante impedimento probabiliter ignorato seu bona fide nati ex matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, non vero clandestine omissis denunciationibus.

4. Notandum tertio: ad pœnam illam incurrendam requiri prolem susceptam ex tali conjugio invalido durante inhabilitate & clandestinitate; si enim tollatur clandestinitas, & publicetur matrimonium contractum, & insuper per sententiam judicetur ab Ecclesia validum, filii post talem publicationem & approbationem nati censentur legitimi, etsi dein & ex post detegatur impedimentum, quod casu & per accidens ante detectum non fuerat; ut expresse habetur *cap. quod nobis, qui filii sint legitimi.* Neque contrarium sequitur ex eo, quod nati ex conjugibus impedimenti consciis, etiamsi publice contrahant, & postmodum eorum matrimonium per dispensationem approbetur, sint & maneant illegitimi; quia matrimonium taliter contractum tam de facto, quam secundum eorum æstimationem erat invalidum; matrimonium vero ignorantium etsi culpabiliter suum impedimentum saltem secundum existimationem est validum; quare mirum non est, si talis defectus approbatione Ecclesiæ suppleatur. Castropal. *loc. cit. num. 4.*

5. Resp. secundo: Altera pœna est, ut contrahentes omissis denunciationibus in gradu prohibito etiam ignoranter (intellige culpabiliter, ex hoc, quod omiserint denunciationes) separandi sint sine spe obtinendi dispensationem; quia, ut inquit Trid. *sess. 24. cap. 5.* non est dignus, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta contempsit; quod ita intelligendum, ut Papa se in dispensando præbiturus sit difficilem, nec credatur dispensaturus ex qualibet causa, sed solum ex gravi & urgente; ideoque dispensandus debeat quoque hujus delicti facere mentionem, alias dispensatio erit nulla. Sanch. *disp. 45. numer. 3.* Con. *loc. cit. dub. 9. num. 81.* Guttier. *cap. 75. num. 2.* Extendi quoque hanc pœnam ad quælibet alia impedimenta dirimentia, saltem ea, quæ per denunciationes detegi possunt, ait Pirh. *num. 39.* citato Sanch. *disp. 42. numer. 7.* eo quod licet statutum hoc sit pœnale, sit tamen in maximum animarum favorem, nempe ad vitanda matrimonia clandestina irrita, quæ passim spe dispensationis facile obtinendæ contrahebantur.

6. Resp. tertio: Insuper subduntur gravi pœnæ arbitrariæ, arbitrio nimirum Ordinarii infligendæ, & hunc sub gravi culpa teneri illos punire, satis indicant verba Trid. *nec non & ipsos contrahentes arbitrio Ordinarii graviter puniri præcipit*, Sanch. *disp. 46. num. 7.* Castropal. *loc. cit. num. 10.* Guttier. *cap. 75. numer. 3. & 9.* ait tamen Pirh. *num. 40.* hanc pœnam arbitrariam contrahentibus omissis denunciationibus non imponendam, sed tantum, quando contrahunt sine parocho & absque debito testium numero. Posse quoque Judicem sæcularem tales punire, ex Sanch. *l. 3. disp. 54. numer. 4.* ait Castropal. eo quod Judex talis habeat jurisdictionem in personam, ex altera parte constet de delicto; quin & posse illum cognoscere, si opus est, dum nimirum non constat, num clandestine contraxerint, tanquam probabile contra Covar. (qui tenet retinendam illam cognitionem ad Judicem ecclesiasticum) censet Castrop. eo quod licet cognitio causæ matrimonialis per se solis Episcopis concedatur, dum tamen cognitio non est de jure (qualis esset. V. g. dum cognosceretur, an matrimonium validum necne; quale matrimonium clandestinum &c. l. c.) sed de facto, nimirum num contraxerint clandestine, an peccaverint contra statuta Ecclesiæ, non sit, cur laicis denegetur hæc potestas, ut Sanch. *l. c.*

7. Resp. quarto: Contrahentibus matrimonium in gradu alias

do alias permisso ac licito, omissis tamen denonciationibus, prout præcipitur *c. cum inhibitio* imponenda est pœnitentia; quia adbuc contra interdictum Ecclesiæ, ejus præceptum contemnendo contrahont. Pirh. *num.* 43. cum Gloss. *in cit. c. v. pœnitentia*.

QUÆSTIO CLXV.

Quænam pœnæ statutæ contrahentibus clandestine simpliciter, hoc est sine parocho vel testibus.

1. RESp. primo: Per modum præsuppositi: procedere hanc quæstionem solum de iis matrimoniis clandestinis simpliciter, quæ non obstante clandestinitate, erant alias, & modo sunt valida, intellige, in locis non recepti Trid. dum enim mattimonia ea dicta causa nolla sunt, cessat tota ratio legis pœnalis, utpote cujus finis directus erat, metu talium pœnarum detertere ab illis matrimoniis simpliciter clandestinis valide, sed illicite contractis; ne, con de mattimonio contracto non constaret, veri coojuges ab invicem recedentes, & alia conjugia publice contrahentes io perpetuis viverent adulteriis, Ecclesia non valente huic malo occurrere propter defectum ootitiæ primi matrimonii, utpote clandestine sine testibus contracti, hoc supposito

2. Resp. secundo: Probabilius videri sa tali matrimonio clandestine, sed invalide contracto, nimirum in locis, ubi viget Trid. noo incurri pœnas illas olim statutas simpliciter clandestine contrahentibus; quia ea talibus matrimoniis, utpote irritis, non jam sequuntur ista mala, nimirum adulteria, quæ alias, dum valida erant istiusmodi matrimonia, conjugibus veris a se recedentibus sequebantur; Unde licet matrimooium contrahere clandestine iovalide gravius videatur peccatum in se & absolute, quam contrahere illud valide, nimirum in locis, ubi Trid. receptum non est, non est tameo gravius quo ad Ecclesiam, & relate ad dicta mala, ad quæ declinanda illud ita ab Ecclesia punitur. Sed neque pœnæ, quæ quandoque statuuntur propter solum factum aut pravum animum facientis, licet factum illud careat effectu juris, hoc est, valore, locum habent, nisi jus ipsum hoc exprimit, nimirum, quod velit punire etiam tale factum carens valore. Hinc deduco, &

3. Resp. tertio: Contrahentes simpliciter clandestine, valide tameo, nimirum in locis, ubi Trid. receptum non est, adbuc hodiedum incurrunt pœnas statutas contrahentibus simpliciter clandestine; quia lex illa pœnalis ob dicta mala inde provenientia respicit factum cum effectu juris seu valore. Nihilominus tamen etiam contrahentes simpliciter clandestine invalide. Trid. *c. c.* 1. præcipit graviter puniri ab ordinariis.

QUÆSTIO CLXVI.

Quæ sit pœna parochi vel alterius Sacerdotis assistentis matrimonio clandestino.

1. RESp. primo: In *c. cum inhibitio h. t.* statuitur hæc pœna, ut tali per triennium suspendatur ab officio, circa quam pœnam notanda veniunt sequentia, primo habere illam adbuc hodie post Trid. locum io assistente parocho vel alio Sacerdote, sive sæculari, sive regulari de parochi aut Ordinarii liceotia matrimoniis clandestinis ob omissas denunciationes, adeoque validis; quia Trid. ex una parte de hoc nullam decrevit pœnam; ea altera parte dicit se inhærere vestigiis Concilii Lateranensis, ex quo desumptum est *c. cum hibitio*. Sanch. *d.* 48. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 42. Eandem pœnam *eod. c.* statutam parocho & alteri Sacerdoti assistenti matrimonio clandestino ob non adbibitos in requisito numero testes perdurare adhuc hodiedum censent plures apud Sanch. eo quod Trid. dicat se inhærere vestigiis Concil. Lateran. Censent econtra Sanch. *n.* 4. Castrop. *n.* 13. Pont. *l.* 5. *c.* 37. *n.* 11. illam a Trid. revocatam, dum statuit, parochum aliosve, qui interfuerunt istiusmodi ob dictam rationem clandestinis matrimoniis, pro arbitrio ordinarii graviter puniendos; siquidem quando minor pœna imponitur nova lege ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur lege antiqua, tunc cesset pœna legis antiquæ; quod ipsum tamen nondum sufficienter probatum ait Pirh. *l. c.*

2. Notandum secundo: Dictam pœnam extendi a Sanch. quotiescunque interfuit matrimonio a jure interdicto. V. G. si vagos absque licentia Ordinarii conjungat, contra tenet Castrop. eo quod textus *cit. c.* tantum loquatur de matrimoniis, quæ ob suspicionem impedimenti dirimentis interdicta sunt.

3. Notandum tertio, dictam pœnam locum non habere modo, si parochus alienus, vel quicunque alius Sacerdos sine proprii parochi licentia intersit tali matrimonio, cum enim tale matrimonium sit invalidum, ideo pœnæ olim impositæ assistenti tali matrimonio, quod tunc erat validum, non incurruntur. Sanch. *cit. d.* 48. *n.* 6. Pirh. *n.* 42. Nihilominus talem suspensum esse ab officio & beneficiis, quousque Ordinario illius parochi, qui debebat assistere, visum fuerit, a qua suspensione tamen excusat ignorantia, modo crassissima non sit, ait Castrop. *num.* 15.

4. Notandum quarto, talem suspensum ab officio, hoc est, ab officio & exercitio ordinis clericalis, non esse suspensum a beneficio, hoc est, a perceptione fructuum beneficii; cum hæ sint suspensiones distinctæ, & *in cit. c. cum inhibitio*; non exprimatur nisi suspensio ab officio, Pirh. *n.* 43. citans Sanch. *l.* 3. *d.* 58. *n.* 14. qui tameo addit, posse Judicem suspendere talem etiam a beneficio, si culpæ gravitas id exigeret, juxta *§. fin. cit. c. cum inhibitio*.

5. Notandum quinto, de cætero suspensionem illam triennalem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ per Judicem, ut constat ex textu *cit. c.* ubi dicitur: *feratur*; quod actum seu ministerium Judicis in futurum significat & exigit. Sanch. *cit. d.* 48. *n.* 2. Castrop. *n.* 12. Pirh. *n.* 42. Pont. *l. c.*

6. Notandum denique, ab ista triennali suspensione Episcopum non posse absolvere. Sanch. *l.* 3. *d.* 52. *n.* 2. Gutt. *c.* 75. *n.* 15. Pont. *cit. n.* 11. Castrop. *n.* 14. Pirh. *n.* 42. Item Jo. And. Host. Præposit. *in cit. c.* eo quod suspensio illa lata ab ipso Concilio Generali, & quidem præfixo tempore, quo durare debet; Episcopus autem in lege seu decreto Concilii generalis dispensare nequeat; unde licet ipse tolerit illam suspensionem; quia tamen id fecit, non tanquam principalis, sed tanquam minister Concilii generalis, eam relaxare non poterit, & licet absolvere possit a suspensione lata a jure indefinite, nullo designato tempore, id tamen non potest, ubi adjectus certus terminus durationis suspensionis; Ac denique nec vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolvere potest ab omnibus censuris, etiam reservatis Pontifici; sed ab iis solis, quæ nec publicæ, nec ad forum externum deductæ; hæc autem triennalis suspensio, cum, ut dictum, non incurratur ipso facto, sed per sententiam Judicis jam est sententia publica, & ad forum exterum deducta. Castrop. &c.

QUÆSTIO CLXVII.

Quæ pœnæ testium assistentium matrimonio contracto absque parocho, vel contracto omissis culpabiliter denunciationibus.

RESp. sunt puniendi arbitrio Ordinarii; neque enim illis alia statuta pœna. Sanch. *d.* 46. *num.* 7. Gutt. *c.* 75. *n.* 9. Castrop. *num.* 15.

QUÆSTIO CLXVIII.

Quæ pœnæ per calumniam seu malitiam denunciantis impedimentum ad impediendum matrimonium.

RESp. Eum puniendum canonice pro arbitrio Judicis, cum pœna specialis non sit in jure expressa. Pirh. *n.* 43. qui tamen addit ex 1. *c. de calumniator.* calumniose denunciantem suspendendum ab officio & beneficio, donec se purgaverit.

TITULUS IV.

De Sponsa duorum

QUÆSTIO CLXIX.

An & quæ pluralitas obstet Sponsalibus tam de futuro, quam de præsente, seu matrimonio.

1. RESp. primo; sponsalia de futuro celebrari cum pluribus pro eodem tempore simul subsistentia, seu haberi simul plures sponsos aut sponsas de futuro non posse, vel ex eo patet, quod cum pluribus sponsalia de præsente seu matrimonium, ubi per sponsalia de futuro promittitur singulis, celebrari nequeant; quare vel sponsalia prius contracta per posteriora dissolvi (quod quando & qualiter fiat, vide *q. praced.* 60.) vel posteriora nulla esse necesse est.

2. Resp. secundo: Unitati matrimonii non obstat, quod dissoluto prioris matrimonii per mortem vinculo, alter seu superstes aliud ineat; quia & hoc est contractus unius cum una, verumque de eo dicitur *Genes.* 2. *erunt duo in carne una*. Bellarm. *l.* 3. *de matr. c.* 9. Sanch. *l.* 7. *d.* 81. Castrop. *d.* 3. *p.* 1. *n.* 1. cum communi; licitumque fuisse semper tam in lege veteri quam nova procedere hac ratione ad secundum, tertium, quartum ac sic deinceps matrimonium, constat ex omnium gentium consuetudine, & ex illo 1. *ad Cor.* 7. *mulier alligata est lege, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, & cui vult, nubat.*

3. Resp. tertio: Solum igitur unitati matrimonii obstat polygamia, hoc est, dum vir unus simul habet plures uxores, vel una mulier plures viros.

QUÆSTIO CLXX.

Polygamia quo jure sit prohibita.

1. RESp. primo: Polygamiam seu unum virum habere simul plures uxores a lege divina prohibitum esse, est de fide definitum in Trid. *sess.* 24. *c.* 2. ubi: si quis dixerit, licere Christianis simul habere plures uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit. Ac ita Christus *Matth.* 19. decidit, adulterum esse, qui dimissa prima uxore aliam duxerit; sed non esset adulter, si una uxore vivente, & non soluto matrimonio cum illa posset ducere plures uxores. Porro hæc lex divina promulgata *Genes.* 2. *erunt duo in carne una* (dum enim vir unus habet uxores plures eodem tempore, jam non sunt duo, sed potius unus in plures carnes dividitur, ut Innoc. III. *in c. gaudemus, de divort.*) statim ab initio mundi obligavit, ut constat ex illis Christi *l. c. ab initio autem non fuit sic*. Unde jam etiam Papa in polygamia ex nulla causa dispensare potest; cum potestas illa ei a Christo concessa non sit, nec ulla hujus concessionis congruentia appareat, ut inquit Castr. *loc. cit. num.* 5.

2. Resp. Tametsi sint, qui cum Abulensi 1. *Reg. c.* 8. *qu.* 25. Durand. *in* 3. *d.* 33. *q.* 1. Cajet. *c.* 16. *in Genes.* (quibus Castrop. *n.* 4. ait favere S. August. *l.* 16. *de civit. Dei c.* 38.) lege divina solum positiva, non naturali prohiberi pluralitatem uxorum, communior tamen, quam sequuntur Sanch. *l.* 7. *d.* 80. *a n.* 12. Bellarm. *l.* 1. *de matr. c.* 11. Pont. *l.* 7. *c.* 46. *a n.* 2. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *q.* 2. Gott. *de matr. c.* 106. *n.* 3. Castrop. *cit. n.* 4. habet, prohiberi eam etiam lege naturali; eo quod gravissima inde mala oriantur; siquidem pluralitas uxorum fovet libidinem, prolis generationem minuit, concupiscentiæ uxoris non satis consulit; cum vir divisus in plures alias non sit satis potens reddere singulis debitum. Rixas & discordias inter uxores excitat, æqualitatem contractus matrimonialis tollit, dum quælibet uxor se integre tradit viro, secus vir; cum in plures dividatur.

QUÆSTIO CLXXI.

An in polygamia dispensavit Deus, & qualiter, si jure naturæ illicita, dispensare potuerit, & quando hæc dispensatio cessaverit.

1. RESp. ad primum: Dispensavit Deus in hac lege cum populo Israelitico, ut supponitur *Deuter.* 31. & colligitur ab exemplo Isaaci, Jacobi, Davidis, aliorumque sanctissimorum Patriarcharum, qui plures habuerunt uxores, quod utique non fecissent, si fuisset contra legem divinam, ut D. Hieron. *in epist. ad Ocean.* & S. August. *l.* 3. *de doctrin. Christ. c.* 12. Non vero dispensavit in hac Deus cum gentilibus; sed hi quia licitum sibi esse credebant exemplo populi Israelitici plures quoque accipiebant, ut colligitur ex *c.* 26. & 28. *Gen.* & notavit S. Aug. *l.* 16. *de civit. Dei, c.* 38. Castrop. *l. c. num.* 3. Sanch. *d.* 80. *n.* 11. Porro ex his uxoribus quædam dicebantur concubinæ, non quia uxores non erant: sed quia tantum ad prolis generationem assumptæ; illa vero uxor dicebatur, quæ & insuper assumpta ad familiæ gubernationem tanquam mater familias; sed neque earum filii hæredes paternorum bonorum esse poterant, manebantque ancillæ etiam post nuptias, admissæ tamen in legitimam thori societatem. Laym. *l. c. n.* 8. Pirh. *de spons. & matr. n.* 129. Menoch. *in c.* 25. *Gen. v.* 6.

2. Resp. ad secundum: Potuit autem in hac lege naturali dispensare Deus ob finem honestissimum, nimirum ob favorem populi Israelitici, ut is, qui exiguus erat, multiplicaretur, & de quo ipse nasciturus; quia dum penes ipsum est dominium corporum nostrorum, potuit usum illorum in matrimonium hoc vel illo modo concedere; adeoque postquam semel concessit potestatem illorum in ordine ad generationem non nisi medio conjugio unius cum una ob dicta incommoda, poterat nihilominus dein permittere, ut vir se dimidiate cuilibet uxori traderet, uxore qualibet integre se tradente viro; non enim juri naturali repugnat, ob aliquem finem honestum pericula aliquorum damnorum permittere, sicut permittere potest innocentis occisionem, bonorum alienorum acceptionem; ita fere Pont. Sanch. Laym. *L.L. cit.* Castrop. *cit. n.* 4. sed neque polygamia ita juri naturæ repugnat, ut nullo casu cohonestari & licita fieri possit, sicut blasphemia, perjurium, mendacium; sive polygamia, non est ex proprio objecto suo intrinsece mala, sed solum ex adjunctis ordinarie incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel aliis mediis compensari possunt. Pirh. *l. c.* citatis Sanch. *ubi ante n.* 8. Laym. *n.* 7. Cov. *in epito. l.* 4. *p.* 2. *c.* 7. §. 3. *nu.* 1. Unde jam infertur, quod tametsi matrimonium unius mulieris cum pluribus viris forte plura post se trahat incommoda, & repugnet primario fini matrimonii, qui est generatio prolis, utpote quæ incerta erit, & ex commixtione plurium virorum impeditur, ut vel nunquam vel rarius subsequatur; item fini secundario, nimirum tranquillæ cohabitationi & paci conjugum; ubi enim multa capita sunt unius corporis, nempe multi viri in familia, ibi innumeræ rixæ; propter quod & nunquam permissum in antiqua lege fuit tale conjugium unius feminæ cum pluribus maritis. Sanch. *l. c. nu.* 4. &c. Nihilominus & Deum ex fine honesto ipsi noto dispensare quoque potuisse in tali polygamia unius fæminæ cum pluribus viris. Sanch. Laym. Punt. Castrop. *L.L. cit.*

3. Resp. tertio: Certum esse dictam dispensationem seu concessionem plurium uxorum cessare a lege Evangelica, ut constat ex illo *Matth.* 5. & 19. ubi Christus matrimonium reduxit, ad primævam sui institutionem. Castrop. *n.* 5. juxta *c. gaudemus, de divortiis* & Trid. *sess.* 24. *c.* 2. Unde & infideles ad fidem conversi cogendi sunt, ut solum primam uxorem retineant aliis dimissis. Pirh. *l. c. n.* 130. Porro nulla deinceps consuetudine effici potest polygamia licita; quia nulla consuetudo juri divino & naturali derogare potest, Sanch. *cit. d.* 8. *nu.* 14. Pirh. *loc. cit.*

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione aliisque contractibus.

QUÆSTIO CLXXII.

An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione honesta de præterita, præsente & futura.

1. RESP. ad primum: Matrimonium celebratum sub conditione de præsente vel præterito non suspenditur, sed actu contrahitur, vel non contrahitur, prout conditio extitit vel non extitit, conditio siquidem si præsens est vel præterita, contractum non suspendit, sed purum relinquit; unde & talis contractus non est proprie conditionalis; cum natura conditionis sit suspendere actum, usque ad eventum illius *Inst. de V. O. §. sub conditione*. Sed neque ut tale matrimonium actu valeat requiritur, ut conditionis existentia contrahentibus sit nota. Sanch. *l. 5. d. 7.* Gasp. Hurt. *d. 7. diff.* 2. Castrop. *p.* 11. *§.* 1. *nu.* 3. contra Con. *dist.* 29. *du.* 1. *n.* 6. Tametsi enim nota non sit conditionis existentia aut præteritio, est tamen notus utrique consensus sub conditionis existentia aut præteritione, non sub conditionis notitia. Neque etiam consentiunt in matrimonium sub conditione nobilitatis. V. G. vel virginitatis notæ, sed sub conditione nobilitatis existentis, adeoque consensus utrique notus est, si nobilitas existat. Hoc verum est, quandiu existentia conditionis nota non est, tamdiu non constare, an actu sit matrimonium. Sed nec prius consummari posse, & prius habita copula tempore non existentis conditionis, matrimonium manere actu nullum & exinde non evadere actu validum.

2. Resp. ad secundum primo: Nullibi prohibitum (adeoque licitum juxta illud Gloss. *in cap. inter corporalia, de transl. Episcop. vers. non invenitur; concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*) contrahere matrimonium sub conditione non secus de futuro ac de præsente ac præterito ignoto; ob plurima tamen incommoda consultum non esse contrahere matrimonium sub conditione de futuro nisi specialis urgeat causa aut necessitas, ut cum aliis Gobath. *tr.* 9. *num.* 138. suadens etiam parochis, ne tali matrimonio assistant.

3. Resp. ad secundum secundo: Matrimonium celebratum sub conditione honesta necessario futura, ac ut tali ab utroque contrahentium cognita non suspenditur a conditionis eventu: eo quod talis conditio non tam ad suspendendum consensum, quam ad ejus certitudinem demonstrandam apposita censeri debet, ita ut sensus verborum sit: sicut certum est, hoc vel illud futurum, ita certum esse volo, me te accipere in uxorem. Sanch. *L.* 5. *dist.* 2. *num.* 6. Rebell. *part.* 2. *de oblig. Just. L.* 2. *quæst.* 10. *num.* 13. Castropal. *loc. cit. numer.* 2. Idemque esse de conditione contingente, infallibiliter tamen futura. V. G. si Antichristus venerit, docent Sanch. *loc. cit.* Castropal. *loc. cit.* Rebell. *loc. cit. num.* 14. contra Pont. *l.* 3. *c.* 1. *num.* 13. Henriq. *L.* 11. *de matrim. cap.* 12. *num.* 4. *&c.* putantes suspendi consensum usque ad conditionis adventum propter incertitudinem, quo die eventura. V. Gr. quo die venturus sit Antichristus; verum non contrahitur sub hac incertitudine; cum non dicas te ducere Mariam, si intra tale tempus Antichristus nascatur; sed simpliciter: si Antichristus nascatur; quod certum est & infallibile, & sic cognitum.

4. Resp. ad secundum tertio: Matrimonium celebratum sub conditione honesta contingenter futura suspenditur usque ad conditionis eventum. Est communis, & expresse colligitur ex *cap. de illis cap. super eo cap. fin. hoc tit.* Probabilius vero videtur, matrimonium tale adveniente conditione subsistere absque novo consensu, ut Abb. *in cit. c. de illis num.* 5. Sanch. *l.* 5. *d.* 8. *n.* 5. Con. *dist.* 29. *dub.* 1. *concl.* 3. & 5. Castrop. *nu.* 5. Nav. & alii contra Pont. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 3. Henriq. *l.* 11. *c.* 11. Sotum *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *a.* 1. *concl* 3. S. Bonav. &c. Ratio respons. est, quia consentiens ex tunc in matrimonium sub conditione futura verum consensum de præsente habet, qui, si adveniente conditione non fuit revocatus, est præsens moraliter, & omnino perfectus, & absolutus, adeoque sufficiens, non secus ac contingit, dum matrimonium sine conditione de præsente contrahitur. Sic enim prius consensum suum exprimit vir sub conditione tamen imbibita; si mulier consentiat, qua consentiente, opus non est, ut vir denuo consentiat; sed ejus consensus, qui in se conditionatus erat ante mulieris consensum, redditur absolutus & perfectus adveniente mulieris consensu. Huic sententiæ favet *L. potior ff. qui potior in pign.* & *l. hæc venditio ff. de contrah. empt.* ubi statuitur, pactum initum sub conditione, ea adveniente firmum & stabile reddi absque ulla additione. Neque consensus ille v. g. consanguineorum sub conditione dispensationis obtinendæ est illegitimus; non enim est consensus inhabilium pro tempore, quo inhabiles sunt, sed potius pro tempore, quo habiles esse debent; siquidem posita dispensatione & sublato impedimento, tollitur omnis inhabilitas. Porro in eo non conveniunt AA. num ubi Trid. receptum, Parochus & testes interesse debeant, non tantum illi consensui matrimoniali conditionato, sed etiam ipsi completioni conditionis. Negat id ipsum Sanch. *L.* 5. *dist.* 8. *num.* 24. exemplo matrimonii contracti per procuratorem, in quo opus non est, ut Parocho & testibus constet de mandato procuratori dato. Uti etiam necesse non est, dum contrahunt consanguinei, Parocho & testibus ostendere dispensationem. Affirmat econtra Castropal. *num.* 11. cum Con. *dist.* 29. *num.* 15. Hurtad. *de matrim. dist.* 7. *diff.* 7. *num.* 24. eo quod alias non assistant matrimonio; cum consensus ille conditionatus non constituat matrimonium, nisi eo tempore, quo impletur conditio. Unde etiam Parochus & testes assistere nequeunt tali consensui conditionato, nisi pro tempore, quo sciunt conditionem impletam, ut Fagn. *in c. si conditiones hoc tit.* apud Reiff. *hoc tit. num.* 22. Secus vero accidit in duobus illis exemplis adductis a Sanch. siquidem posito mandato aut dispensatione, tametsi ea ignota sint Parocho & testibus, illi adhuc præsentes adsunt consensui constituenti matrimonium, si mandatum & dispensatio existunt.

QUÆSTIO CLXXIII.

An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione impossibili.

1. RESP. Conditio impossibilis (secus ac accidit in aliis contractibus, excepta dispositione ultimæ voluntatis, qui omnes propterea fiunt nulli, ut constat ex §. *Si impossibilis Inst. de inutil. stipul.* & *L. non solum de A. & O.*) adjecta matrimonio illud non irritat, sed rejicitur, habeturque pro non adjecta, ac proinde contractum matrimonialem purum relinquit. Sic expresse statuitur in favorem matrimonii specialiter *c. fin. h. t.* uti idem in favorem ultimarum voluntatum disponitur §. *impossibilis Inst. de hæred. inst.*

2. Porro ut conditio impossibilis non vitiet matrimonium, requiruntur sequentia. Primo, ut contrahentes (intellige, ambo, seu uterque, ut Sanch. *L.* 5. *de matrim. d.* 3. *num.* 12. Pirh. *hoc tit. num.* 17.) sciant, tam conditionem esse impossibilem, quam jus rejicere hujusmodi conditiones, seu habere pro non adjectis. Hujus enim utriusque scientiæ innititur dispositio *cit. c. fin.* dum enim Papa credit, contrahentes ignaros non fuisse impossibilitatis conditionis, & legis rejicientis illam a contractu, præsumit, non serio, sed joco adjectam, adeoque in eo casu validum pronunciat matrimonium, quod non faceret, sed matrimonium haberet pro irrito, ubi manifeste constaret contrahentem ignorare vel impossibilitatem conditionis, vel legem rejicientem illam a contractu; adeoque præsumeretur contrahentem apposuisse illam animo inhærendi ei. Ita docent Castrop. *p.* 11. §. 3. *n.* 1. Sanch. *l. c. nu.* 11. Pirh. *l. c. n.* 18. Ponc. *l.* 3. *nu.* 3. quamvis de cætero, ubi dubia est contrahentium intentio, num serio & ea animo, an joco tantum adjecta talis conditio impossibilis, Ecclesia præsumit adjectam esse ex joco, adeoque valere matrimonium, perinde ac si adjecta non fuisset, idque in favorem matrimonii, pro cujus valore in dubio semper judicandum est, juxta *l. ult. de sent. & re judic.* Pirh. *l. c.*

3. Secundo, ut conditio sit impossibilis ex natura, & non tantum de facto; cum ea, quæ spectata hominum natura sunt possibilia, non absolute impossibilia, sed difficilia vocanda sint; adeoque ad ea dispositio illa Pontificia, utpote correctoria

juris

juris communis, extendenda non sit; cum & jus civile conditiones illas de facto solum impossibiles non rejicit ab ultimis voluntatibus. Ponc. *num.* 13. Castropal. *num.* 2. Idem dicendum de conditionibus solum impossibilibus ex accidente, & ex lapsu temporis; eo quod & hæ non sint simpliciter impossibiles, adeoque neque ad has decretum illud correctorium juris communis extendendum non sit. Castropal. *num.* 4.

4. Tertio; ut conditiones illæ impossibiles, non tam sint de futuro, quam de præsente vel præterito; eo quod hæ non sint propriæ conditiones, sed demonstrationes; Pontifex vero non rejicit eas, quæ veræ conditiones non sunt. Castrop. *num.* 5. Ponc. *num.* 12. Rebell. *de oblig. justit. l.* 2. *quæst.* 10. §. 4. *in fine* contra Sanch. *l.* 5. *d.* 4. *nu.* 3. Covar. 4. *decret. p.* 2. *cap.* 3. §. 2. *num.* 2. ductos hac ratione, quod tales conditiones impossibiles de præsente non rejiciuntur ab ultimis voluntatibus, ex *l. §. Mævia ff. de hæred. inst.* ubi hæc conditio: Si filia testatoris vivit: rejicitur, casu quo testator nunquam filiam habuerit. Ad quod tamen respondet Castrop. in his, quæ pendent a jure positivo, non licere argumentari ad extendendum decretum correctorium.

5. Atque ex his jam vides, quid dicendum ad hoc, dum dicitur: conditio impossibilis adjecta contractui est potius signum dissensus: nempe distinguendum & concedendum: Si conditio talis apponatur relicta natura sua, non autem supposita constitutione Ecclesiæ volentis, si contingat eam apponi, in dubio non attendendam a Judice; cum merito præsumatur non curatam ab eo, quia eam apposuit (nisi is aliud exprimat) qui contrahendo se conformare voluit Ecclesiæ; & quia circa alios contractus non est hæc Ecclesiæ constitutio, ideo in iis adhuc istiusmodi conditiones manent signum dissensus, quia relinquuntur suæ naturæ.

QUÆSTIO CLXXIV.

An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione turpi.

1. RESp. primo: De conditione turpi, quæ substantiæ bonisque matrimonii non repugnat, v. gr. duco te, si mecum furaris; omnino idem dicendum, quod de conditione impossibili, omnium quod habeatur pro non adjecta, prout *in cit. cap. fin. h. t.* expresse deciditur. Et sic in specie tanquam turpem rejici hanc: Si te in concubitu virginem invenero: tradit contra Sanch. Castrop. *loc. cit.* §. 4. *num.* 2. eo quod id nunquam intelligi possit de concubitu licito; cum is esse nequeat ante matrimonium, prædictus autem concubitus, utpote tanquam conditio, postulatus ad matrimonium, necessario illud præcedere debeat.

2. Resp. secundo: Conditiones turpes substantiæ bonisque matrimonii contrariæ (quales sunt, quæ cum vinculo matrimonii consistere nequeunt, aut contraveniunt obligationibus ex matrimonio ortis, v. gr. contraho tecum ea conditione, donec aliam pulchriorem invenero, quæ repugnat perpetuitati, Ut te prostituas alteri, quæ pugnat cum fidelitate, ut sterilitatem procures, proles abjicias &c. quæ repugnat fini matrimonii) non rejiciuntur a contractu matrimonii, sed eum omnino vitiant juxta expressum textum *cit. cap. fin. hoc tit.* Sic in specie conditionem nunquam reddendi debitum reddere matrimonium nullum; eo quod hæc obligatio subsistere nequeat cum obligatione reddendi debitum, quam secum trahit matrimonium, tradunt Sanch. *l.* 5. *d.* 10. Laym. *L.* 5. *tractat.* 10. *cap.* 7. *num.* 9 Henriq. *l.* 11. *cap.* 4. Covar. & alii. Negant tamen id ipsum Castropal. *num.* 6. Rebell. *L.* 2. *quæst.* 10 *sect.* 3. Coninck. *disp.* 24. *dub.* 4. Hurtad. *de matrim. disp.* 7. *diff.* 9. *numer.* 33. eo quod in sano sensu sumpta non repugnet matrimonio, quippe quod ex sua essentia includit obligationem justitiæ reddendi debitum, nonnisi quoties legitime fuerit petitum; juste autem non petitur, si contrahens juri suo cessit simplici sua promissione vel voto. Et si contracto jam matrimonio mutuo consensu possunt cedere huic juri petendi, & ex ea cessione neuter obligetur alteri reddere debitum, poterit quoque a principio hæc cessio fieri. Neque enim quælibet exemptio a redditione debiti est contraria obligationi reddendi debitum ortæ ex matrimonio; alias contracto matrimonio ob unius fornicationem non liceret divortium, vel etiam ingressus in religionem ex consensu alterius. Neque etiam quælibet obligatio vitandi generationem prolis est contraria matrimonio, sed solum obligatio utique vitandi generationem. Ita Castropal. *num.* 7. Porro apposita conditione contraria matrimonio ab uno contrahentium, altero eam non acceptante, non vitiari contractum, censent cum Covar. *in* 4. *part.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 11. alii; eo quod seclusa illa acceptatione, nullam vim habeat, & rejecta censeatur. Contrarium censet Castropal. *num.* 9. cum Sanch. *l.* 5. *disp.* 13. *num.* 3. eo quod licet ab altero rejecta fuerit, nullamque habeat vim obligandi, denotet tamen apponentem illam velle sub illa tantum consentire, & non aliter; adeoque matrimonium non subsistit ex defectu consensus.

QUÆSTIO CLXXV.

An & qualiter tempus adjunctum contractui matrimonii per verba de præsente vitiet illud.

RESp. non vitiat, sed suspendit matrimonium non secus ac conditio de futuro, usque dum adveniat; quia in utroque casu non est consensus perfectus ante adventum temporis, v. g. contrahis cum Maria in Quadragesima per verba de præsente, illamque accipis in uxorem a die Paschatis. Ex hac assignatione hujus temporis, nimirum Paschatis constat, te nolle Mariam ante habere in uxorem, bene autem adveniente Paschate. Castrop. *p.* 11. §. 5. *n.* 1.

QUÆSTIO CLXXVI.

Causa seu demonstratio matrimonii, an obstet ejus valori.

RESp. Causa vel demonstratio (sive ea sit honesta, sive turpis, vel etiam contraria substantiæ matrimonii, sive vera, sive falsa, ut Pirh. *hoc tit. num.* 29. citato Sanch. *l.* 5. *de matrim. disp.* 19. *num.* 1.) per se nunquam suspendit aut vitiat matrimonium; sed semper habetur pro non adjecta, v. g. contrahis cum Maria, quia credis esse nobilem, vel virginem, sterilem &c. quæ talis non est, alias non contracturus, matrimonium tenet; quia causa nobilitatis, virginitatis, sterilitatis &c. existimata non est finis & objectum consensus, sed causa illius motiva, cujus error etsi in aliis contractibus sit sufficiens causa dissolutionis; Secus tamen est in matrimonio, in quo solus error personæ jure naturæ illud vitiat, quia est error consensus in objectum; & jure positivo error in conditione libertatis, tametsi sit causa motiva. Unde non refert, quod non contraheret, si sciret talem demonstrationem vel causam non subesse; quia voluntas illa habitualis non influit, nec ponit aliquid in re; cum ea non obstante, modo actu & absolute consentit, quamvis, si sciret, non consentiret, sed voluntatem mutaret, quod tamen nihil operatur in ordine ad actum præsentem. Pirh. *l. c.* Contrarium est, dum est error circa personam vel conditionem libertatis; ut si dicas: contraho tecum, quæ es filia primogenita Petri, vel quæ es libera; tunc enim si non est primogenita Petri, vel libera, matrimonium est irritum, non ratione falsæ demonstrationis seu causæ, sed propter errorem personæ vel talis conditionis; cum etiam tali demonstratione, seu causa non adjecta, matrimonium ex tali errore contractum sit nullum.

QUÆSTIO CLXXVII.

An & qualiter modus adjectus contractui matrimonii illud suspendat aut vitiet.

1. RESp. primo: Si modus non est contrarius substantiæ aut bonis matrimonii, non suspendit aut vitiat illud, Sanch. *loc. cit. num.* 5. Pirh. *num.* 30. cum communi. Modus enim in hoc differt a conditione proprie dicta, quod hæc suspendat actum, cui apponitur, ita ut is ante illam impletam non sit validus; modus vero non suspendat actum, sed is statim valet, & vim suam habet, etsi nondum talis modus impletus sit *L. cum ab eo ff. de contrah. empt.* ita tamen, ut alter contrahens obligatus maneat ad præstandum modum, quo contractus est initus, v. gr. si quis dicat: dono tibi equum, ut hoc vel illud facias, statim valet donatio, & donatarius seu acceptans illum tenetur implere modum. Unde modus talis, si non obstat substantiæ vel bonis matrimonii, relinquit illud validum.

2. Resp. secundo: Si vero modus appositus sit contrarius substantiæ matrimonii vel ejus bonis, vitiari per hoc & reddi matrimonium nullum, tenent Sanch. *L.* 5. *disp.* 19. *num.* 5. Coninck. *disp.* 29. *dub.* 4. *concl.* 6. Laym. *L.* 5. *tractat.* 10. *cap.* 7. *circa finem.* Pirh. *num.* 30. Covar. *loc. cit. cap.* 3. §. 1. *num.* 7. eo quod generatim loquendo in omnibus contractibus, dum

acta

actu contrahere vult alterum obligari ad prestandam quidpiam repugnans ipsi substantiæ contractus satis significat, se non habere veram & sinceram voluntatem contrahendi; sine vera autem voluntate seu consensu contractus non subsistat. Contrarium tamen tenet Castropal. *loc. cit. num.* 3. citans pro se Sotum *in 4. dist.* 29. *quæst.* 2. *ar.* 1. & Pet. Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 5. *dub.* 3. eo quod modus consensum non suspendat, sed potius perfectum supponat; ac consensu præstito seu matrimonio perfecte constituto, nequit ex ullo modo dissolvi. Hinc si contrahas cum Maria, apposito eo modo seu ea intentione, ut ipsa obligetur vitaro prolem sumpto sterilitatis veneno, valere ait Castropal. matrimonium, ipsa non obligata; quia illius obligationem non postulasti ut conditionem ad consensum, sed tuo consensu voluisti Mariam excitare ad eam obligationem subeundam, quam ipsa contractu admisso, prudenter rejecit, atque ex his patet, qualiter dignoscendum, an sub conditione proprie dicta seu suspensiva, an sub modo seu conditione non suspensiva sit contractum; attendendum nimirum, an v. g. donator voluerit donationem non ante esse validam, ac firmam, quam conditio sit impleta, & tunc præsumi esse appositam conditionem proprie dictam. Ao vero voluerit, ut statim valida sit donatio, sed donatarius obligatus sit ad aliquid postea faciendum, & tunc censeri debet sub modo esse factam. Pirh. *n.* 32. Laym. *l. c. n.* 11. De cætero in hoc est paritas inter modum impossibilem vel turpem, non repugnantem substantiæ matrimonii, v. g. contraho tecum ea lege, ut dones mihi montem aureum, vel ut patrem tuum interficias: & Inter conditionem impossibilem vel turpem, quod habeatur pro non adjecta, & relinquat matrimonium in suo valore.

T I T U L U S VI.

Qui Clerici & voventes matrimonium contrahere possunt.

Q U Æ S T I O CLXXVIII.

Clerici qui, & sub quibus pœnis prohibeantur contrahere matrimonium.

RESp. Clericos non tantum sola prima tonsura, sed & Ordinibus minoribus initiatos citra dispensationem valide & licite posse contrahere matrimonium, habet communis. Ita tamen, ut, si beneficiati sint, eo ipso amittant beneficia. Si vero Ordinibus majoribus seu sacris insigniti invalide contrahant matrimonium, insuper excommunicationem & irregularitatem ipso facto incurrunt, prout constat ex *c. 2. h. t.* & *Clem. unic. de consang. & affin.* a quibus tamen pœnis ab Episcopo absolvi, & officio suo restitui possunt, dum dimissa uxore longam pœnitentiam egerint, vitamque laudabilem in continentia duxerint, ut dicitur *cit. clem.* & *c. 2. & 4. h. t.* Verum de his omnibus fusius & accuratius a me dicta, *l. 3. de Cler. conjug.* & *sparsim in Indice ejusd. lib.*

Q U Æ S T I O CLXXIX.

Quæ vota simplicia impediant contrahere matrimonium.

RESp. Qualiter votum ingrediendi religionem, suscipiendi Ordines, impediat matrimonium contrahi, dictum est supra *q.* 108. quo Lectorem remitto.

Q U Æ S T I O CLXXX.

Votum simplex perpetuæ castitatis an & in quo casu dirimat matrimonium.

1. RESp. primo; Votum simplex castitatis una cum cæteris duobus constituens verum religiosum (quale est, quod emittitur in Societate JESU post biennium novitiatus, dirimit matrimonium contrahendum, ut constat ex Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Domino*, non tamen hoc votum dirimit matrimonium contractum ratum tantum. Laym. *l. c. num.* 2. cum Sanch. *l. 5. mor. c. 1. n.* 29. Vasq. 1. 2. *d.* 165 *n.* 10.

2. Resp. secundo: Unicum præterea casum, in quo votum simplex castitatis emissum extra religionem dirimat matrimonium contrahendum adducit Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. nu.* 5. dum nimirum uxor in sæculo continentiam vovens marito dedit licentiam suscipiendi Ordines; tunc enim viro defuncto ne quidem valide ad secundas nuptias transire possit. Citat pro hoc *c. quia sunt d.* 38. (quod est Gregor. I. *l. 11. epist.* 59.) & *ibi Gl. v. fuisse.* Item *c. seriatim dist.* 32. Abb. *in c. constitutus de convers. conjug. n.* 6. Azor. *Tom.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *qu.* 11. Sanch. *l. 7. de matr. d.* 40. Palud. *in 4. d. 38. q. 2. a.* 5. contra Sotum *l. 7. de just. q. 5. a. 3. solut. secund.*

Q U Æ S T I O CLXXXI.

An votum solenne castitatis, nimirum emissum vel in professione religiosa, vel susceptione Ordinum sacrorum (præter quæ duo non dantur alia vota solennia c. unic. de voto in 6.) an & qualiter dirimat matrimonium contrahendum.

1. RESp. ad primum: Votum solenne emissum in religione approbata dirimit matrimonium contrahendum. Ut constat ex plurimis Juris can. textibus. Item ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 9. aliisque Conciliis & SS. PP. quæ & quos magno numero citatos vide apud Laym. *loc. cit. nu.* 1. Sed neque de hoc ulla est controversia inter Catholicos, ut bene Castropal. *l. c. p. 6. num* 1. Porro votum hoc religionis dirimere matrimonium contrahendum jure naturæ; eo quod res uni tradita non potest tradi alteri; adeoque nec religiosus, qui se tradidit religioni, non possit se tradere conjugi. Docent Covar. 2. *p. de sponsal. c. 7. §. 4.* Sotus *l. c. qu. 2. a.* 5. Pet. de Soto *lect. 5. de matrim. sub finem &c.* Econtra hanc vim dicto voto (uti & emisso in susceptione Ordinis sacri) inesse solo jure Ecclesiastico, docent cum communi Sanch. *L. 7. dist. 26. n.* 2. Ponc. *L. 7. cap. 22. num* 4. Gasp. Hurtad. *disp. 15. diff. unic.* Castrop. *num.* 4. Laym. *loc. cit. num.* 1. ubi placuit Ecclesiæ, eos qui vitæ perfectioris statu suscepto, stabili se obligatione Deo & Ecclesiæ consecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonii religiosæ istiusmodi obligationi valde repugnantem. Ratio responsionis a priori redditur a Castrop. Quod licet religiosus tali voto tradat se religioni, & tamen traditio solum sit ad hoc, ut a religione gubernetur & dirigatur ad propriæ perfectionis consecutionem juxta regulas religionis, cui fini non obstat conjugium secluso ejus usu, ut constat exemplo plurium conjugatorum, qui valide, licentia conjugis, vel facto divortio religionem professi sunt non soluto vinculo. Unde a posteriore patet, nec professionem ex se dirimere matrimonium, neque conjugium professionem. Cur autem potius Ecclesia annexuerit vim illam dirimendi matrimonium ratum, professioni quam susceptioni SS. Ordinum, hanc rationem dat Laym. quod per professionem censeatur fieri perfectissima sui ipsius traditio, & reciproca obligatio religionis eum retinendi, adeoque sit mors quædam spiritualis, & alterum quoddam matrimonium spirituale, cui merito prius matrimonium secundum carnem initum cedere debeat, cujusmodi perfecta traditio sui ipsius non reperitur in susceptione ordinum.

2. Resp. ad secundum: Votum solenne castitatis ex constitutione Ecclesiæ sacro ordini annexum, etsi non dirimat matrimonium ratum, dirimit tamen contrahendum. Trident. 24. *cap. 9. cap. unic. de voto in 6.* & ita tradunt D. Thom. *in 4. dist. 37. quæst. unic. art.* 1. Laym. *loc. cit. nu.* 3. Sanch. *l. 7. d.* 28. *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *L.* 13. *cap.* 22. *quæst.* 5. qui duo etiam testantur, in orientalibus quoque Ecclesiis observatum fuisse, ut matrimonia Sacerdotum, non tantum prohibita, sed & irrita censerentur. Castropal. etiam *loc. cit. num.* 5. dicens esse fide certum, Ordinem sacrum vel ratione sui, vel ratione voti ei annexi matrimonium contrahendum dirimere. Porro sacros Ordines habere hanc vim dirimendi matrimonium contrahendum ex jure positivo divino putant aliqui, alii ex jure naturali. Verum rectius dicunt Sanch. *l. c. nu.* 24. Guttier.

c. 94. *n.* 10. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 249. *c.* 2. Ponc. *l.* 7. *c.* 27. *n.* 5. Castrop. *p.* 6. *nu.* 5. habere eam a solo jure Ecclesiastico; cum neque ex Scriptura, neque ex Conciliis colligi possit, hanc ordini a Christo inditam vim, cum ordine autem optime compati possit conjugium, adeoque eam non habeat a natura rei.

3. De cætero an & qualiter matrimonium solvatur quo ad thorum & cohabitationem per vota solennia emissa in professione religiosa vel susceptione Ordinum Sacrorum dicetur infra *Titul. de divortiis*. Qualiter per eadem solvantur sponsalia de futuro, dictum est supra *q.* 56.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

QUÆSTIO CLXXXII.

Quotuplex sit crimen, ex quo oritur impedimentum dirimens matrimonium.

1. RESP. Duplex, seu duo sunt crimina, in quorum pœnam Ecclesia reos reddit inhabiles ad contrahendum matrimonium, non quidem cum quacunque persona, sed ea tantum, cum qua deliquit. Primum est adulterium cum promissione seu conventione de matrimonio post mortem conjugis contrahendo inter adulteros, vel etiam una cum contractu de facto seu attentative (ipsa enim matrimonium esse non potest, cum quis duas uxores simul habere non possit) inter eos matrimonio; tunc enim matrimonium etiam legitimi conjugis contractum cum adultero vel adultera est ipso jure nullum, prout hæc constant ex *c. fin. h. t.* & *c. relatum* 31. *qu.* 1. Unde patet primo, contrahi hoc impedimentum, etsi nihil intervenerit machinationis in vitam alterius conjugis; sed sufficere una cum data fide matrimonii vel de præsente vel futuro, uti constat ex *c. propositum* & *c. significasti h. t.* aliisque textibus, ubi requiritur ad illud impedimentum incurrendum adulterium una cum dicta fide data, vel cum machinatione mortis sub disjunctione. Patet secundo: nequaquam sufficere solum adulterium, ut pariter constat ex iisdem textibus. Quibus non obstat, quod in pluribus Canonibus relatis *cauf.* 31. *q.* 1. absolute & sine addito statuatur, ut nullus ducat in uxorem, quam prius polluit adulterio; quia subintelligendum: Si vivente viro fidem adulteræ dederit, se ducturum eam viro ejus defuncto in uxorem, vel si mortem viri machinatus fuerit. Canis. *ad h. t. n.* 7. Pirh. *nu.* 4. cum Gratian. *in c. illud vero* 31. *q.* 1. Neque etiam, dum dicitur *cap.* 1. *h. t. nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat* adulterio, maxime cui fidem dederat uxore sua vivente, aut quæ machinata est in mortem uxoris: innuitur, quod etiam extra hos casus machinatæ mortis, vel datæ fidei sit invalidum matrimonium cum adultera, nisi præcipue in illis casibus sit invalidum. Nam Abb. & alii DD *ly maxime* exponunt pro *tantum*, vel *dumtaxat*. Ita ut sensus sit; tunc tantum invalidum est prohibitum matrimonium inter adulterum & adulteram, quando una cum adulterio intervenit fides data de matrimonio, vel machinatio mortis; vel etiam, ut exponunt Castrop. *d.* 4. *p.* 12. *num.* 2. Gutt. *c.* 105. *n.* 2. Coninck. & alii, intelligendum est demonstrative & determinative prius dictorum, ita ut sensus sit: *illam inquam prius pollutam, cui fidem dederat &c.* Patet tertio, econtra neque sufficere solum contractum, vel promissum matrimonium sine adulterio, quo minus quis post mortem uxoris suæ legitimæ cum ea, cui fidem dedit matrimonii de præsenti vel futuro contrahere possit matrimonium *c. si quis fin. h. t.* Host. *ibid. col.* 2. *v. cæterum.* Gloss. *ibid. v. cognovit eandem.* Pirh. *h. t. n.* 13. De cætero proinde est sive adulterium præcedat sive subsequatur promissionem de contrahendo matrimonio, vel etiam illud attentative seu de facto contractum; in utroque enim casu reperitur ansa captandæ mortis conjugis, cujus evitatio est ratio movens Ecclesiam ad hoc impedimentum statuendum. Sanch. *l.* 7. *d.* 79. *nu.* 3. Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 1. Alex. *ad c. fin. h. t. n.* 4. cum communi.

Alterum crimen est occisio seu machinatio mortis proprii vel alterius conjugis cum proposito contrahendi postmodum matrimonii, cum altero conjuge superstite; Pirh. *n.* 16. vel ut Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 1. cum proposito alterius determinati matrimonii contrahendi; vel etiam ut Castr. *n.* 2. est adulterium una cum occisione proprii vel alieni conjugis; prout diversæ sunt sententiæ circa plura requisita ad hoc, ut hoc impedimentum ex conjugicidio incurratur; de quibus *in seq. qq.* habetur autem illud *in c. significavit c. significasti c. super eo h. t.*, *cap. si quis vivente* 31. *q.* 1.

QUÆSTIO CLXXXIII.

Quale debeat esse adulterium, ut ex eo nascatur dictum impedimentum.

1. RESP. primo: In utroque casu, sive dum conjungitur cum machinatione mortis, sive tantum cum promissione matrimonii, debet imprimis esse verum adulterium, adeoque requiritur primo, ut sit perfectum seu consummatum per copulam, qua aliis consummatur matrimonium, nimirum habitam intra vas fœmineum cum seminatione. Glos. Abb. Cardin. *in cap. fin. hoc tit.* Sanch. *l.* 7. *disp.* 79. *a princip.* Guttier. *cap.* 105. *num.* 28. Castropal. *loc. cit. num.* 8. Pirh. *hoc tit. num.* 15. Laym. *loc. cit. num* 4. Secundo, ut matrimonium habentium inter se copulam sit validum; si enim revera tale non est, etsi putetur tale, promissio matrimonii facta complici, non dirimet matrimonium subsequens cum eo. Sanchez *numer.* 30. Guttier. *num.* 24. Pirh. *numer.* 6. & 10. Castropal. *loc. cit.* juxta *cap.* 2. *hoc tit.* ubi, quod matrimonium ex gravi metu initum, adeoque ipso jure irritum, nisi postmodum redditum validum per ratificationem expressam vel tacitam, nimirum per copulam spontaneam & affectu conjugali habitam, non dirimat matrimonium subsequens cum complice delicti; item juxta *c. veniens, hoc tit.* ubi quod, licet vir jam habens uxorem mala fide contraxit & consummavit matrimonium, cum alia ignorante hunc virum esse conjugatum, possit post mortem primæ suæ uxoris cum hac secunda de novo contrahere matrimonium. Sufficit autem, quod matrimonium illud prius fuerit ratum tantum, ut quoque dicitur *cit. cap.* 2. aut etiam dissolutum quo ad thorum per divortium. Sanch. *num.* 44. Pirh. *num.* 15. *in fine*. Unde jam.

2. Resp. secundo: Non sufficit committi adulterium materiale, sed in utroque casu requiritur formale, nimirum, ut uterque adulterans sciat suum complicem esse conjugatum; alias enim non erit adulterium formaliter commissum ex parte utriusque, quod requiritur; hinc fœmina etiam conjugata, si copuletur viro, quem nescit esse conjugatum, animo & promissione cum eo ineundi matrimonium, non impeditur mortuo suo illiusque conjuge cum eo contrahere matrimonium; & ratio est; quia in eo casu ignorati conjugii non potest esse machinatio mortis, saltem ex parte utriusque. Ita Sanch. *disp.* 79. *numer.* 31. Guttier. *loc. cit. num.* 13. & 14. Castrop. Laym. *ll. cit.* Pirh. *nu.* 14. juxta *cap.* 1. & *penult. hoc tit.* Porro ab hoc impedimento incurrendo excusare quamlibet conjugii ignorantiam, etiam crassam & supinam, tenent Sanch. *num.* 28. Rebell. *l.* 3. *q.* 8. Pirh. *num.* 3. eo quod sit ignorantia, non juris, sed facti; in facto autem excuset quælibet ignorantia; *cap. ignorantia de regul. jur. in* 6. quin & ad adulterium requiritur dolus, juxta *l. penult. ff. in leg. Jul. de adult.* dolus autem consistere nequeat cum ignorantia. Veramtamen contrarium, nempe solam ignorantiam probabilem, quippe quæ sola excuset a culpa adulterii, excusare ab hoc impedimento, tenet Castropal. *cit. num.* 8. citatis Navar. *cap.* 22. *num.* 46. Valent. *Tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 5. *part.* 3. Coninck. *disp.* 31. *du.* 5. *nu.* 61. Gasp. Hurtad. *disp.* 23. *diff.* 2. *num.* 7. *ad cit. L. penult.* dicunt, adulterium non reputari stante ignorantia quacunque ad incurrendas pœnas in ea lege statutas, quæ utpote gravissimæ merito exigant adulterium dolo malo commissum; dictum vero impedimentum non tam statutam in pœnam adulterii, quam pro removenda occasione insidiandi vitæ conjugis.

QUÆ-

QUÆSTIO CLXXXIV.

An & qualiter adulterium & data fides adulteræ de matrimonio debeant concurrere durante eodem legitimo matrimonio.

RESp. Requiritur ad hoc impedimentum incurrendum, ut adulterium committatur, & vel matrimonium de præsente attentetur; vel promittatur, durante eodem legitimo matrimonio, ita ut fides data matrimonii de præsente vel futuro tempore prioris conjugii legitimi Titii cum Caja, adulterium vero commissum tempore alterius legitimi matrimonii posterioris ejusdem Titii cum Berta, possit adhuc adulter mortua hac secunda uxore, ducere adulteram; eo quod per secundum illud matrimonium legitimum adulter recesserit a fide data adulteræ, spesque ineundi matrimonium cum adultero extincta sit per secundum illud matrimonium; adeoque etiam sublata occasio machinationis mortis uxoris legitimæ, Ita Laym. *loc. cit. num.* 4. Sanch. *cit. d.* 79. *num.* 5. Pirh. *num.* 14. Sylv. *v. matrimon.* 8. *quæst.* 9. *dicto* 5. Sotus *in* 4. *d.* 37. *q. unic. a.* 4. Pari modo, si e converso adulterium commissum sub priori matrimonio, & fides data sub secundo, non incurritur dictum impedimentum contrahendi cum adultera. Sanch. *num.* 6. Laym. Pirh. *ll. cit.* Coninck. *cit. dub.* 5. *num.* 6. cum jura ideo videantur requirere simultatem adulterii cum data illa fide sub eodem matrimonio, seu vivente eodem conjuge, ut eidem matrimonio irrogetur injuria præbita occasione occidendi eundem conjugem. De cætero notat Krimer. *de matrimon. num.* 1007. quod si eodem matrimonio stante facta promissio matrimonii, & simul commissum adulterium, etsi dein etiam stante eodem matrimonio promissio utriusque consensu revocetur, adhuc incursum impedimentum remanere; si vero stante eodem matrimonio promissio matrimonii facta concorditer revocetur ante commissum adulterium, quamvis adhuc sequatur adulterium, non incurri impedimentum.

QUÆSTIO CLXXXV.

An ad hoc, ut incurratur dictum impedimentum, sufficiat contrahi attentative matrimonium clandestine.

RESp. Affirmative. Sanch. *cit. d.* 79. *num.* 8. Coninck. *l. c. num.* 65. *in fine.* Castrop. *num.* 9. contra Hurt. *l. c. n.* 8. & alios censentes restringendum hoc impedimentum, utpote pœnam ad matrimonium de cætero validum. Ratio responsionis est, quod jura statuentia hoc impedimentum solum ponderent matrimonii attentationem, cum sciant necessario invalidum vel ex eo, quod legitimo conjuge vivente contrahatur. Sic quoque sufficere, ait Castrop. si adulter attentet matrimonium cum adultera, quæ est illius consanguinea; cum & hic contractus, etsi sponsalia non constituat, præbeat tamen sufficientem ansam machinandi mortem conjugi.

QUÆSTIO CLXXXVI.

Qualis debeat esse promissio de matrimonio contrahendo cum adultera, ut incurratur dictum impedimentum.

1. RESp. primo: Promissionem debere esse veram, nimirum factam animo se obligandi implendique promissum, & non fictam, docent Henriq. *l.* 12. *cap.* 14. *num.* 3. Sa *v. matrimon. ubi de imped. num.* 7. Hurt. *loc. cit. num.* 9. quam sententiam probabilem censent Laym. *loc. cit.* Pirh. *num.* 14. eo quod ficta promissio non sit promissio, & verba in pœnalibus sint accipienda proprie. Confirmant iidem AA. id a simili: irregularitas est statuta rebaptizantibus, & excommunicatio proferentibus hæresin; neque tamen has pœnas incurrunt, qui ficte rebaptizant, qui proferunt hæresin non ex animo. Nihilominus probabilius contrarium tenent; Sanch. *num.* 10. Gutt. *num.* 28. Coninck. *num.* 57. Castrop. *num.* 11. eo quod ex promissione ficta, cujus fictio non cognoscitur, æque nascatur occasio occidendi conjugem, ad quam tollendam jura statuunt hoc impedimentum, quam ex promissione vera ac seria.

2. Resp. secundo: Promissio illa debet esse externa, & facta ab una parte debet esse acceptata ab altera; cum alias non sit de se nata parere obligationem; Pirh. *num.* 15. Laym. *num.* 10. dicens, sic fateri omnes. Pont. *cit. num.* 5. Castrop.

ro taciturnitatem esse sufficiens signum præbiti assensus & acceptationis, eo quod quid favorabile promittatur, docent Hurt. *loc. cit.* Coninck. *num.* 58. Rebell. *l.* 3. *quæst.* 8. Ponc. *l.* 7. *cap.* 45. Contrarium probabilius tenent Sanch. *num.* 25. Gutt. *num.* 28. Castrop. *num.* 10. eo quod esto, matrimonium secundum se ut quid favorabile offeratur, non sit tamen tale, prout de facto seu attentative in hoc casu offertur; cum reddat acceptantem inhabilem ad illud contrahendum aliisque pœnis Ecclesiasticis subjectum. Ad hæc etiam matrimonium extra hunc casum seu licitum, non sit promissio mere gratuita, sed onerosa, utpote in sententia probabiliore obligans ad repromittendum; promissio autem onerosa non censeatur acceptari ex sola taciturnitate, ut DD. *in reg. qui tacet, consentire videtur, de reg. jur. in* 6. non obstante etiam, quod promissarius ignoraverit onus, quod subit ex acceptatione promissionis; cum ignorantia juris, qualis est hæc, non præsumatur, & taciturnitas sola præsumptione juris consensum inferat; adeoque hunc in præsente inferre nequeat; ita fere Castrop.

3. Resp. tertio: Debere hanc promissionem esse mutuam; eo quod jura requirant per eam fidem dari de matrimonio contrahendo, quæ alias vera sponsalia constituit; qualis non est, nisi sit reciproca, tenent Bellarm. *l.* 1. *de matrim. c.* 23. *cas.* 2. Henriq. *loc. cit. num.* 3. Ugol. *de Sacram. tract. de matrim. c.* 19. *num.* 8. Pirh. *num.* 15. Sylv. *loc. cit.* in quam sententiam inclinat Laym. dicens non esse improbabilem; contrarium tenentibus cum communiore, Soto *in* 4. *d.* 37. *qu. unic. a.* 4. Rebell. Ponc. Hurt. *LL. cit.* Sanch. *num.* 20. Castrop. *num.* 12. *&c.* eo quod *c. significasti, hoc tit.* maritus impeditur a matrimonio contrahendo; quia ejus contrahendi fidem dederat puellæ vivente sua uxore, absque eo, quod dicatur puellam vicissim dedisse fidem, aut hanc fidem fuisse sponsalitiam; quare sine sufficiente fundamento Laym. asserit, hanc dationem fidei fuisse sponsalia. Item quod alia jura plus non requirant ad hoc impedimentum, quam promissionem matrimonii absque eo, quod mentionem sponsalium (quæ mutuum promissum includunt) faciant; promissio autem matrimonii vera esse potest absque eo, quod sit mutua.

4. Resp. quarto: Sufficere ad hoc impedimentum inducendum promissionem conditionatam, seu fidem datam sub conditione (saltem ubi conditio non deficit ante commissum adulterium; si enim ante illud deficeret, deficeret etiam promissio conditionata, & sic solum superveniens adulterium non potest inducere dictum impedimentum) tenent Nav. *l.* 4. *consilior. cons.* 2. *de eo, qui duxit.* Rodriq. *cap.* 129. *conclus.* 5. Sanch. *loc. cit. num.* 21. eo quod sit adhuc vera promissio obligans promittentem ad exspectandum eventum conditionis, adeoque adhuc nasci ex ea possit spes futuri matrimonii, & consequenter detur ansa machinandi mortem conjugis. Contrarium, nimirum conditionem debere esse absolutam & puram, aut saltem vivente adhuc legitimo conjuge purificatam, tenent Hurtad. *num.* 10. Coninck. *loc. cit. num.* 59. Castrop. *num.* 13. Pirh. *num.* 15. Laym. *num.* 4. qui etiam addit idem esse, si adulteri promittant sub hac verborum forma: Non ducam aliam nisi te: cum sensus horum verborum sit conditionalis. Ratio horum AA. est, quod dum conditio est contingens, ita ut evenire possit, & non possit, concipi non potest spes, saltem certa futuri matrimonii. Ad hæc verba legis pœnalis sint stricte interpretanda, quantum patitur eorum proprietas, & restringenda, non extendenda, etsi sit similis ratio; promissio autem conditionalis, hoc est, suspensa & dependens ab eventu dubio non habeat rationem promissionis veræ ac simpliciter dictæ; neque etiam in præsento æque sit apta generare spem matrimonii futuri, ac promissio absoluta.

QUÆSTIO CLXXXVII.

Incidens: Num de cætero promissio, qua quis alteri promittit matrimonium post mortem conjugis sit irrita.

RESp. Non solum est graviter peccaminosa. Castrop. *n.* 14. juxta *c. fin. hoc tit.* sed & esse irritam ipso jure, etiam quando non præstat impedimentum matrimonii contrahendi. V. g. sejunctim ab adulterio, probabilius tenent Abb. *in cit. c. fin. n.* 2. Alex. *n.* 4. Lancell. *Inst. jur. can. l.* 2. *tit. de divort. §. cum ea autem.* Sanch. *l. c. n.* 40. Laym. *cit. c.* 10. *in fine.* Castrop. *n.* 15. Pirh. *n.* 13. eo quod reprobetur a jure, tanquam bonis moribus repugnans, quippe adhuc præbens occasionem captandæ mortis conjugis. Quemadmodum ob eandem rationem irrita est promissio beneficii vacaturi, antequam vacet, *cap.* 2. *de concess. preb.*

QUÆ-

QUÆSTIO CLXXXVIII.

An & qualiter impedimentum contrahatur ab infidelibus.

1. REsp. primo: Certum est, Id non contrahi ab iis in infidelitate permanentibus vi juris naturæ, sed neque vi legis Ecclesiasticæ, utpote qua infideles non obligantur, sed vi legum civilium, si forte hæ apud illos tale impedimentum induxerunt. Sed neque, dum ambo infideles adulteri ad fidem conversi, illud contrahunt, dum etiam alterutrum eorum, nimirum vel adulteriam commissum, vel data fides ante utriusque Baptismum; eo quod delictum commissum ante Baptismum non puniatur ab Ecclesia; adeoque perinde censeri debeat, ac si non accidisset in ordine ad hoc impedimentum inducendum. Sanch. *cit. d.* 79. *n.* 43 Laym. *cit. c.* 10. *num.* 6. Castrop. *num.* 7. contra Veracruz. *p.* 1. *specul. a.* 34. *post* 4. *dub. conclus.*

2. Resp. secundo: Quod si tamen unus ex adulteris promittentibus inter se matrimonium fidelis seu baptizatus fuerit, is hoc impedimentum contrahit, ne dein mortuo conjuge possit cum alio contrahere: arg. *c.* 1. *de conv. infid.* ubi dicitur, si Saracenus ope mulieris Christianæ maritum illius interfecerit, non posse dein ad fidem conversum mulierem illam habere uxorem; cum mulier impedita ob Ecclesiasticam constitutionem contrahere cum tali viro, etiam per accidens & consequenter vir (qui alias ex parte sua etiam jam conversus ratione delicti ante Baptismum commissi huic impedimento obstrictus non erat) cum muliere illa contrahere matrimonium non possit. An vero etiam non possit valide contrahere manens infidelis; & econverso dici possit: viro non impedito contrahere, mulier alias obnoxia illi impedimento etiam per accidens non impeditur contrahere: merito dubitatur; & pendet resolutio hujus dubii ex eo, an dum duorum adulterorum talium unus est capax istius impedimenti, alter incapax, impediantur inter se contrahere matrimonium; ad quod affirmative videtur respondere Castrop. *num.* 6. in *fine*.

QUÆSTIO CLXXXIX.

An ad contrahendum impedimentum criminis requiratur una cum occisione conjugis promissio matrimonii vel adulterium.

1. REsp. ad primum: Non requiri, ut interveniat promissio matrimonii vel etiam contractus matrimonii de præsente. *L.* 7. *d.* 78. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 19. juxta quod deciditur, *c. super hoc h. t.*

2. Resp. ad secundum: Si uterque eorum, qui contrahere desiderant matrimonium post mortem uxoris, machinati sunt & conspirarunt in cædem uxoris, non requiritur adulterium. Nav. *c.* 22. *qu.* 46. Bellarm. *l.* 1. *de matrim. c.* 22. *vers. crimen homicidii*. Sanch. *l. c. n.* 9. Gutt. *c.* 105. *n.* 52. Ponc. *l.* 7. *c.* 45. *n.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 10 *part.* 4. *c.* 10. *num.* 2. Castrop. *d.* 4. *part.* 12. *n.* 3. Pirh. *h. t. num.* 23. juxta *c. laudabilem, de convers. infid.* ubi Saracenis, qui ex mandato & consilio uxorum peremerant earum maritos, interdicitur matrimoniis cum illis uxoribus. Si vero tantum alter eorum machinatus est uxoricidium, seu reus est uxoricidii, V. G maritus occidat uxorem suam, ignorante vel contradicente fœmina, cum qua intendit contrahere matrimonium, necessario insuper requiritur adulterium. AA. iidem Arg. *c. si quis vivente*, 30. *qu.* 1. *c.* 2. *c. super eo, c. significasti*, *h. t.* aliorumque textuum, in quibus semper adulterium conjungitur cum uxoricidio.

QUÆSTIO CXC.

An ad hoc impedimentum incurrendum requiratur præcise uxoricidium.

REsp. Negative; sed perinde est, an sit uxoricidium an viricidium. Gl. *in c. fin. h. t.* Sanch. *n.* 8. referens quamplures. Gutt. *num.* 10. Ponc. *num.* 5. Laym. *loc. cit.* Castrop. *num.* 6. *&c.* contra Ledesm. Cened. & alios, quorum sententiam probabilem censet Henriq. *l.* 12. *cap.* 14. *num.* 2. constat ex *c. si quis vivente*, & *c.* 1. *de convers. infid.* qui textus loquuntur expresse de viricidio. Quod vero alii textus non faciant mentionem nisi de uxoricidio, inde est, quod id frequentius quam viricidium; non tamen inde sequitur, quod ad viricidium tanquam minus frequens extendi non debeat hoc impedimentum; cum, dum eadem est ratio, & sunt correlativa (sicut in præsente sunt maritus & uxor) quod dispositum in uno debeat censeri & de altero correlativo. Procedereque responsionem, ait Castrop. tametsi occidens sit infidelis, modo adulter sit fidelis; cum Ecclesia, etsi infideles punire nequeat, possit tamen punire fideles, inhabilitando ad matrimonium, si delicto infidelis cooperati sunt.

QUÆSTIO CXCI.

An requiratur, ut occisio fiat physice ab adultero, seu intendente contrahere matrimonium.

REsp. Negative, sed sufficit fieri moraliter per jussionem, mandatum, vel etiam consilium influentia efficaciter in occisionem, tametsi adulterorum neuter eam patrarit physice, Laym. *l. c. num.* 1. Castrop. *num.* 4. Corrad. *in pr. dispensat. apost. l.* 8. *c.* 19. *num* 17. Arg. *c. si quis vivente*, & *c.* 1. *de convers. infidel.* Non tamen juxta sententiam probabiliorem, quam sequuntur Gl. *in cit. c. si quis vivente*, *v. occidisse*. Abb. in *c.* 3. *h. t. num. ult.* Sanch. *num.* 6. Gutt. *num.* 8. Laym. *num.* 1. sufficit occisionem patratam ratam haberi; cum ratihabitio non sit causa occisionis, sed eam supponat; & *reg. ratihabitionem, de reg. jur. in* 6. ratihabitionem æquiparans mandato solum locum habeat, ut Castrup. in iis, quæ pendent a voluntate ratum habentis, vel quæ jure disponente pro mandato reputantur, quod in præsente non sit.

QUÆSTIO CXCII.

An requiratur, ut machinatio mortis sit efficax, morsque actu secuta.

REsp. Affirmative; Adeoque non sufficit occisionem attentatam, mandatum & consilium ad eam datum, si ea non evenerit; Sanch. *num.* 7. Laym. *cit. num.* 1. Pirh. *num.* 24. Castrop. *cit. num.* 4. cum Gl. *in cit. c. si quis vivente*, *v. occidisse*, unde licet quidam textus faciant mentionem solius machinationis, ita tamen intelligendi sunt; cum leges pœnales de crimine perfecto & consummato debeant intelligi, nisi aliud constet, & verba cum effectu accipienda sint, *c. relatum, de cleric. non resid.* Pirh. Laym. *ll. cit.*

QUÆSTIO CXCIII.

An & qualiter requiratur, ut occisio fiat intentione contrahendi matrimonium cum conjuge superstite.

1. REsp. ad primum: Affirmative; leges siquidem statuentes hoc impedimentum intendunt impedire, ne quis propriam vel alienam conjugem occidat ex desiderio alterius matrimonii contrahendi; unde dum is non est finis hujus decisionis, sed alius, V. G. ut quis liberius vacet libidini; ut liberet se a vexa, quam patitur a conjuge &c. hoc impedimentum locum non habet. D. Thom. *in* 4. *d.* 37. *quæst.* 2. *a.* 2. Sanch. *cit. d.* 78. *n.* 13. Gutt. *n.* 16. Castrop. *n.* 5. Laym. *num.* 2. Pirh. *n.* 25. Ponc. *l.* 7. *c.* 45. *n.* 5. quamvis tamen in foro externo, dum occisor vult ducere conjugem superstitem, præsumatur commisisse cædem ex intentione contrahendi matrimonii, & quidem cum hac determinata. Sanch. *n.* 19. Gutt. *n.* 23. Castrop. *n.* 5. Pirh. *num.* 25.

2. Resp. secundo: Intentio hæc contrahendi matrimonii debet ferri in personam determinatam, ita ut non contrahatur hoc impedimentum, si quis conjugem occidat desiderio contrahendi aliud matrimonium, absque tamen determinatione personæ. Castrop. Laym. *ll. cit.* Sanch. *num.* 18. Gutt. *num.* 22. Contrahi tamen illud censent Sanch. & Gutt. si fiat occisio animo ducendi unam ex filiabus Petri; quod tamen ait Castrop. non carere difficultate; quia adhuc sunt intentæ indeterminatè, cum qua indeterminatione matrimonium subsistere nequit.

3. Resp. tertio: Requiri videtur intentio contrahendi matrimonium determinate, cum relicta conjuge occisi; ita indicat Castrop. *num.* 5. *ad initium*, item, ut hæc sit conscia & particeps cædis, ita ut, si occidas maritum Cajæ inscia Caja, animo tamen ducendi eam, non impediaris eam ducere. Laym. *num.* 2. *in fine*.

4. Resp. quarto: Intentionem hanc extrinsecus manifestatam esse requirunt Ponc. *num.* 4. Gasp. Hurt. *d.* 23. *diff.* 1. *n.* 3. eo quod alias Ecclesia, quæ de internis non judicat, non posset puni-

punire dicta inhabilitate. Contrarium rectius sentiunt Sanch. *num.* 19. Gutt. *num.* 23. Castrop. *num.* 5. *in fine*, eo quod factum dum hac vel illa ratione punitur ab ipsa lege, & non per sententiam, non sit opus constare de intentione, ut patet in pluribus exemplis. V. G. dum *Clem.* 1. *de haret.* excommunicantur Inquisitores ea odio vel amore facientes reis injustitiam. Quamvis ut dictum, ista intentio semper in foro externo præsumatur adfuisse.

QUÆSTIO CXCIV.

An impedimentum hoc incurratur ab ignorantibus illud tali crimini annexum, adeoque laborantibus ignorantia juris?

1. RESP. Non convenire in hoc AA. Affirmativa, pro qua Krimer. *in 4. decret. num.* 1015. citat Matth. de Moya *in select.* 99. *Theol. Mor. tract.* 2. *de Sacram. quæst.* 14. §. 3. *num* 15. & Castropalaum. *Tom.* 4. *d.* 4. *de sponsal. p.* 12. *num.* 11. (ubi tamen is de hac ignorantia juris nihil, sed solum de ignorantia facti, qua delinquentium unus ignorat complicem esse conjugatum) quibus quoque adhæret Wiestn. *de impedimentis conjugior. part.* 2. *a.* 15. *num.* 20. hæc, inquam, sententia affirmativa hæc habet fundamenta. Primum sumitur a paritate, nimirum quod inhabilitas dirimens matrimonium incurratur ab ignorante affinitatem, cognationem carnalem vel spiritualem. Secundum ex absurdo, quod hinc sequi videtur, nimirum quod, si non contrahatur dicta inhabilitas ab ignorante istam annexam delicto, etiam non incurratur ab eo, qui inculpabiliter tempore, quo committitur delictum, non recordatur illius; siquidem in ordine ad excusandum a pœna (qualis juxta adversarios est dicta inhabilitas) inadvertentia, oblivio & ignorantia omnino æquiparantur. Suar. *Tom.* 5. *in* 3. *part. d.* 4. *sess.* 8 *num.* 11. Sanch. *in sum. l.* 4. *cap.* 22. *num.* 18. Tertium, quod hoc impedimentum non sit principaliter pæna; cum principaliter inductum sit ad avertendum machinationem cædis spe matrimonii cum superstite contrahendi; quod autem pæna non incurratur ab ignorante illam annexam delicto, procedat solum in casu, quo est pœna principaliter, ne alias quoque dicendum, inhabilitatem non incurri ex affinitate ex delicto ab ignorante illam huic delicto annexam. Ac denique, quod consuetudo Ecclesiæ, praxis & stylus curiæ, prout testatur Corrad. *in pr. disp. Apostol. l.* 8. *cap.* 9. §. 17. non permittat contrahere reos hujus criminis, etsi alter contrahentium id impedimentum ignoravit; & certe rarius hoc impedimentum contraheretur, si non contraheretur nisi a scientibus illud annexum huic crimini, cum pauci id sciant.

2. E contra non incurri hoc impedimentum ab ignorantibus, illud tenent Palud. *in* 4. *d.* 34. *quæst.* 1. *num.* 17. ubi etiam, quod requiratur scientia hujus impedimenti ex parte utrinsque delinquentis. Ferdinandez. *in medul. cas. part.* 3. *cap.* 16. *sect.* 5. Baucius *in Miscell. cas. Tom.* 2. *opusc.* 1. *q.* 176. Sententiæ hujus fundamentum primarium est, quod pœnæ per leges Ecclesiasticas impositæ non incurrantur ab ignorantibus eas annexas delicto (quidquid sit de eo, quod in foro externo juris clari scientia potius quam ignorantia præsumatur) ut patere ajunt in ignorante censuram annexam suo delicto, qui nec illam, nec peccati reservationem incurrit, ut docent Sanch. *in sum. l.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. Castropal. *Tom.* 4. *tract.* 23 *part.* 15. §. 2. & alii apud Moya, *num.* 16. & specialiter, quod reservatio non incurratur ab ignorante illam, quando inducitur in pœnam delicti, docent plures apud Moya, *num.* 11. & in specie Sanch. *l.* 9. *de matrim. d.* 23. *num.* 18. quodque simpliciter nulla incurratur reservatio ab ignorante illam, docent plures cum Dian. *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 62. Thom. Hurt. *Tom.* 2. *var. resol. tract.* 12. *cap.* 2. *num.* 2123. dicta autem inhabilitas non minus quam censuræ, privatio juris petendi debitum conjugale, habeat rationem pœnæ; & lex statuens hoc impedimentum sit lex pœnalis (qualis est, quæ imponit pœnam ob culpam delicti; Pereyr. *in Elucidar. num.* 195.) ut citatus a Krimer. *num.* 1016. tradit Castrop. *part.* 1. *tract.* 3. *d.* 2. *part.* 7. *num.* 4. ubi; lex pœnalis est, quoties in pœnam delicti imponitur, uti contingit in irritatione matrimonii ob uaoricidii vel adulterii crimen cum promissione matrimonii; item *ibidem* dicens; ex toto *hoc tit.* constare, impositum hoc impedimentum in pœnam delicti commissi, sicut est nullitas electionis ob Simoniam; idem fere ait Sanch. *l.* 7. *de matrim. d.* 5. *num.* 7. ubi, quod a lege Ecclesiastica impositum in pænam delicti & ad præcavendum &c. adeoque simul esse medicinalem præservationem ad præcavendum nimirum adulterium & uoricidium, qualiter *l.* 9. *d.* 32. *num.* 13. negat excommunicationem esse pœnam simul & medicinam. Sed neque opponi potest disparitas inter censuras & hoc impedimentum, quod censuræ requirant contumaciam; adeoque mirum non sit, quod non incurrantur ab ignorantibus illas annexas delicto; nam etsi incursum illas requirant contumaciam, ea tamen non supponit essentialiter monitionem aut comminationem pœnæ ab homine factam; siquidem fallit in censuris latæ sententiæ generaliter a jure, quibus incurrendis sufficit monitio & comminatio legis ipso facto imponentis delinquenti censuram. Sed & hæc monitio & comminatio legis præcedit etiam delictum, cui annexum impedimentum criminis; adeoque & hic est contumacia.

3. Respondent quoque satis plausibiliter hujus secundæ sententiæ AA. ad opposita fundamenta. Ad primum negando paritatem, dicunt, inhabilitatem natam ex cognatione vel affinitate non esse pœnalem; adeoque mirum non esse, quod incurratur ab ignorante. Imo nec affinitatem, quæ est ex copula illicita, adeoque ex delicto, non reddere inhabilem pœnaliter; cum eodem modo inhabilitaret, etsi copula non conjugalis esset licita; similiter inhabilitatem ad contrahendum clandestine inductam a Trident. non esse pœnalem; cum antecedenter & ante omnem actum illicitum commissum ab his, qui volunt contrahere inducatur; inhabilitas autem ex crimine non afficit criminosos antecedenter ad omne illorum crimen, sed supponit delictum ab iis commissum, & quidem perfectum & consummatum. Ad secundum admittunt, quod peccans pœna non cognita, dum fit delictum contra legem pænalem non incurrere pœnam; quia non peccat contra legem pœnalem qua talem. Ad tertium dicunt, quod, si deficeret a ratione pœnæ primario & principaliter talia ideo quia lex inducens hoc impedimentum, id facit ad cavendum & absterrendum a machinatione mortis conjugis, omnes pœnæ, quæ infliguntur ad vindictam publicam, nimirum ad infligendum aliis terrorem, & ad præcavenda deinceps talia delicta, deficerent a ratione pœnæ primario & principaliter intentæ; ad hæc, esto, non esset pœna principaliter spectato fine legislatoris, esse adhuc talem spectato fine legis; qui fines sæpe sunt valde diversi, ut patet in fine artis & fine artificis, præcepti & præcipientis; dum autem est pœna principaliter ex fine legis, procedere dictam regulam: pœna non incurritur ab ignorante illam. Ad postremum dicunt, non magis per hanc opinionem creari præjudicium sacris tribunalibus Romanis, quam per opiniones negantes hic & nunc opus esse dispensatione, creatur præjudicium Pœnitentiariæ & Datariæ.

Atque ex his vides, tametsi sententia affirmans incurri hoc impedimentum ab ignorante sit communior, ut testatur Laym. *l.* 5. *sum. tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 5. *num* 8. etiam forte, ut Krimer. *num.* 1024. cum aliquo excessu authoritatis majoris; ea tamen non obstante, manere sententiæ neganti suam probabilitatem; cum opposita non excedat probabilitatem.

TITU-

TITULUS VIII.

De conjugio leprosorum.

QUÆSTIO CXCV.

An & qualė impedimentum præstet lepra matrimonio contrahendo.

1. RESP. primo: Neque impedimentum dirimens, neque impediens matrimonio contrahendo præstat lepra, sive uterque futurorum conjugum, sive alter eorum solus sit leprosus; nullo enim jure ab ineundo matrimonio arcetur, sed libere id contrahere possunt, si ipsi velint, prout habet expressus textus, *c. 2. h. t.*

2. Resp. secundo: Ob supervenientem lepram sufficiens datur causa dissolvendi sponsalia de futuro juxta textum quoque expressum *c. fin. h. t.* & dicta e nobis in antecedentibus; *quæst. 69. num. 2.* uti idem cum communi dictum de aliis morbis contagiosis & infirmitatibus incurabilibus. Si tamen sanus velit ea dissolvi; non enim ipso jure hæc dissolutio inducta; ita ut, si sponsus superveniente sponsæ de futuro lepra aliave infirmitate, velit nihilominus inhærere contractui sponsalitio, sponsa non possit resilire. Pirh. *h. t. num. 1.* cum communi; cum hæc sponsalium dissolutio inducta & permissa, non in favorem infectæ, sed in favorem solius sani, in cujus odium retorquende non est, juxta *reg. 61. in 6.*

QUÆSTIO CXCVI.

An & qualiter lepra similisve morbus obstet indissolubilitati matrimonii contracti.

1. RESP. primo: Indubitatum est, matrimonium consummatum copula carnali ob supervenientem lepram nulla potestate humana solvi posse, utpote jure divino indissolubile quoad vinculum. *Matth. 19. vers. 7.* patetque ex *c. 1. §. quoniam, h. t.*

2. Resp. secundo: Sed neque matrimonium ratum tantum ex ea causa supervenientis lepræ, quoad vinculum conjugale dirimitur ipso jure; cum ea vis dirimendi illud soli professioni religiosæ concessa reperiatur; *c. 2. & 7. de convers. conjugat.* & ita tenent AA. Sed nequa his obstat textus, *c. fin. hoc tit.* ubi dicitur, quod superveniente lepra in uno conjugum, alter ad eam accipiendam cogi non debeat, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum; cum ibi per *Tx consummatum*, non intelligatur consummatio, quæ fit per copulam carnalem, sed ea, qua per consensum de præsenti præstitum perficitur & consummatur matrimonium quoad essentiam; prout ad *cit. c.* Host. *in fine.* Abb. *num. 3.* cæterique interpretes; proinde, dum dicitur, superveniente lepra sponsæ, sponsum ad eam ducendam non cogendum, patet textum illum non loqui de matrimonio, sed de sponsalibus de futuro, ad quæ perficienda & executioni danda sanus in hoc casu non est cogendus. De cætero posse etiam quoad vinculum dissolvi matrimonium ratum tantum dispensative a Papa, esseque lepram supervenientem sufficientem, justamque causam petendi & obtinendi hanc dispensationem, & per eam illius dissolutionem, tenent Sanch. *L. 2. de matrim. d. 16. n. 5.* Perez *de matrim. d. 40. f. 7. n. 13.* & alii communius, sæpiusque hanc dispensationem factam e variis Pontificibus testantur Burgos. *de irregul. part. 6. tit. de sponsal. n. 74.* aliique passim; de quo vide dicenda inferius *ad tit. 19. de divortiis*, ubi fuse de dissolubilitate matrimonii rati.

QUÆSTIO CXCVII.

An sanus conjugi leproso teneatur reddere debitum, eique cohabitare.

RESP. Dum Medicorum, aliorumque peritorum judicio superveniens matrimonio contracto, sive consummato, sive rato tantum lepra non est tantæ malignitatis, ut ex cohabitatione, aut etiam redditione debiti, periculum infectionis aliquod, aut solum leve immineat, tam ad cohabitandum exhibendumque cætera obsequia conjugalia, & in specie ad reddendum debitum astringitur conjux sanus juxta *cap. 1. & 2. hoc tit.* Secus est, seu ad horum neutrum præstandum conjugi leprosæ tenetur sanus, si eodem Medicorum judicio ex utroque immineret probabile infectionis periculum; cum prudenter præsumi nequeat, conjuges contrahendo matrimonium intendisse se obligare ad cohabitandum & reddendum in eo casu debitum, aut etiam matrimonium ipsum adstringere ad talem sui usum, qui subsistere nequit salva individui propriæ incolumitate, sed manifeste vergit in destructionem illius; cum rectus caritatis ordo tali usui obstet, exigendo, ut prius consulatur incolumitati propriæ, quam alienis solatiis & commodis serviatur. Argum. *c. si non licet, caus. 2. qu. 5. c. dilecto, de prob.* Atque ita docent Sylv. *v. debitum, q. 1.* Navar. *in man. c. 16. num. 25.* Sanch. *de matrim. L. 9. d. 24. num. 1. & 17.* Bonac. *de matrim. q. 4. part. 1. num. 8.* Pet. Barb. *in rub. ff. soluto matrim. p. 2. n. 28.* August. Barb. *in c. quoniam, h. t.* Pirh. *h. t. n. 10.* Zacchias *qq. medico-legal. L. 7. tit. 2. q. 5. n. 1.* Wiestn. *h. t. num. 6.* qui tamen *num. 10.* bene addit, quod e cohabitatione & debito difficilius liberetur sanus, qui sciens cum infecta jam lepra contraxit matrimonium; eo quod is sibi imputare debeat periculum infectionis, utpote cui se libere exposuit. Item *num. 9.* quod facilius absolvatur e redditione debiti, quam ab omnimoda cohabitatione; cum majus infectionis periculum incurratur ex commercio carnali, quam ex sola cohabitatione, a qua etiam illum ob periculum infectionis nunquam divertere posse, nisi subministratis conjugi leprosæ vitæ subsidiis, ait Idem, *cit. n. 9.* de qua separatione quoad thorum vide quoque dicenda infra *loc. cit.*

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

QUÆSTIO CXCVIII.

Num servi invitis dominis contrahere possint matrimonium.

1. RESP. Primo: Servi adscriptitii, qui prædio colendo perpetuo sunt addicti, ita ut inde recedere non possint, ac insuper omnes redditus prædiorum, demptis tantum expensis & necessario victu, dominis suis reddere debent, & quamvis ad certas operas & servitia dominis præstanda teneantur, eorumque nati sint & dicantur originarii, valide ac licite contrahere possunt matrimonium invitis dominis (quamvis in aliquibus locis nubere nequeant licite alteri non originario ejusdem dominii sine domini permissione seu literis quasi dimissoriis) sunt enim vere liberi, & ab actibus legitimis non repelluntur, etsi servi similitudinem aliquam habeant. Castrop. *tract. 28. d. 4. part. 5. §. 1. num. 9.* Gutt. *c. 90. num. 10.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. in fine*, & nequaquam de iis agitur *hoc tit.* qui est de servis veris.

2. Resp. Secundo: Vere servi (quales sunt, qui uno ex his titulis, nempe jure belli, nativitate, juste condemnatione, emptione, servi sunt. Pereyre *in Elucidar. L. 2. nu. 815.*) invito domino valide & licite contrahunt matrimonium, ut expresse definitur *c. 1. h. t.* siquidem matrimonium jure naturæ ac divino concessum, tum ad propagationem generis humani, tum in remedium concupiscentiæ ad evitandas fornicationes,

alia-

aliaque flagitia carnis, cui juri a dominis contraveniri nequit; quin & quod speciale est mancipiis Christianis, servus baptizatus a Sacramentis recipiendis removendus non est, ut dicitur *c. 1. h. t.* cum, ut *ibidem* affertur illud Apostoli: non est differentia in Christo inter servum & liberum, masculum & fœminam, Judæum & Græcum. Unde etiam peccare dominum mortaliter, & ab Ecclesia, si ei subjectus est, coercendum, qui servum a matrimonio contrahendo impediret (intellige juxta dicenda paulo post) quia facit contra jus illi a natura concessum, in quo domino non subduntur, tradunt Gutt. *de matrim. c. 92. num. 1.* Ponc. *L. 7. c. 42. n. 2.* Castrop. *l. c. §. 2. num. 2.* Pirh. *h. t. num. 2.* Sanch. *L. 7. d. 21. n num. 5.* qui etiam addit, non posse dominum tuta conscientia punire servum, quod se invito inierit matrimonium; cum usus fuerit jure suo, & nihil deliquerit. Tametsi autem jus civile non potuerit abrogare jus naturale & divinum, quo matrimonium est institutum in officium naturæ ad sobolis procreationem, & ad mutuam viri ac fœminæ societatem, ut Pirh. *loc. cit. num. 2. in fine*, ex Azor. *part. 2. L. 2. cap. 28. qu. 4.* inde tamen non sequitur, quod irritare non potuerit matrimonia servorum contracta invitis dominis; multa enim sunt, quæ a natura conceduntur, quæ etsi per leges humanas abrogari penitus non possunt, potest tamen eorum usus, vel talis eorum usus hic & nunc inhiberi. Et sic expresse ait Castrop. *cit. §. 2. num. 3.* quod Ecclesia potuerit irritare matrimonia servorum absque dominorum consensu celebrata, sicut potuit irritare eorum in religione professionem ex eo capite, quia est in præjudicium dominorum. Sed & de facto jus civile istiusmodi matrimonia interdixit. *L. 3. c. de incest. nupt. Institut. de nupt. in princ.* cui dispositioni juris civilis subsunt servi non baptizati, utpote circa quos nihil disponere potest Ecclesia seu jus Canonicum. Pirh. *hoc tit. num. 3.* De cætero jus hoc civile quoad servos Christianos baptizatos correctum per jus Canonicum, quod in hoc prævalet; cum in causis matrimonialibus, præsertim dum agitur de valore matrimonii, non juri civili, sed Canonico sit deferendum. Pirh. Azor. Krimer. *LL. cit.* Alex. *h. 1. num. 7.* Et tantum abest, ut jus canonicum ea irritaverit, quin potius positive stabiliverit, ut constat ex *c. 1. h. 1.* ubi: sane juxta verbum Apostoli; sicut in Christo JESU neque liber neque servus est ab Ecclesiæ Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent nullatenus prohiberi: & si contradicentibus & invitis dominis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt dissolvenda. Quod autem in veteri Ecclesia matrimonia servorum contracta sine consensu domini fuerint irrita & separata etiam quo ad vinculum, astruit Ponc. *L. 7. de matrim. cap. 42.* apud Krimer. *num. 1051.* ductus authoritate Concilii Cabilon. *2. c. 30. relato, c. fin. 29. qu. 2.* & dicto illo D. Basilii *ad Amphiloch. can. 42.* ubi; *quæ sine his, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes; nec ergo vivente patre, nec domino hi, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Verum rectius ad hoc dicitur, tales separationes factas fuisse tantum quoad thorum, & pro iis casibus, ubi dominorum debita obsequia impediebantur, quam dicatur, factas illas separationes etiam quoad vinculum, quamdiu matrimonia illa erant rata tantum; dum via credibile est, illa matrimonia servorum tamdiu non fuisse consummata, dum ad instantiam dominorum rescinderentur. Quod autem ea *Concil. Tolet. 9. cap. 12.* afferri solet; ibi prohiberi libertis (adeoque multo magis servis) contrahere cum ingenua, nihil ad rem facit; cum ibidem agatur de matrimonio liberti Ecclesiæ cum ingenua, cui propterea hoc inhibitum, ne Ecclesia detrimentum patiatur, dum proles ex tali matrimonio nata sequatur ventrem seu conditionem matris ingenuæ; adeoque hoc ipso eximatur ab oneribus & obsequiis Ecclesiæ præstandis ab ejus libertatis, uti hæc constant ex *Can. seq.* ejusdem Concilii.

QUÆSTIO CXCIX.

An saltem dominus, indirecte possit impedire matrimonium servi; v. g. vendendo eum in partes remotas, dum scit illum tractare de matrimonio contrahendo.

RESP. Id dominum posse nondum contractis a servo sponsalibus; utitur enim dominus in hoc jure suo, ut licet per hoc impediatur matrimonium, id est per accidens. Sanch. *L. 7. d. 21. num. 9.* Gutt. *c. 92. num. 6.* Castrop. *l. c. num. 3.* Non posse tamen dominum, contractis jam a servo sponsalibus, eum vendere in partes longinquas, in quas eum commode sequi nequit conjux; quia per hoc hujus juri quæsito derogaretur, censent Sanch. & Gutt. quod ipsum admittit Castropal. si sponsalia contracta ex voluntate & licentia domini; eo quod tunc censendus sit tacite promisisse, se non impediturum matrimonium, quantum commode fieri possit; ac proinde non potest tunc sine gravi necessitate in eas partes remotas vendere servum. Secus si sponsalia contracta sine licentia domini; quia tunc utitur jure suo, cui sponsalia derogare non potuerunt; cum sponsa non acquisiverit jus ad matrimonium servi, nisi quatenus servus se ei tradere poterat; is autem se ei tradere non possit, diminuendo per hoc jura sui domini; pro quo Castrop. citat Nav. *cap. 22. num. 34.* Coninck. *d. 31. dub. 2. num. 37.* Addit nihilominus Castrop. *num. 4.* obligari dominum regulariter ex caritate, ne hac ratione impediat matrimonium servi; dum illius magnopere non interest, v. g. si eum æque commode vendere potest in illo loco; & quia in eo casu dominus præsumeretur id facere ex animo iniquo præcise ad impediendum matrimonium, posse Judicem Ecclesiasticum interpellatum a servo venditionem illam in partes longinquas impedire; quin & Judicem Ecclesiasticum id posse simpliciter in favorem matrimonii, sequendo sententiam probabilem Sanch.

QUÆSTIO CC.

An & qualiter servi per contractum matrimonium eximantur a servitute, vel etiam obsequiis & servitiis debitis.

1. RESP. Primo: Si dominus servum proprium vel servam tradat in matrimonium personæ liberæ ignaræ hujus servitutis, nec eam detegat, vel sciens eos contrahere cum errore, studio taceat, eo ipso servus vel serva libertatem consequitur, & manumittitur favore matrimonii, idque nulla sententia Judicis requisita, ut constat ex *Auth. ad hæc, c. de latina libert.* Pirh. *h. 1. num. 19.* Sanch. *L. 7. d. 20. num. v. 5. 14.* Castrop. *l. c. §. 3. num. 2.* Et licet spectato jure communi videatur requiri dolus ad hanc pœnam amissionis servi inducendam, ut constat ex illis verbis *cit. Authent. si tacuerit studio*, & Gl. *ibid.* ait tamen Castrop. Jure sui regni verius esse dolum non requiri, sed eo ipso, quod tacuerit dominus, servum rapi ad ingenuitatem, præterquam, quod, ut Idem, in hac taciturnitate semper præsumi debeat dolus.

2. Resp. Ad primum secundo: ancilla quoque libertatem consequitur, si dominus tradat eam nuptui, dotale instrumentum conficiens, homini libero, etiam scienti servitutem, Arg. *L. unic. de Latina libert.* ubi licet nihil de scientia servitutis dicatur, subintelligendum tamen id est, ut aliquid speciale hæc lex statueret ad statutum *in seq. Auth. ad hæc*, notat cum Sanch. *loc. cit. n. 9.* Molin. *Tom. 1. tr. 2. d. 39. §. septimus.* Abb. *inc. istud, de præsumpt. num. 11.* & aliis. Castrop. *l. c. §. 3. num. 3.* quod autem *in cit. L.* solius ancillæ fiat mentio, est gratia frequentioris usus, quo frequentius fœminis quam viris conficitur dotale instrumentum. De cætero hanc constitutionem æque extendi ad servum, si ejus patronus donationem propter nuptias seu dotem ei constituat, asserit cum Abb. *l. c.* Gutt. *c. 91. nu. 10.* Castrop. *h. c.* contra Sanch. eo quod eadem in servo sit ratio, nempe quod dotis constitutio sit propria hominis liberi, & eo ipso, quod dominus præstet illam ancillæ vel servo, censeatur facere liberum. Nequaquam tamen constitutionem illam extendendam ad casum, in quo alius præsente domino ancillæ dotalia instrumenta conficiat, ita ut illa & tunc evaderet libera, consentiunt Sanch. Guttier. Castrop. *LL. cit.*

3. Resp. Ad secundum: Contracto matrimonio (intellige etiam sciente domino) a servo cum serva, vel etiam cum libera domino non consentiente, non eximuntur a potestate domini & servitiis ei debitis. Nav. *l. c.* Coninck. *num. 35.* Castrop. *l. c. num. 5.* justa quod expresse dicitur *cap. 1. hoc tit.* ubi: *debita tamen & consueta servitia non minus quam antea debent propriis dominis exhibere.* Siquidem ex matrimonio servus se obligare non potuit ad ejus usum, nisi quatenus eo uti potest absque præjudicio domini; quamvis tamen non ita occupandi sunt servi conjugati a domino, ut non possint convenienti tempore matrimonio vacare reddendo debitum &c. quia cum a natura & per Canones habeant jus ad matrimonium, habent etiam jus ad ejus usum, ne alias matrimonium sit omnino frustraneum. Ac proinde, seclusa gravi utilitate seu necessitate domini, nequire illum diu impedire servum, ne accedat ad uxorem, esse enim id saltem contra caritatem, imo contra Justitiam, vi cujus tenetur permittere moderatum usum matrimonii, tradit Castrop. *num. 5. in fine.* His non obstante, quod per matrimonium jus domini in servum aliquo modo diminuatur; quod mirum non est, cum matrimonium ejusque usus jure naturali concessum servo, & servitus non nisi jure gen-

gentium introducta. Atqui ex his jam infertur, posse dominum servum suum conjugatum causa negotii alicujus gravis mittere in partes longinquas. Si enim potest homo liber lucri captandi causa diu ab uxore abesse, tametsi ejus continentia periclitetur, poterit idem servus ob utilitatem domini sui, cujus est Castrop. *l. c.* non tamen posse eum vendi in partes remotas, quo eum commode sequi nequit uxor, & peccati per hoc tantum contra caritatem, vi cujus obligatur quis vitare, dum commode potest proximi damnum, quale damnum grave patitur servus conjugatus in ea venditione, dum usu matrimonii perpetuo privatur, censet Coninck. *d.* 31. *dub.* 2. *num.* 37. peccari etiam per hoc a domino contra justitiam, tenent Sanch. *L.* 7. *d.* 22. *a num.* 8. Ponc. *l. c. num.* 5. Castrop. *l. c. num.* 7. cum Gl. *in c.* 1. *h. t. v. sævitia*. Sed neque unquam posse virum renuente uxore se ipsum vendere in servum, habet Castrop. *num.* 8. citans Gutt. *c.* 91. *a num.* 18. eo quod, etsi vir sit caput mulieris, & gubernator domus, non habeat tamen potestatem sui corporis, sed mulier, adeoque se tradere non possit alteri, ita ut potestatem hanc mulieris diminuat; his non obstante textu *c. perlatum est*, 29. *qu.* 2. quia ibi talis venditio facta soluto matrimonio per divortium, ut ea Ponc. *L.* 7. *c.* 44. *in fine*. Castrop.

T I T U L U S X.

De natis ex libero ventre.

Q U Æ S T I O CCI.

Cujus parentis conditionem quoad servitutem & honores sequantur liberi.

1. RESp. Ad primum: Quoad statum libertatis & servitutis filii sequuntur conditionem, non patris, sed matris, quantum est de jure communi; ita ut si mater sit libera, liberi sint filii, etsi pater sit servus; si mater sit serva, servi sint liberi, etsi pater sit liber. *L. pactum, c. de rei vend. §. penult. Instit. de jure person. c. fi. hoc tit.* Quod vero partus sequatur potius ventrem, qui certus est. *L.* 5. *§.* 2. *&* 3. *ff. de statu homin.* Ratio redditur a D. Thom. communiter recepto *in* 4. *d.* 39. *qu. unic. a.* 4. *in corp* quod servitus sit qualitas potius corpus quam animam afficiens; corpus autem potius a matre quam patre procedat, utpote in cujus utero formatur, augmentatur, & coalescit. Procedit hoc ipsum etiam, ut si quis filium habeat ea ancilla sua, is sit servus illius, nempe proprii patris. Sanch. *L.* 7. *d.* 24. *num.* 6. Gutt. *c.* 93. *n.* 6. Castrop. *tract.* 28. *d.* 4. *p.* 4. *n.* 2. Argum. *L.* 2. *si mancip. ita fuer. alienat.* juncta Gl. *v. filium*. Item procedit, sive proles nata sit ea legitimo matrimonio, sive non; quia jura in hoc nullum discrimen faciunt. Sanch. *n.* 8. Gutt. *n.* 7. Castrop. *num.* 2. & expresse constat ea *L. & servorum, ff. de statu hom. vers. ingenui sunt*, ibi: *nihil refert, an ex justis nuptiis, an vulgo conceptus sit*: vulgo autem conceptus dicitur, qui est spurius. *L. vulgo ff. eod.* juncta Gl. *v. non licet*. Dixi tamen: *jure communi*; quia, cum servitus sit juris humani, consuetudine alicubi induci potuit contrarium. Sanch. *num.* 9. Gutt. *num.* 8. Castrop. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *d.* 33. *in fine*, juxta *c. licet, h. t.*

2. Porro ut proles induat conditionem maternæ servitutis, requiritur, ut mater & tempore conceptionis, & prægnationis, & partus fuerit serva, ita ut, si uno ex his, etiam brevissimo tempore, fuerit libera, v. g. prægnationis, etsi alias tempore conceptionis fuerit, aut dein tempore partus sit serva, proles nata sit libera, quantum est vi natalium. Sanch. *num.* 10. Molin *l. c.* Castrop *num.* 3. prout constat ea *§. sed & Instit. de ingen. & manumiss.* Dixi: *quantum est vi natalium*: siquidem iis non obstantibus, in quibusdam casibus aliter statutum est in jure, nimirum primo, dum ea privata ancilla (licet libera) servus publicis operibus deputatus suscipit prolem, ea una cum matre evadit serva, juxta *L. fin. c. de servis fugit.* lege ita puniente hoc delictum parentum. Sanch *nu.* 12. Secundo, si pater libertus seu manumissus post & propter commissam ingratitudinem revocatur in servitutem (uti fieri posse, constat ea *c. liberti, can.* 12. *qu.* 2. & Abb. *ibi in fine*,) liberi deinceps ei nati sint servi, sequanturque conditionem patris, etsi nati ea matre libera, vel liberta. *L.* 2. *c. de libert. & eorum liber.* Tertio casu quo mater gerens uterum justo bello capta, & in servitutem redacta parit, proles sit quoque serva, eo quod occasione justi belli beneficium a parentibus acceperit, ne una cum matre interimeretur.

3. Resp. Ad secundum: Filii quoad familiam, nobilitatem & dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris. *L. cum legitime, ff. de stat. hom.* & *ibi* Gl. siquidem cum proles esse recipiat a patre tanquam a causa principaliori & nobiliori principio suæ substantiæ, merito quoad ea, quæ ad esse & familiam pertinent, & quæ ei annexa sunt, sequitur patrem. Pirh. *ad tit. de natis ex lib. vent. num.* 2. Sanch. *loc. cit. num* 1. procedereque id ipsum, etsi filii sint naturales, & non spurii, habet Castrop. *num* 4. Verum id potius videtur esse ea legibus specialibus regni Hispaniæ, quam de jure communi.

De cætero, quæ hic tractari potuissent de errore conditionis servilis, qualiter is dirimat matrimonium jam tractata sunt supra, ubi de impedimento erroris, *quæst.* 125. *& seq.*

T I T U L U S XI.

De cognatione spirituali.

Q U Æ S T I O CCII.

Quid sit cognatio spiritualis & unde oriatur.

R Esp. Definiri passim solet, quod sit propinquitas quæ-
dam personarum, jure Ecclesiastico sic statuente,
... ex collatione & susceptione Sacramentorum
... onfirmationis. Sanch. *l.* 7. *de matrim.* 54. *nu.* 1.
d. 4. *p.* 9. *num.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *n.* 1.
...itur primo *propinquitas personarum*: quod est
...venit cum cognatione carnali; dicitur se-
...*ítico sic statuente*: quod enim oriatur ea
... & collatione, non est a
...menta fundamentum
..., cum nullibi in scri-
...casionem vero intro-
...lia a cognatione car-
...eretur seu regenere-
...oretur spiritualiter,
ad c. nodum, h. t. in 6.

R Es...
viri...
plures. G...
num. 6. &...
tentiam ...

quod Baptismus assimiletur nativitati corporali hominis in utero, Confirmatio nativitati ex utero, baptizatus & confirmatus, item patrini intelligantur esse parentes spirituales, & quia magna his parentibus, non secus ac parentibus carnalibus a filiis debetur reverentia, statuit Ecclesia, ut hæc cognatio non minus quam carnalis esset impedimentum dirimens matrimonium. Dicitur tertio: *Orta ex Baptismi, & Confirmationis susceptione & collatione*: quia ex nullis aliis Sacramentis oritur dicta cognatio, ut expresse dicitur in *c. quamvis h. t. in* 6. Rationem dante ex D. Thom. Sanch. *l. c. num.* 6. quod reliqua Sacramenta non conferant gratiam per modum regenerationis spiritualis; atque ita in specie non contrahitur hæc cognatio ea Sacramento Pœnitentiæ inter confessarium & pænitentem; his non obstante, quod Symmachus Papa *c. omnes* 30. *qu.* 1. dicat: *omnes, quos in pænitentiam accipimus, filii nostri sunt, sicut quos vel nobis suscipientibus unda sacri Baptismatis regeneravit &c.* cum contrarium constet ea *c. fin. hoc tit. in* 6. quidquid de cætero sit de hoc, num sit circumstantia Sacrilegii necessario in confessione exprimenda, si confessarius cum filia confessionis fornicetur, ut ea similibus juris textibus colligunt & tenent cum S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 10.



c. 10. ad 2. (ubi id vocat spirituale stuprum) Sanch. *l. c. d. 55. num. 4.* Vivald. *in candelab. de confess. ubi de circumstant. peccat. n. 20.* Conink. *d. 32. dub. 2. n. 23.* & alii apud Laym. *cit. l. 8. n. 9.* contra Sa *v. confessio, num. 25.* &c.

QUÆSTIO CCIII.

Quotuplex olim fuerit, & modo sit cognatio spiritualis matrimonium dirimens.

1. RESp. ad primum: Antiqun juru decretalium, ut habetur *c. 1. h. t. in 6.* tres erant ejus species; paternitas nimirum inter Baptizantem & baptizatum, inter confirmantem & confirmatum; item inter patrinum Baptizati vel confirmati, & inter Baptizatum vel confirmatum; compaternitas, nimirum inter baptizantem vel confirmantem, patrinos ex una parte, & inter baptizati vel confirmati parentes (intellige, sive hi sint legitimi, sive illegitimi. Pirh. *hoc tit. num. 12.* Sanch. *cit. d. 54. num. 16.*) ex altera parte, ita ut hi essent compatres baptizantis vel confirmantis, transferebaturque utraque hæc cognatio a viro ad uxorem, ita ut, si conjugatus aliquis baptizaret vel confirmaret, vel patrinus esset, uxor ejus similem cognationem cum iisdem personis, baptizato nimirum vel confirmato eorumque parentibus contraheret; eo quod uxor censeatur una caro cum marito suo, *c. Martinus hoc tit.* unde & oriretur dicta cognatio inter baptizatum & uxorem suscipientis illum e Baptismo seu patrini, ut *c. nedum hoc tit. in 6.* requirebatur, ut ante susceptionem fuisset uxor & cognita viro. Pirh. *h. t. num. 21.* Fraternitas, nimirum inter filios carnales (intellige etiam illegitimos & spurios. Argum. *c. ex litteris, h. t.* Abb. *ibid. num 3.* Alex. *num. 4.* Pirh. *hoc tit. nu. 9.*) baptizantis, confirmantis, uti & patrinorum ex una parte, & ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte; ita ut baptizatus vel confirmatus esset & diceretur confrater filiorum baptizantis vel confirmantis, uti & filiorum ipsius patrini vel matrinæ, ita Sanch. *cit. d. 54. nu. 9.* Laym. *l. c. n. 1.* Pirh. *h. t. num. 3.*

2. Resp. ad secundum: Jure novo Trid. *sess. 24. c. 2. de reform.* sublata cognatione fraternitatis, duæ sunt tantum species cognationis spiritualis ortæ ex Baptismo & confirmatione dirimentes matrimonium, nempe paternitas & compaternitas; earumque neutra ad uxores transfunditur; sive dirimitur solum matrimonium inter patrinum & baptizatum ipsum, & inter illius patrem ac matrem; item inter baptizantem vel Confirmantem, & baptizatum vel Confirmatum, & baptizati vel Confirmati patrem & matrem. Atque ita, uti nec olim oriebatur, ita nec modo oritur hæc cognatio inter patrinos ipsos; quare possunt maritus & uxor simul eandem prolem alienam levare ex Baptismo absque eo, quod impediantur petere debitum conjugale. Sanch. *loc. cit. num. 13.* Pirh. *h. t. num. 32.* adeoque etiam, dum dicitur in Trid. *l. c.* quod inter quos (suscipientes nimirum) ac baptizatum ipsum spiritualis cognatio contrahatur, sensus non est, quod patrini illi inter se contrahant cognationem, sed quod ea contrahatur inter ipsos & alias personas ibi enumeratas, nimirum baptizatum & ipsius parentes. Sanch. *l. c. num. 10.*

QUÆSTIO CCIV.

An, dum plures sunt patrini, omnes pariter contrahant dictam cognationem spiritualem dirimentem matrimonium.

RESp. Dum plures simul tenendo tangunt baptizatum, vel de fonte sacro æque suscipiunt, adeoque omnes sunt patrini, saltem dum ad hoc omnes designati sunt ab iis, ad quos id pertinet, contrahunt singuli dictam cognationem & impedimentum. Nav. *in man. c. 22. n. 39.* Pirh. *h. t. n. 31.* Tanner. *Tom. 4. d. 8. qu. 4. dub. 4. n. 69.* ubi etiam ait, sic declaratum expresse a S. Congr. Concil. & sic expresse deciditur, *c. quamvis fin. h. t. in 6.* a quo jure antiquo recedendum non est, quando aliud non statuitur jure novo.

Dixi: Saltem quando omnes designati sunt: nam hanc designationem omnium videtur requirere Trident. Unde docent Sanch. *l. 7. d. 57. num. 12.* Gutt. *de matrim. c. 100. num. 7.* quam sententiam esse valde probabilem ait Pirh. *hoc tit. num. 30.* quod, si nulli designentur patrini, nullus contrahat hanc cognationem, etiamsi plures tangant vel suscipiant baptizatum e sacro fonte; eo quod Concilium intendens vitare nimiam hujus impedimenti multiplicationem, & ut certi essent illud contrahentes, tanquam conditionem necessariam ad hoc, ut veri sint patrini, videatur requisivisse, illos ad hoc munus designatos esse ab iis, ad quos pertinet illa designatio, nempe ad parentes, vel his negligentibus, ad Parochum vel baptizantem, ita ut deficiente hac conditione, non sint veri patrini, & consequenter neque dictam cognationem contrahant. Nihilominus his expresse contrarium docent Castrop. *tract. 19. de Baptismo, d. unic. p. 11. §. 2. n. 9.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 9. n. 4.* Barbos. *de potest. Episc. p. 2. allegat. 30 num. 42.* qui testantur, sic a Sac. Congr decisum, item apud illos Ponc. *l. 7. c. 39. n. 11.* Nav. *c. 22. n. 39.* Rebell. *de oblig. just. part. 2. l. 3. quæst. 6. nu. 5.* & alii, ne, si neque omnes simul, neque ullus eorum sit verus patrinus, Baptismus solennis collatus censeri debeat sine patrino; quod Ecclesiam in hoc casu voluisse, nimirum ut in eo contra consuetudinem a tempore Apostolorum approbatam de adhibendo patrino in omni solenni Baptismi collatione patrinus non esset, præsumendum non est; ac proinde dicendum, Trident. solum a patrini munere spiritualisque cognationis impedimento exclusisse eos, qui ultra designatos tangunt, tenent & levant baptizatum; de iis vero qui nullis tangentibus constitutis seu designatis, id munus ultronee suscipiunt, nihil expressisse; adeoque de his statuendum juxta Canones antiquos, nempe *cit. c. quamvis fin. h. t. in 6.* & affirmandum omnes vere patrinos esse. De cætero, si plures viri vel fœminæ contra decretum Trident. (quod non nisi ad summum duos, unum nimirum virum, & unam fœminam ad levandum baptizatum, seu ad munus patrini admittendos gravissime præcipit) plures fœminæ vel viri a parentibus in patrinos designarentur, nec a parocho repellerentur, omnes contracturos dictam cognationem libenter admittunt hi AA. & ipse Sanch. *l. c. num 13. & 14.* contra Suar. apud Castrop. *loc. cit. num 8. juncto num 15.* tenentem, nullum ex iis in hoc casu esse vere patrinum, aut contrahere cognationem; eo quod non quælibet designatio ad hoc sufficiat, sed designatio legitima & Trident. conformis, qualis non est designatio plurium quam duorum; ad quod respondet cum aliis Castrop. Trident. excludens a munere patrini & cognationis impedimento solum eos, qui ultra designatos tetigerint baptizatum, non addidisse (cum tamen facile potuisset) ultra legitime designatos, & esto, sic intelligendum Concilium, non tamen inde inferri plures illegitime designatos, nullis legitime designatis, levantes baptizatum exclusos esse. Ad hæc licet prohibuerit adhiberi plures, non tamen irritaverit cognationem eorum contrahendam. Porro observant Castrop. *cit. n. 15.* Sanch. *cit. num. 14.* quod si plures (intellige etiam designati patrini) non simul concurrunt ad levandum puerum de sacro fonte, sed successive unus post alterum suscipiat, secundum ejusdem sexus patrinum non esse, nec cognationem contrahere. De cætero si unus eorum tangat, vel e manibus baptizantis immediate suscipiat puerum, ille solus contrahit cognationem, non etiam alii, quamvis (intellige etiam alias designati) præsentes assistant. Laym. *l. c. num. 5. in fine.* Denique dum eo repulso, a parocho quem parentes designarunt patrinum, alius constituitur a Parocho, hic contrahit dictam cognationem Castrop. *l. c. num. 9.*

QUÆSTIO CCV.

An, ut contrahatur hæc cognatio spiritualis, Baptismus necessario debeat esse solennis.

1. RESp. primo: Baptizans sive solenniter, sive privatim baptizet, semper contrahit cognationem cum baptizato ejusque patre ac matre. Castrop. *l. c. num. 13.* cum communi; si quidem Baptismus solennis & privatus in se & formaliter non differunt, sed tantum quoad ceremonias extrinsecas.

2. Resp. secundo: In privato Baptismo infantem levans ex sacro fonte, seu tenens ex proposito, ut munus patrini obeat (secus si id faciat absque tali animo. Sanch. *d. 28. num. 4.* Pirh. *num. 34.*) verum effici patrinum, & contrahere cognationem, affirmant Nav. *loc. cit. num. 40.* Vivald. *loc. cit. nu. 10.* Suar. *Tom. 3. quæst. 67. a. 8. in fine.* Coninck. *d. 32. dub. 2. conclus. 5.* Ponc. *l. 7. cap. 40. num. 5.* Zambran. *de Baptis. l. 1. cap. 18. num. 4.* Laym. *cit. cap. 9. num. 5.* Pirh. *hoc tit. num. 36.* Tanner. *Tom. 4. d. 8 quæst. 4. dub. 4. num. 67.* contra Castrop. *loc. cit. num. 12.* Gasp. Hurt. *d. 18. de matrim. diff. 6.* Sotum *in 4. d. 42. qu. 1. a. 2.* Sanch. *d. 62. num. 14.* referentem plures alios, eo quod patrinus non tantum adhibeatur in Baptismo propter ejusdem solennitatem, sed vel maxime propter obligationem instruendi baptizatum; adeoque licet Ecclesia non præcipiat, ut patrinus in privato Baptismo adhibeatur, neque etiam vetet, quo minus vere interveniat, & consequenter, quo minus si interveniat, veram contrahat cognationem spiritualem, uti hoc confirmatur ex eo, quod (te-

nente

nente hoc ipsum Castrop.) licet Ecclesia etiam positive prohibeat plures in Baptismo solenni intervenire patrinos quam duos, si tamen plures interveniant, hi vere sint patrini. Unde non video, qua ratione dicat idem Castrop. susceptorem seu patrinum solennem & privatum differre formaliter; quia esse susceptorem habetur ex institutione Ecclesiæ, quæ de susceptore privato via unquam contingente mentionem facit, sed de solenni tantum; cum vel ipsis his verbis rationem det, cur expresse non meminerit de privato, seu ad Baptismum privatum adhibito patrino, nimirum quia plerumque imminente periculo (in quo adhibetur Baptismus privatus) via spatium detur designandi patrinum; de cætero quemadmodum comprehendatur patrinus privatus, satis ex eo patet, quod jura statuentia hoc impedimentum æque de privato ac de solenni Baptismo loquantur, *c. 1. & c. fin. b. 1. in 6.* siquidem baptizatus privatim æque instructore, quam baptizatus solenniter indiget.

QUÆSTIO CCVI.

Utrum monachi & religiosi (quibus id prohibitum est, c. placuit, caus. 16. q. 1. c. non licet, & seq. dist. 4. de consecrat.) *si suscipiant seu levent Infantem ex Baptismo, contrahant dictam cognationem.*

RESp. Videri quod sic; ratio enim cur id iis prohibitum est, ut Pirh. *numer.* 34. Laym. *loc. citat. numer.* 3. ne ob cognationem inde contractam nimiam etiam familiaritatem cum sæcularibus, præsertim fæminis, contrahant; adeoque textus citati videntur esse tantum inhibitorii, non irritaturii.

QUÆSTIO CCVII.

An dum supra domi privatim baptizatum postmodum in templo supplentur ceremoniæ & solennitates omissæ, etiam adhibitis patrinis, hi contrahant dictam cognationem.

RESp. Neque hi, neque supplens illas solennitates contrahunt hoc impedimentum (saltem dirimens) cognationis spiritualis; quia dicta suppletio non est collatio Baptismi, Sanch. *l.* 7. *d.* 62. *num.* 5. Pirh. *num.* 36. Unde etiam quoties Baptismus & confirmatio conferuntur invalide neque baptizans, neque susceptor contrahunt hanc cognationem; dum enim principale non subsistit, nec accessorium validum esse potest: susceptio autem e Baptismo & cognatio inde subsequens sunt accessoria ipsi Baptismo. Coninck. *d.* 32. *de Sacram. dub.* 2. *num.* 31. Pirh. *loc. cit.* cum communi.

QUÆSTIO CCVIII.

Quæ ætas vel intentio requiratur in suscipiente, seu levante baptizatum, ut contrahatur hæc cognatio.

1. RESp. ad primum: Nulla ætas certa ad hoc requiritur Sanch. *l.* 7. *d.* 60. *num.* 3. Nav. *l.* 4. *consilior. cons.* 2. *de cognat. Spirit.* Laym. *num.* 2. Pirh. *num.* 34. Sed neque necesse est, ut ætate excedat baptizandum. Sanch. Pirh. *LL. cit.* requiritur tamen usus rationis; qui enim necdum assecutus rationis discretionem, patrinus esse nequit. AA. iidem *LL. cit.*

2. Resp. ad secundum: Requiritur intentio obeundi munus patris spiritualis seu patrini juxta institutionem & consuetudinem Ecclesiæ; adeoque non sufficit materialiter levare e sacro fonte, vel etiam solum commoditatis gratia, vel ob aliam causam V. g. ut patrinum senem juvet, baptizatum sustinere. Sanch. *d.* 58. *n.* 4. Laym. Pirh. *LL. cit.* Ponc. *l.* 7. *c.* 39. *num.* 9. Castrop. *loc. cit. num.* 4. nullatenus autem ex eo illam cognationem impedire poterit patrinus, quod noluerit eam contrahere, si de cætero intentionem habeat exercendi munus patrini; cum hæc cognatio officio patrini annexa sit jure Ecclesiastico, cujus efficaciam patrinus impedire nequit. Sanch. Castrop. *LL. cit.*

QUÆSTIO CCIX.

An & qualiter requiratur, ad contrahendam hanc cognationem, ut baptizans & levans sit baptizatus & fidelis.

1. RESp. Neque baptizans, neque levans e sacro fonte est capax contrahendæ cognationis spiritualis ab Ecclesia introductæ ex Baptismo, qui non est baptizatus, etsi alias sit catechumenus; quia Ecclesiæ ejusque legibus, vi quarum hoc impedimentum introductum, subjectus non est. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 30. *num.* 34. Sanch. *l.* 6. *d.* 60. *num.* 7. & 8. Pirh. *num.* 35. Laym. *cit. num.* 2. dicens esse certam sententiam, juxta quod expresso habetur *c. in Baptismate, d. 4. de consecrat.* Pari modo patrinus esse non potest in confirmatione, adeoque nec inde contrahere cognationem, qui ipse confirmatus non est. Pirh. *num.* 34. Laym. *num.* 2. citans gl. *in cit. c. in Baptismate.* Henriq. *l.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Vivald. *de Baptism. c. ultim. num.* 29. Sanchez *l.* 7. *d.* 60 *num.* 20. contra Navar. *l.* 4. *consil.* 1. *de cognat. Spirit.* Sotum *in* 4. *d.* 24. *quæst.* 1. *a.* 5. Roderiq. *in Tom.* 1. *sum. cap.* 227. *conclus.* 4. Sylv. Tabiena &c. Ex his jam

2. Infertur primo, infidelem, qui baptizavit filiam fidelis, etiam conversum & baptizatum, posse cum ea ejusque matre contrahere matrimonium; quia Baptismus, ex quo oriri poterat illa cognatio spiritualis & impedimentum, tunc quando erat, illud & illam causare non poterat; quia infidelis non erat ejus capax; neque modo, dum jam capax est illius; quia non amplius existit; ita Sanch. *d.* 60. *num.* 11. Coninck. *cit. dub.* 2. *num.* 25. Pirh. *num.* 25. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 8. contra Henriq. *l.* 12. *cap.* 3. *num.* 4.

3. Infertur secundo: Fidelem baptizantem, vel levantem e sacro fonte filium infidelis, nullam contrahere cum eo cognationem. Barbos. *loc. cit.* Sanch. *num.* 14. Rodriq. *loc. cit. num.* 226. *conclus. ultim.* Pirh. Laym. *LL. cit.* contra Henriq. *cit. cap.* 11. *num.* 3. Sylv. *v. matrim.* 8. *quæst.* 7. *dicto* x 2. siquidem cognatio spiritualis, cum sit relatio inter duos terminos ejus capaces, non potest ab altero eorum contrahi, quin ab utroque contrahatur; adeoque cum non baptizatus nequeat esse cognatus spiritualiter, etiam fidelis baptizans ejus filium non potest esse ejus cognatus spiritualiter. Laym. Sanch. Pirh. *LL. cit.* subjicit tamen Laym. quod in hoc casu (nimirum ubi fidelis baptizavit filium infidelis) si parens baptizati filii postea suscipiat Baptismum, ex eo tempore censeatur contraxisse spiritualem cognationem, per quam impediatur a nuptiis cum persona baptizante, confirmante, & patrinis filii sui, aitque ita doceri a Sylv. *l. c.* & Con. *l. c. a.* 27. contra Sotum *l. c.* & Sanch. *loc. cit. num.* 15. quæ tamen doctrina, non video, quomodo subsistat cum eo, quod dixerat paulo ante, nimirum Baptismum, qui jam prætеritus est, & non est, non posse causare dictam cognationem in eo, qui jam quidem ejus capax est, non tamen erat ejus capax, quando existebat Baptismus.

QUÆSTIO CCX.

Dum quis per legatum vel procuratorem suum suscipit aliquem ex Baptismo vel confirmatione, quis eorum contrahat cognationem spiritualem.

1. RESp. primo: Imprimis talis legatus, procurator vel mandatarius non contrahit illam cognationem; siquidem ut sit verus patrinus seu susceptor, adeoque cognationem illam contrahat, requiritur ut suo nomine, & non alieno levat baptizatum de sacro fonte. Covar. *in epit. part.* 2. *cap.* 6. §. 4. *num.* 7. Sanch. *l.* 7. *d.* 59. *num.* 12. Sylv. *v. matrim.* 8. *quæst.* 7. *d.* 15. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 30. *num.* 50. Laym. *cit. cap.* 8. *num.* 4. Pirh. *num.* 37. Castrop. *cit. part.* 9. §. 2. *num.* 14. contra Rodriq. *loc. cit.* Tolet. *l.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. Sotum *loc. cit. quæst.* 1. *a.* 1. Azor. *instit. moral. part.* 1. *l.* 2. *cap.* 12. Galleg. *de cogn. spirit. c.* 13. *num.* 14. Reginald. & plures alios apud Barbos. cujus ratio ulterior hæc est, quam tradit Castrop. *loc. cit.* quod careat talis animo & voluntate, se in patrinum constituendi; item non velit ex hoc munere suo obligationem subire instruendi baptizatum, sed illam in principalem suum rejicit; qui tamen animus & voluntas secundum dicta paulo supra omnino requiritur ad esse verum patrinum & contrahen-

hendam hanc cognationem; ac denique ipse non est designatus in patrinum, sed is, qui eum constituit suum legatum, procuratorem. Sed neque his obstat, quod, qui ex commissione alterius baptizat, contrahat cognationem illam; quia is adhuc vere baptizat nomine proprio tanquam verus Christi minister, etsi jurisdictione ab alio accepta.

2. Resp. secundo: Ipse principalis constituens procuratorem, seu mittens legatum suum est vere patrinus, & contrahit cognationem. Sanchez *L. 7. disp. 59. numer.* 2. Ponc. *L. 7. cap. 39. num.* 10. Coninck. *de matrim. disp. 32. du. num.* 4. Laym. *loc. cit. num.* 5. Pirh. *num.* 37. Barbos. *loc. citat.* Rebell. *part. 2. L. 3 quæst.* 6. Castropal. *num.* 16. Tanner. *cit. dub. 4. numer.* 7n contra Sanch. *disp.* 59. *num.* 4. referentem plures alios. Henriq. *l. 12. de matrim. cap.* 11. *num. ultim.* Covarruv. *4. decret. 2. part. cap. 6. §... nu.* 6. censentes neque principalem contrahere cognationem. Verum pro respons. nostra decisum sæpe esse a Sacr. Congreg. testantur Rebell. *loc. citat.* Francisc. Leon. *in thes. fori eccles. part. 2. cap. 9. num.* 63. item a Rota, testibus Verall. *decis. 47. part.* 3. Gallat. *in Margarit. cas. vers. cognatio.* Riccio *in prax. fori eccles. resol.* 630. Accedit quoque ratio, nimirum, quod quilibet medio procuratore præstare possit, quæ potest per se ipsum, si alias prohibitus non est; *Regul. qui potest de regul juris in* 6. nullibi autem prohibitum constituere procuratorem ad munus patrini exercendum; confirmatur quoque consuetudine & usu, quo passim videmus, Magnates per Legatos suos obire hoc munus, quam certe consuetudinem non permitteret Ecclesia, si tales medio procuratore patrini esse non possent, permitteret enim Baptismum solennem celebrare sine patrino; jam vero si principales illi sunt vere patrini, contrahunt dictam cognationem; quia jura passim dicunt eam contrahi a patrinis; sed & dum jura loquentia de hoc munero patrini denotant actionem personalem, qualis est tangere, tenere. V. Gr. *cap. limina 30 quæst.* 1. ubi; *propriis manibus retinendo suscepit*: solum exprimunt, quid factum fuerit, vel describunt munus susceptionis e Baptismo, sicut ordinarie fieri solet (& forte olim non erat tam usitatum hoc munus patrini obire per alium. Pirh. Laym. *LL. cit.*) non vero ferunt legem, quod aliter fieri non possit, Castrop. *num.* 17. quin & per consuetudinem induci potest, ut contrahatur hæc cognatio, etiam siquis non per seipsum, sed per procuratorem teneat, baptizatum, ut ipse Sanch. *num.* 6. fatetur, cum quod per legem induci potest, possit etiam induci per consuetudinem legitime præscriptam. Neque opponi potest primo, cognationem carnalem non posse contrahi, nisi actione personali parentis; quia generatio physica, in qua fundatur hæc cognatio, alteri committi nequit. Neque secundo, quod quis per procuratorem adoptare nequeat; quia id specialiter jure cautum est, qualiter nullibi in jure cautum est, quod nemo exercere possit munus patrini per alium; eo ipso autem, ut Castropal. *loc. cit.* quo susceptio baptizati non prohibetur per procuratorem fieri, decisum est impedimentum cognationis spiritualis annexum susceptioni contrahi medio procuratore; & certe si cognatio hæc spiritualis imitari in omnibus deberet legalem, deberet quoque suscipiens baptizato esse longe major, sicut necesse est, ut adoptans adoptato sit major, ut eum generare posset *§. minorem natu Instit. de adopt.* neque tertio, quod cognationem hanc non contrahat constituens alium, qui nomine suo baptizet; quia in Baptismo constitui nequit procurator; nequit enim conferri nomine alterius.

QUÆSTIO CCXI.

An & qualiter parens baptizans aut levans ex Baptismo filium suum contrahat hanc cognationem.

1. RESP. primo: Tametsi Christianus laicus urgente necessitate baptizans aliquem contrahat cognationem spiritualem, impedientem matrimonium cum baptizato ejusque parentibus, Sanch. *L. 7. disp. 62. num.* 10. Laym. *citat. cap. 8. num.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 39. cum jure expressum sit ex vero Baptismo contrahi cognationem spiritualem. Tametsi etiam suscipiens infantem in privato Baptismo ex necessitate collato ex proposito obeundi munus patrini contrahat eandem cognationem. Pirh. *loc. cit.* Laym. *l. 5. tr. 2. cap. 9. num.* 5. contra Sanch. *num.* 13. conjux tamen in necessitate baptizans proprium filium, vel etiam filiastrum vel filiastram suam, hoc est, privignum vel privignam suam, seu prolem conjugis suæ, non contrahit hoc impedimentum cognationis, adeoque jam debitum ab uxore sua petere potest sicut ante Laym. *l. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. n.* 7. Pirh. *hoc tit. num.* 39. juxta *cap. ad limina* 30. *q.* 1. ubi etiam redditur ratio; quia nimirum inculpabile judicandum, ad quod necessitas impulit. Idem est, si parens baptizet vel suscipiat ex Baptismo ex uxore sua genitam prolem etiam extra necessitatem, laborans tamen probabili ignorantia juris vel facti; cum enim id solo jure ecclesiastico inductum sit & prohibitum, hoc jus ignorans, sicut excusatur a culpa, sic etiam excusatur a pœna, qualis est cognatio contracta, quatenus privat jure petendi debitum; ita Sanch *loc. cit.* Pirh *loc. cit.* citans Tanner. *ubi supra dub. 4. num* 7. Laym. *num.* 8. citans Navar. *c.* 16. *num.* 34. Suar. *part. 3. quæst.* 67. *a.* 8. Rodriq. *Tom. 1. sum. c.* 243. *conclus.* 10. Idem est, si pater prolem conjugis suæ, vel etiam communem filium in Baptismo vel confirmatione tanquam patrinus suscipiat, dum alius patrinus haberi nequit. Sanch. *l. 6. disp. 26. num.* 3. Laym. *num.* 7. Pirh. *loc. cit.* & alii communiter contra Henriq. *l. 11. cap. 13. num.* 12. cum impedimentum non petendi debitum jure canonico statutum sit in pœnam; parens autem in hoc caso nihil delinquat, ut docet D. Thom. 3. *part. quæst. 67. art. 8. ad* 2. ubi: *sicut generatio spiritualis alia est a generatione carnali, ita alius debet esse pater spiritualis a carnali, nisi necessitas aliud exigat.*

2. Resp. secundo: Quod si parens extra casum necessitatis & dictæ ignorantiæ, adeoque temere & malitiose prolem ex conjuge sua genitam baptizet, vel e sacro fonte, aut in Confirmatione suscipiat, non tantum graviter peccat, quia id severe prohibitum *cap. 1. & 2. caus. 30 quæst.* 1. ut Navar. *cap. 22. num* 9. Suar. *loc. cit.* Sanch. *L. 9. disp. 26. num.* 7. Laym. *cit. cap. 8. num.* 8. Pirh. *numer.* 39. cum communi; sed etiam propter spiritualem exinde cum conjuge sua contractam cognationem non potest ab ea petere debitum, etsi reddere teneatur. AA. iidem. Quamvis iidem asserant, dictum impedimentum debiti petendi nullo jure expresso probari posse, sed solo DD. consensu niti. Quin & cum Gloss. *in cap. Si vir hoc tit. vers. debitum subtrahere.* Coninck. *disp. 34. dub. 8. n.* 69. Argum. *cap. de eo 30. quæst.* 1. expresse tenent contrarium, nimirum dictam pœnam non incurri hodiedum, seu nullum conjugalis usus impedimentum inde oriri, quam sententiam probabilem censet Laym.

QUÆSTIO CCXII.

An si sponsus de futuro sponsæ suæ prolem baptizet, aut levet ex Baptismo vel Confirmatione contrahat cognationem spiritualem cum ea, adeoque impedimentum solvens sponsalia, & dirimens matrimonium contrahendum.

1. RESP. primo affirmative quo ad Baptismum, etiam ob necessitatem ab eo collatum. Laym. *loc. cit. num.* 6. citans Navar. *in man. cap. 16. num* 34. *& L. 4. cons. 3. de cognat. spiritual. edit.* a Idemque procedere ait Laym. etsi nesciat esse prolem suæ sponsæ; eo quod nihilominus vere baptizet, si habeat intentionem conformem Ecclesiæ baptizandi hunc hominem, quicunque is sit. Ratio autem, cur potius sponsus in eo casu incurrat dictum impedimentum, maritus vero ob eandem necessitatem baptizans prolem suam, non incurrat impedimentum petendi debiti, hæc assignatur e Laym. *numer.* 7. quod marito post nuptias acquisitum sit jus petendi debitum, adeoque privatio hujus juris sit pœna, quæ non incurritur ab eo, qui culpam non admisit *cap. discretionem de eo qui cognovit.* inter solutos autem, seu nondum junctos matrimonio, dicta moralis inhabilitas ad contrahendum matrimonium, ex Juris Canonici dispositione non censeatur pœna, quippe quæ etiam sine culpa contrahi potest.

2. Respond. secundo: Tametsi sponsus scienter levans e sacro fonte vel confirmatione prolem sponsæ incurrat idem impedimentum; secus tamen esse videtur, si inscienter, seu nesciens esse prolem suæ sponsæ id faciat. Laym. *cit. numer.* 6. cum Abb. *in cap. 2. hoc tit. numer.* 4. Sanch. *L. 7. disp. 52. numer.* 7. eo quod, ut volunt iidem, ad hanc cognationem contrahendam requiratur scientia & animus, quorum utrumque in tali deficit; eo quod patrinus determinatam intentionem habeat suscipiendi & spondendi pro hoc homine, quem animo concepit, adeoque, error circa personam efficit, ut vere patrinus non fiat, & consequenter cognationem non contrahat. Nihilominus contrarium, nimirum dictum errorem, dum quis levat filium sponsæ suæ, putans esse filium alterius, non impedire officium patrini, consurgentemque ex eo cognationem, tenent Castropalao *loc. cit.*

loc. cit. §. 2. num. 5. Ponc. *L. 7. cap. 39. num. 9.* & plures alii citati a Sanch. *loc. cit.* eo quod levans filium videatur obligatus habere intentionem levandi præsentem, quicunque is sit, non secus ac baptizans tenetur habere intentionem baptizandi præsentem, quicunque is sit, ne baptismo illa sacra ceremonia deficiat. Quod autem maritus levans per errorem filium uxori suæ non impediatur a petitione debiti, non probat, illum non gessisse verum susceptoris munus, sed solum probat ex juris dispositione impedimentum petendi debitum illi sublatum esse, & merito, cum hoc impedimentum, utpote superveniens matrimonio jam contracto, non deceba contrahi absque culpa.

QUÆSTIO CCXIII.

Num Hæreticus baptizans, vel in Baptismo aut Confirmatione levans prolem Catholici (contra quod prohibetur c. placuit ib. q. 1. c. non licet dist. 4. de consecr. *) contrahat cognationem spiritualem.*

RESp. affirmative; quia est baptizatus & legibus Ecclesiæ subjectus (nullibi siquidem in jure redditur incapax gerendi hoc munus patrini, etsi id ei inhibeatur, & aliunde non obstat, quod non sit capax instituendi baptizatum in Fide Catholica; cum hoc officium nunc fere non incumbat patrinis, ut Laym. *l. c. n. 7.*) ac proinde capax cognationis spiritualis. Sanch. *l. 7. d. 60. n. 2.* ubi ait, hos omnes fateri. Et ex eo Pirh. *h. t. n. 48.* Secus se res habet cum infideli secundum dicta supra.

TITULUS XII.

De cognatione legali.

QUÆSTIO CCXIV.

Quid sit, & quotuplex adoptio, ex qua oritur cognatio legalis.

1. RESp. ad primum: Recte definitur adoptio a D. Th. communiter recepto *in 4. dist. 42. quæst. 2.* quod sit personæ extraneæ in filium vel nepotem legitima susceptio. Dicitur primo: *Persona extranea* qualis hic intelligitur, quæ non est in potestate adoptantis, seu ea descendentibus illius, sive alias sit consanguinea sive non. Dicitur secundo: *In filium vel nepotem*; quia nemo potest adoptari in fratrem vel patrem *l. nec apud cap. de hæred. inst.* sub masculino autem hic comprehenditur & fæmineum, nempe sub nomine filii filia, sub nomine nepotis neptis. Dicitur tertio: *Susceptio*, quia per eam adoptans suscipit in filium vel nepotem, quem a natura non habet, & quo naturæ defectum supplet. Dicitur quarto: *Legitima*: quia legibus civilibus statuta, & Canonicis approbata fuit, adeoque etiam in ea forma a jure præscripta est servanda. Videlicet primo, ut adoptans sit mas. Fæminis enim ea rescripto Principis non est concessum adoptare *§. fæminæ Inst. de adopt.* eo quod filios sub sua potestate non contineant. Castrop. *tract. 28. d. 4. p. 9. nu. 4.* Secundo, ut sit sui juris, & major 25. annis; cum alias sua administrare nequeat. Tertio, ut non sit naturaliter impotens ad gignendos filios; cum in defectum filiorum, quos spectata natura habere posset, permittitur adoptatio. Quarto, ut sit 18. annis major adoptato, adeoque ut esse posset ejus pater naturalis, etiam ratione ætatis; cum hæc adoptio filiorum ad similitudinem carnalis generationis introducta; quinimo in adoptione perfecta, seu arrogatione adoptans debet complere annos 40. Quinto, ut adoptatus sit adoptanti præsens, dum fit adoptio (adeoque adoptio per procuratorem fieri nequit) & hic in adoptionem consentiat. Vide de his omnibus *Instit. & ff. de adoptionibus*. Sanch. *L. 7. dist. 63. num. 2.* Molin. *Tome 2. dist.* 227.

2. Resp. ad secundum: Adoptatio, ex qua oritur cognatio legalis, est duplex; Alia perfecta, in qua rescripto Principis persona extranea, quæ est sui juris, transit in potestatem & familiam adoptantis, sicut alii filii legitimi, fitque hæres necessarius illius ex testamento in quarta bonorum parte ut filius naturalis. Dicitur hæc adoptatio arrogatio; quia a Principe rogatur adoptans, an velit adoptatum in filium vel nepotem habere; & adoptatus, an id fieri consentiat. Alia imperfecta seu simplex & specialis, quæ fit authoritate cujuslibet Judicis merum & mixtum imperium habentis, & qua persona extranea, esto juris sui non sit, sed sub alterius, nempe patris sui naturalis potestate constituta, quam per hoc non egreditur, nec in adoptantis potestatem transit, nec fit hæres illius necessarius ex testamento, sed tantum valens ei ab intestato succedere (nisi tamen pater naturalis non extraneo, sed avo materno, vel etiam avo paterno, si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, filium dederit in adoptionem; tunc enim adoptatus transiret in potestatem patris adoptivi. Pirh *hoc ti. nu. 2.*) assumitur in filium vel nepotem. Uti hæc omnia constant ex *§. sed hodie §. item & aliis Inst. de adopt.* & *l. 1. & 2. cod. & ff. de adopt.* De cætero adoptio, facta etiam publice, sed sine authoritate Principis vel magistratus, nullum effectum habet, cum leges citatæ hanc conditionem pro forma requirant, adeoque ea deficiente actus corruit. Castrop. *n. 5.* citatis Abb. *in c. unic. h. t. n. 3* Jo-And. *ibid. n. 1.* Angel. *v. adoptio num. 3.* Sylv. *eod. q. 8.* Sanch. *l. 7. d. 63. n. 18.*

QUÆSTIO CCXV.

Quid sit, & quotuplex cognatio legalis.

1. RESp. ad primum: Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Ita communiter AA. cui definitioni Pirh. *h. t. nu. 3.* ex Sanch. *l. c. n. 5.* adjicit hæc verba: *Jure Ecclesiastico jus civile approbante.* Atque ita distinguitur a cognatione naturali, utpote quæ provenit ex consanguinitate & affinitate.

2. Resp. ad secundum: Cognatio legalis, tam ex adoptione imperfecta, quam perfecta proveniens est triplex: Prima in linea recta inter adoptantem & adoptatum & hujus descendentes, si hi in ejus potestate existant *§. ergo non omnes instit. de nuptiis. Leg. quin etiam ff. de ritu nupt.* Secunda literalis: seu in linea transversa inter adoptatum & filios, nepotes & alios descendentes, saltem legitimos, adoptantis. De qua *§. inter eas Instit. de nupt.* & *cap. per adoptionem 30. quæst. 3 cap. unic. hoc tit.* Tertia fundatur in legali quadam affinitate ad similitudinem affinitatis carnalis inter adoptantem & uxorem adoptati, & econtra inter adoptatum & uxorem adoptantis. *L. adoptivus ff. de ritu nupt.* Vide de his Sanch. *citat. dist. 63. numer. 6.*

QUÆSTIO CCXVI.

Ex qua adoptione oriatur cognatio legalis dirimens matrimonium.

1. RESp. primo: Certum est, oriri eam ex adoptione perfecta, quæ arrogatio dicitur *L. 14. & seq. ff. de ritu nupt c. unic. h. t. c. per adoptionem caus. 30. q. 3.*

2. Resp. secundo: Oriri eam ex adoptione imperfecta seu simplice, negant Sylv. *verf. matrimonium 8. quæst. 8. dicto 4.* Sanch. plures alios referens *l. 7. dist. 63. num. 9.* Henriq. *l. 12. cap. 12. numer. 3* in quorum sententiam inclinant Laym. *L. 5. tractat. 10. pars. 4. cap. 7. num. 3* Pith. *hoc tit. num. 3.* eo quod, ut inquiunt, hæc non sit adoptio proprie, & simpliciter dicta (nisi forte, ut Pirhing. adoptans sit avus paternus aut maternus; tunc enim, quia adoptatus transit in avi potestatem, censetur adoptio perfecta, ut ille) adeoque, cum impedimenta tanquam odiosa sint restringenda, leges statuentes hoc impedimentum non sint extendendæ nisi ad adoptionem proprie talem. Item quod hæc cognatio legalis constituta ad similitudinem cognationis carnalis, uti & filii adoptivi ad similitudinem filiorum naturalium legitime natorum; quam similitudinem referre nequit, nisi adoptati transeant in potestatem & familiam adoptantis, quod non fit per adoptionem illam imperfectam. Ac denique, quod hac ratione cesset periculum incontinentiæ inter cognatos legales, dum hi, cum non transeant in potestatem adoptantis, non habitent simul. Quod periculum vitandum est

præ-

præcipuum fundamentum, cur hoc impedimentum ab Ecclesia inductum, ut D. Th. *in 4. d. 42. q. 2. a. 2. in corp.* unde etiam ait Pirh. cum Sylv. non obstare, quod Jus Canonicum non distinguat inter arrogatum, & adoptatum simpliciter, sed loquatur indistincte, cum satis sit, quod ratio juris, quæ est dicta cobsbitatio, distinguat. Econtra affirmant cum Gl. *in c. unic. h. t. ad fin.* & *ibi* Host. *in fine*. Abb. *n. 5.* Cov. *in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 5. n. 2.* Tolet. *l. 7. sum. c. 4. num. 7.* Rebell. *de oblig. just. p. 2. l. 3. q. 7.* Ponc. *l. 7. c. 41. in princ.* Gutt. *de matr. c. 102.* Barb. *de potest. Episc. 3. p. alleg. 51. in fine*, quos citat & sequitur Castrop. *cit. p. 9. n. 9.* eo quod licet adoptio, per quam quis non transit in potestatem & familiam adoptantis, sit adoptio minus perfecta, sit tamen vera ac proprie adoptio. Argum. *§. adoptio Institut. de adopt.* & *l. adoptivus ff. de rit. nupt.* & textus Juris Canonici, quibus asseritur hoc impedimentum, loquantur absolute de adoptione, ac proinde ortam inde cognationem legalem opus non sit in omnibus assimilari cognationi carnali.

QUÆSTIO CCXVII.

An & quæ cognatio legalis ex tribus illis dirimat matrimonium.

RESp. Omnes tres illæ cognationis legalis species sunt impedimentum dirimens matrimoninm. Abb. *in rub. h. t.* D. Th. *l. c. q. 2. a. 2.* Gallego *de cogn. &g. c. 3. n. 36.* Lancell. *inst. jur. can. l. 2. tit. de tripl. cogn. ubi de legali §. legat. cognat.* Ponc. *l. 7. c. 41. n. 2.* Sanch. *cit. d. 63. n. 17.* Gutt. *l. 104. n. 4.* Laym. *l. c. n. 3.* Castr. *nu. 7.* cum communi. Cum enim Jure Civili Locis cit. supra quælibet harum cognationum statuatur esse impedimentum dirimens, & a Jure Canonico *rubr. de cognat. leg.* approbata sit in communi cognatio legalis, sequitur earum singulas constituere tale impedimentum etiam Jure Canonico. Castrop. *l. c.* quin & in specie species prima cognationis legalis, nempe lineæ rectæ approbatur tanquam impedimentum dirimens *c. diligere 30. qu. 3.* his verbis: *Quandoque nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii sunt, veneranda Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt.* Secunda species illius, nempe in linea transversa approbatur & statuitur impedimentum dirimens *c. per adoptionem ead. caus. & q.* ac præcipue *c. unic. h. t.* ubi: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & illam nuptiæ consistere non possunt*: Siquidem verbum *potest* præposita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum, ut Sanch. *l. 6. d. 38. n. 20.* & ex eo Castrop. *l. c.* uti & verbum *consistere* præposita negatione indicat, nullam consistentiam aut valorem habere dictum matrimonium. Tertiæ vero cognationis legalis speciei, etsi nullus textus Juris Canonici, a quo impedimenta hæc statuta approbantur, meminerit, non minus tamen ea, quam priores approbata censetur, non tantum per hoc, quod rubrica seu titulus generalia sit, nimirum *de cognatione legali*, eademque de hac, quæ de duabus aliis speciebus ut ratio; sed etiam, quod generali consuetudine Ecclesiæ sit recepta & approbata, adeoque & inde rationem & vim habeat impedimenti dirimentis, ut Sanch. *l. 7. d. 63. nu. 17.* Laym. Castr. *ll. cit.* Pirh. *h. t. nu. 7.* Porro hujus impedimenti rationes eædem ab AA. adducuntur, quæ pro cognatione carnali, nempe quod adoptatus specialem debeat adoptanti reverentiam, cui non parum obstat copula carnalis, quodque adoptatus cum adoptante ejusque uxore ac filiis habitare debeat, onde facile libidini foret locus, si matrimonia inter eos non essent interdicta. Ita fere Castrop.

QUÆSTIO CCXVIII.

Ad quot gradus se extendat impedimentum legalis cognationis, & quamdiu duret.

1. RESp. primo: Cognatio legalis lineæ rectæ in ratione impedimenti non extendit se indiscriminatim ad omnes descendentes adoptati, ut volunt D. Thom. *loc. cit. art. 3.* Sylv. *v. matrimonium 8. quæst. 3. dicto 2.* & alii, eo quod sic se extendat jure civili; cognatio autem inducta jure civili approbetur a Jure Canonico. Neque indiscriminatim ad gradum secundum, nempe inter adoptantem & adoptatum & hujus filios, ut Henriq. argumento sumpto ab affinitate contracta ex copula illicita; cum in hoc non minus imitetur affinitatem ortam ex copula licita quam illicita. Neque indiscriminatim ad gradum quartum, ut Navar. *cap. 22. num. 45.* Tolet. *L. 7. cap. 4. num. 7.* Ponc. *L. 7. cap. 41. num. 3.* Valent. *Tom. 4. d. 10. quæst. 5. part. 3. post init.* argumento sumpto a cognatione carnali; eo quod licet cognatio legalis constituatur ex similitudine ad carnalem, non tamen exinde hæc in omnibus sit mensura illius, ne alias etiam cognatio legalis, non solum in linea recta transversa extendenda sit ad gradum quartum. Ad hæc, ut Castrop. carnalis cognatio & affinitas se extendunt ad quartum gradum; quia frequentissime occurrunt, cognatio vero legalis valde raro.

2. Resp. secundo: Sed dicendum intercedere hoc impedimentum tantum inter adoptantem & adoptatum; hi enim tantum Jure Canonieo exprimuntur; adeoque jam etiam inter adoptantem & adoptati filios, filias, nepotes, neptes, aliosque descendentes, qui tempore adoptionis erant sub potestate primi adoptati; adoptata enim persona aliqua (ut probat *Leg. si paterfamilias ff. de adopt.*) censentur adoptati omnes, qui tempore adoptionis erant sub ejus potestate. Ita tenent Sanch. *cit. dist. 63. num 34.* Laym. *num. 3.* Castrop. *nu. 14.* Pirh. *numer. 5.* Con. *dist. 32. dub. 3. ad init.* Hinc jam subsistit matrimonium inter adoptantem & filiam adoptati, quæ post adoptionem nata, fuit extra potestatem adoptati. Castropal. *loc. cit.* Item cum filia filiæ adoptivæ; quia mulier neminem habet in sua potestate *§. fœmina instit. de adopt.* Item cum quibuscunque illegitimis adoptati. Sanch. *num. 35.* Laym. Castr. *ll. cit.* Covar. *l. c. §. 5.* &c. cum illegitimi non possint esse in potestate *§. ult. inst. de nupt.*

3. Resp. tertio: Durat hoc impedimentum semper, seu dirimit matrimonium, etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati. Castropal. Pirh. Laym. *LL. cit.* juxta *Leg. adoptivus* & *Leg. quin etiam de rit. nupt.*

4. Resp. quarto: Secunda species cognationis legalis seu in linea transversa præstat impedimentum matrimonio inter adoptatum & filios naturales adoptantis, & inter nullas alias personas. Castrop. Laym. Pirh. *LL. cit.* Sanch. *dist. 63. n. 30.* cum communi juxta *cap. unic. hoc tit.* Proinde non extenditur ad filios adoptivos inter se; neque ad eorum parentes cum adoptante; neque ad filios adoptatos cum illegitimis adoptantis; quia, ut dictum, illegitimus non est sub patria potestate, neque solet appellari naturalis, adeoque textus *cit. cap. unic.* solum dicit, non posse filium adoptatum cum filia carnali, & naturali adoptantis contrahere durante patria potestate. Ita AA. cit. contra Ponc. *loc. cit. num. 4.* dum sentit, impedimentum extendere quoque se ad illegitimos. Porro perseverat hoc impedimentum tamdiu solum, quamdiu dicti filii naturales sunt sub patria potestate adoptantis, adeoque soluta hac potestate vel morte adoptantis, vel emancipatione legitima vel filii adoptivi vel naturalis cessat. Ac ita, si pater emancipet filium suum adoptivum, poterit illi filiam suam naturalem legitimam dare in uxorem. Abb. Præpos. Card. *in cit. c. unic.* Sanch. Ponc. Laym. Castrop. *ll. cit.*

5. Resp. quinto: Tertia species cognationis legalis per modum affinitatis contracta inter uxorem adoptantis cum adoptato, & inter uxorem adoptati cum adoptante, neque ad alias personas se extendens, præstat impedimentum perpetuum, seu durans etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati; eo quod reverentiam, quam adoptatus cum uxore sua debet adoptantis & illius uxori, & cui impedimentum innititur, hoc sit perpetuum, secus ac accidit in secunda specie cognationis legalis. Sanch. *loc. cit. num. 24.* cæterique AA. *LL. cit.* juxta expressum textum *cit. l. adoptivus*.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.

TITULUS XIV.

De consanguinitate & affinitate.

Majoris commoditatis compendiique gratia hos duos Titulos non incongrue conjungimus, utpote quorum posterior totam prioris materiam exhaurit, dum in eo agitur de affinitate in tota sua latitudine accepta, qua complectitur tam eam, quæ contrahitur ex copula licita, quam quæ oritur ex illicita, ac proinde eam quoque, quam quis contrahit ex eo, quod cognoverit consanguineam uxoris suæ.

CAPUT PRIMUM.

De Consanguinitate.

QUÆSTIO CCXIX.

Quid sit consanguinitas.

1. RESp. Consanguinitas sic dicta quasi sanguinis unitas, seu sanguinis communis participatio, communiter tam a Theologis, quam Juristis, definitur ex S. Th. *in 4. d. 40. q. unic. a. 1.* quod sit vinculum seu conjunctio personarum ab eodem stipite propinquo per carnalem propagationem descendentium. Dicitur primo vinculum: cum consanguinei, eo quod ex uno sanguine, & ab una radice seu stipite originentur sicut rami ex arbore, naturali quadam animorum conjunctione, nec non raro complexionis & morum, imo & corporum similitudine colligentur.

2. Dicitur secundo: *Ab eodem stipite*, seu progenitore propinquo: ut Pirh. *hoc tit. nu. 1.* Sanch. *L. 7. disp. 50. num. 1.* quia a communi stipite nimium remoto descendunt, consanguinei vocari non solent, ne alias omnes homines, utpote ab Adamo & Noemo descendentes, consanguinei inter se dicendi forent. Cujus etiam communis modi loquendi hæc est ratio; quod licet virtus generativa propensa ad generandum sibi simile in omnibus ab Adamo descendentibus secundum similitudinem specificam seu humanam perseveret, non tamen quoad similitudinem individualem, secundum quam parentes generant prolem sibi similem eorum imaginem referentem quoad corporis, complexionis, morumque habitudinem. Quæ vastus quomagis a communi stipite per succedentes generationes progreditur, eo magis dicta similitudo & sanguinis proportio minuitur ac deficit, ut Isidor. relatus in *c. consang. 35. q. 4.* Ac proinde jam, ut bene Pirh. *l. c.* ex Con. *disp. 32. de Sacram. du. 2. n. 1.* durat ac procedit cognatio seu consanguinitas eousque seu inter eos, qui secundum communem hominum judicium eundem sanguinem participant, ea participatione ob diversam commixtionem & distantiam a primo stipite non nimis deficiente. Quamvis hanc propinquitatem satis declarari ipso verbo *stipite*, absque eo, quod *propinquo* addi necesse sit, censeat Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 7. n. 1.*

3. Dicitur tertio: *Per carnalem propagationem descendunt*: non addendo: *ordinariam*; siquidem inter Christum & B. Virginem vera fuit consanguinitas; quia ex uno stipite propinquo descendunt, & ex sanguine Mariæ conceptum & efformatum Christi corpus, subministrante illa totum id, quod veræ matres naturales subministrant. Sanch. Pirh. *LL. cit.* non tamen propagatione carnali ordinaria, quæ fit concepto semine, ex Maria Christus descendit. Neque etiam addendo cum Covar. *in epit. 2. part. cap. 6. §. 6. num. 1.* & aliis sequentia: vel *quarum* (intellige personarum) *una ab alia descendit*: ut vel sic Adam ejusque filii dici possint consanguinei, quales alias dici non possent, cum non descendant Adam & Seth ab eodem stipite, etsi hic ab illo descendat; quia definitur hic consanguinitas, prout hodie est in usu. Laym. Pirh. *LL. cit.* Breviorem, & putat, meliorem definitionem dat Barb. *ad h. tit. num. 6.* quod sit relatio ratione sanguinis per naturalem generationem communicati. Ponit loco generis *relatio*, ut significet, consanguinitatem non esse ipsum vinculum, sed causam ipsius vinculi, ita ut vinculum sit effectus consanguinitatis, juxta quod dicit Cicero *L. 1. de officiis.* Sanguinis conjunctione devinciri caritate homines. Dicit; *Ratione sanguinis*: ad excludendas alias relationes. Dicit: *Per naturalem generationem*: ut excludantur collactanei, qui etsi nutriti sint eodem sanguine, & vel hinc dici possent conjuncti ratione sanguinis, non tamen consanguinei. Juxta quam definitionem ut Barb. Eva non fuit consanguinea Adami, utpote de cujus costa, non naturaliter, sed miraculose fuit efformata. Econtra B. Virgo & Christus fuere consanguinei; cum, ut Barb. citans D. Th. *p. 3. q. 33. a. 4. in corp.* generatio Christi ex parte materiæ per Virginem Matrem exhibitæ fuit naturalis. Atque ex his vides, etiam illegitimos & spurios venire nomine consanguineorum, cum spectato jure naturali, etiam illi ex communi illis ac legitimis sanguine descendant; adeoque, ut Corrad. *in pr. dispens. L. 7. c. 1. n. 6.* quoad matrimonii impedimentum & dispensationem nullum faciendum inter eos discrimen.

QUÆSTIO CCXX.

Quotupliciter sumatur consanguinitas.

RESp. Sumitur dupliciter in jure: Primo stricte ac civiliter, prout tantum comprehendit fratres ex eodem patre petitos, & eos tantum, qui per lineam masculinam seu per virilis sexus cognationem sunt conjuncti, ac ideo idem nomen & familiam sequuntur & agnati dicuntur, sive mares sint, sive fœminæ. Sic Titius ejusque filii ac filiæ Germani fratres, eorumque filii ac filiæ agnati dicuntur & consanguinei in hac stricta significatione. Secundo late & naturaliter secundum propriam ac totam vim suam significandi, ut Barb. *l. c. num. 7.* prout comprehendit non tantum eos & eas, qui ex parte patris, sed & eos, qui ex parte matris seu per lineam maternam sunt conjuncti, & cognati dicuntur; ita ut & agnatos & cognatos, seu omnes descendentes, sive a maribus, sive a fœminis comprehendat; ita Pirh. *h. t. num. 2.* ex Barb. *l. c.* ubi is etiam, quod Juris consulti & Imperatores consanguinitatis nomen frequentissime in stricta illa ac civili significatione usurpent, licet etiam aliquando, sed raro in dicta illa significatione propria ac naturali; uti constat ex. *l. cum quidem ff. de acquir. hered.* & ibi Gloss. *vers. consanguineus L. hac parte ff. unde cognati.* Econtra Pontifices utantur illo in significatione illa lata, propria & naturali; ita ut vix unquam usurpent illud in significatione illa civili, ut constat ex

c. non

c. tua nos cap. non debet h. t. hodiedum vero ex consuatudina & communi loquendi usu usurpetur in lata illa significatinne, & prout utriusque linea descendentes comprehendit, ut Bald. *in l. ult. de V. S. num. 3.*

QUÆSTIO CCXXI.

Quid sit arbor consanguinitatis, stipes, linea, gradus.

1. RESp. ad primum: Arbor consanguinitatis, accipiendo illam, prout complectitur ramos, radicem seu stipitem, est collectio personarum de uno sanguine propinque participantium, distincta per stipitem, lineas & gradus: & sic a parte rei nihil est aliud, quam omnes personæ consanguineæ collective sumptæ.

2. Resp. ad secundum: Stipes est persona, a qua omnes personæ illæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt, seu originem ducunt.

3. Resp. ad tertium: Linea consanguinitatis est series seu collectio ordinata personarum sanguine junctarum ab eodem stipite descendentium. Linea hæc duplex est, una dicitur recta, & est series seu ordo personarum, quarum una ab altera originatur. Bifariam subdividitur, nimirum secundum habitudinem principii ad eos, qui inde originantur, & secundum habitudinem eorum, qui derivantur ad suum principium. Laym. *l. c. num. 3.* Prior vocatur linea descendentium seu inferior, in qua continentur personæ, quæ ab ascendentibus derivantur, ut filii, nepotes, pronepotes, abnepotes, & sic in infinitum. Posterior dicitur ascendentium seu superior, in qua stant ii, a quibus alii ducunt originem, ut pater, avus, proavus, abavus, &c. Altera dicitur linea transversa, transversalis, obliqua, collateralis; & est series & ordo personarum sanguine inter se junctarum, descendentium quidem ab eodem stipite, quarum tamen una ab alia non ducit originem, ut frater patris, filii & filiæ fratris, nepotes & neptes ex fratre, pronepotes & proneptes ex fratre; item patruus & amita, magnus patruus, & magna amita, magnus propatruus, & magna proamita &c. Linea collateralis seu transversa alia est æqualis, continens nimirum personas, de quarum cognatione quæritur in æquali gradu distantes a communi stipite. V. g. duo fratres, frater & soror. Si autem unus altero pluribus gradibus distet (hoc est, inter ipsum & stipitem plures personæ medient, quam inter alterum & stipitem) sunt collaterales in linea inæquali; sic frater a sororis vel fratris filia distat inæqualiter; quia fratres cum stipite, nempe patre, sunt in primo gradu, filia est in secundo gradu a stipite, ergo in inæquali gradu. Porro quoties fit mentio lineæ, nisi aliud exprimatur, de linea recta intelligendum est, & non de transversa, monet Castrop. *l. 1. p. 7. n. 2.* ex Perng. *de fideicommiss. n. 22. & seq.* Illud etiam notandum, quod licet alias nepos proprie dicatur filius genitus ex filio vel filia respectu avi *l. jurisconsultus §. nepos quoque ff. de gradibus* appellatione tamen nepotis veniat etiam fratris vel sororis filius secundum communem usum loquendi. Pirh. *h. t. num. 20.* juxta *cap. tua nos h. t.* & Abb. *ibi num. 2.* qui etiam addit etiam in statutis nomine nepotis venire fratris filium.

4. Resp. ad quartum: Gradus consanguinitatis est habitudo conjunctionis unius consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, a quo descendunt. Castropal. *loc. cit.* sive est distantia unius personæ ab altera in linea seu scala consanguinitatis. Laym.

QUÆSTIO CCXXII.

Quæ sint regulæ pro computandis & cognoscendis gradibus consanguinitatis.

1. RESp. Statui communiter tres: Prima pro linea recta, ascendentium nimirum & descendentium, quam tam in jure civili, quam canonico receptam esse dicit Pirh. *h. t. n. 4.* nimirum quod in linea recta tam ascendente quam descendente tot sint gradus, quot personæ, una dempta, nimirum communi stipite, a quo prima ducitur origo; unde pater & filius sunt juncti in primo gradu (pater enim secundum se non constituit gradum, sed in ordine ad filium, adeoque cum eo constituit primum gradum; hic filius iterum cum filio a se genito secundum gradum) avus & nepos in secundo gradu proavus & pronepos in tertio grado, abavus & abnepos in quarto gradu. Eandem regulam sic exponit Castropal. *loc. cit. nu. 3.* tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot generationibus mediantibus ab eo descendit; sic filius est in primo gradu cum patre; quia media una generatione ab eo procedit, nepos cum avo in secundo gradu, quia duplex generatio inter eos mediat.

2. Altera est regula pro linea transversa æquali, desumpta ex *cap. ad sedem & cap. parentele 35. quæst. 5.* quot gradibus personæ distant a stipite, tot gradibus distant inter se; cum enim tota & adæquata ratio conjunctionis harum personarum sit unio cum stipite communi, merito computantur gradus juxta distantiam ab illo, nec possunt magis aut minus distare inter se, quam a stipite. Sanch. *l. 7. disp. 50. num 5.* Pirh. *hoc tit. num. 5.* Sic itaque quia duo fratres vel sorores uno solum gradu in linea recta distant a communi stipite, ideo ipsi inter se uno tantum gradu distant in linea transversa; patrueles vero & consobrini, id est duorum fratrum vel sororum filii vel filiæ, quia in linea recta a communi stipite, hoc est, ab avo vel avia, distant duobus gradibus, ipsi inter se distant duobus gradibus; adeoque in secundo lineæ transversæ sibi conjuncti similiter filii & filiæ patruelium vel consobrinorum, quia in linea recta distant tribus gradibus a stipite, sibi sunt in tertio gradu conjuncti.

3. Tertia regula pro linea transversa inæquali, sive dum personæ quædam in lineis collateralibus inæqualiter distant a communi stipite, desumpta ex *c. fin. h. t.* est: tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot gradibus a communi stipite distat is, qui est remotior. Sic Petrus & Joannes patrueles sunt in secundo gradu conjuncti. Paulus Joannis filius & Petrus sunt sibi in tertio gradu conjuncti; quia Paulus a stipite distat tribus gradibus; sic Maria neptis Petri, & Anna abneptis illius, Paulus abnepos ejusdem Petri, ab utraque, nempe Maria & Anna distat etiam in æquali gradu, nempe quarto, quia quatuor gradibus distat a Petro.

QUÆSTIO CCXXIII.

Qualiter hæc graduum computatio servetur in utroque jure, & ubi servandum quo ad hoc Jus Canonicum, & ubi Jus civile.

1. RESp. primo: In computatione graduum lineæ rectæ convenit Jus civile cum Jure canonico, ut dictum; secus in computatione graduum lineæ transversæ tam æqualis quam inæqualis; in Jure siquidem civili tot sunt gradus, quot personæ collaterales, quæ inter se conferuntur, dempto stipite, ut Pirh. *l. c. nu. 7.* sive, quod idem est, Jus civile computat omnes gradus, qui sunt in personis computatis seu inter se collatis utpote quarum quælibet suum distinctum gradum habet a stipite; sic juxta illud duo fratres sunt in secundo gradu; quia sunt duæ personæ collaterales, sive quia sunt duo gradus in iis, dum eorum quisque suum gradum habet per ordinem ad stipitem communem; duo filii fratrum sunt in quarto gradu; quia sunt quatuor personæ, sive quia complectuntur quatuor gradus seu generationes distinctas, dum unusquisque horum filiorum duabus distinctis generationibus descendit a communi stipite. Sic patruus ac nepos ex fratre sunt in tertio gradu; quia tres personæ hic, & tres generationes diversæ intercurrunt; duorum patruelium vel consobrinorum filii sunt in sexto gradu; quia intercurrunt hic sex personæ, nempe duo fratres, duorum horum filii, seu duo patrueles & horum duo filii, seu generationes seu a communi stipite, hic numerantur.

2. Resp. secundo: Computatio graduum Juris canonici semper servanda, quo ad matrimonia fidelium; quia circa hæc Jus civile nihil disponere habet. Quo ad successiones hæreditarias, tam in foro ecclesiastico, quam civili servanda computatio Juris civilis; quo ad alios contractus & actiones servanda computatio illius fori, ad quod contractus vel actio pertinet, nempe juris civilis in foro sæcularis; Juris canonici in foro ecclesiastico, uti hæc omnia notant Sanch. *l. 7. disp. 50. n. 8.* Gutt. *c. 98. n. 11.* Covar. *in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 6. num. 8.* Castrop. *n. 5.* Pith. *nu. 7.*

QUÆSTIO CCXXIV.

Consanguinitas in genere quo jure sit impedimentum dirimens.

1. RESp. Præscindendo a jure naturæ, quo forte aliqua consanguinitas dirimit matrimonium contrahendum, de quo *in seq. quæst.* consanguinitas non dirimit illud amplius jure aliquo divino veteri; cum illud per legem evangelicam sit abrogatum. Sed neque jure aliquo novo divino a Christo lato & promulgato; cum nullum tale exstet; sed jure Pontificio; quo quidem olim reddebatur irri-

tum usque ad septimum gradum inclusive lineæ transversæ, ut constat ex *cap. ad sedem* 35. *qu.* 5. aliisque decreti textibus; postmodum autem in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. restrictum est hoc Impedimentum dirimens ad gradum quartum inclusive, ut constat ex *c. non debet hoc tit.* Ratio autem, cur conveniens fuerit irritari matrimonia inter consanguineos, hæc redditur a Castrop. *cit. part.* 7. *num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 15. Sanch. *l.* 7. *d.* 53. *nu.* 3. quod, cum matrimonia ordinentur ad fovendam augendamque in republica caritatem & consanguinei jam satis vel hoc ipso titulo amore, familiaritate sint conjuncti absque eo, quod ad hunc finem egerent matrimoniis copulari, expediebat matrimonia ad eos solos extendi, qui dicto titulo amicitiæ carent. Item (quam rationem tradit D. Th. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *in corp.*) quod, cum actus conjugalis quandam ex se indecentiam & turpitudinem referat, quæ reverentiam consanguineis debitam dedeceat; ac denique ne, cum consanguinei summam inter se familiaritatem habeant, sæpe eorum pudicitia periclitetur, si matrimonia invicem contrahere possent. Sanch. Pirh. Castrop. *ll. cit.* Ratio vero, cur ad quartum solum gradum restrictum sit hoc impedimentum, hæc deducitur ex *cit. c. non debet* nimirum, quod in ulterioribus gradibus jam non poterat absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio seu irritatio (nempe ad septimum usque gradum) generaliter observari; cum sæpe difficulter sciri possit, quinam quinto, sexto, septimo gradu, præsertim inter plebejos, conjuncti sint; quia tamen remota cognatio æstimari & computari non solet. Ad hæc, ut Pirh. *hoc tit. num.* 16 ex Tanner. *Tom.* 4. *d.* 8. *de matrim. q.* 4. *du.* 4. *num.* 52. ipsa realis participatio seu communicatio ejusdem sanguinis ex primo stipite traducta vix ultra quartam generationem perduret ob perpetuam humani corporis resolutionem & commixtionem cum alio sanguine. Unde etiam patet rationem illam adjectam per modum congruentiæ *in cit. cap.* ideo restrictionem factam ad quartum gradum, quod corpus humanum constet quatuor humoribus, non ita ridiculam & puerilem esse, uti cavillantur hæretici, ut recte notavit Sanch. *l. c. d.* 53. *n.* 6. & ex eo Pirh. *l. c.*

2. Infertur ex dictis, validum esse matrimonium inter consanguineos, quorum unus distat a stipite ultra quartum gradum, scilicet ex uno latere, & alter ex altero latere intra quartum; cum computatio facienda juxta gradum remotiorem; prout hæc illatio constat ex *cap. vir qui hoc tit.* Idque verum, etsi unus distet solum uno gradu a stipite. V. Gr. abnepos seu quartus nepos distans ab atavo seu quarto avo in quinto gradu, poterit matrimonium contrahere cum filia atavi ei conjuncta in primo gradu. Sanch. *num.* 5. Pirh. *num.* 17. cum communissima.

QUÆSTIO CCXXV.

An matrimonium in primo vel etiam in secundo aliove gradu consanguinitatis lineæ rectæ, nempe inter patrem & filiam, inter matrem & filium sit irritum jure naturæ.

1. RESp. ad primum: Matrimonium in primo gradu contractum esse irritum jure naturæ adeoque ab Ecclesia indispensabile, est communis omnium sententia. Sanch. *l.* 7. *d.* 51. *n.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 20. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Ponc. *l.* 7. *c.* 51. *n.* 4. Castrop. *cit. p.* 7. *n.* 8. *&c.* Ratio autem, qua quidem probatur esse inconveniens tale matrimonium, non vero, qua probatur esse etiam irritum, est, quod genitus sit genitori subjectus & inferior, matrimonium vero suapte natura æqualitatem respiciat inter conjuges; eo quod dicta subjectio naturalis non obsit, quo minus ad usum conjugalem æqualiter habeantur. Castrop. *l. c.* Unde ex eo hujus irritationis ratio petenda est, quod copula seu commistio illa parentum, cum liberis secundum se & ex natura rei sit fœda, uti patet ex naturali indistincta omnium fere gentium, & quorundam etiam animalium, teste Aristot. *de histor. animal. l.* 9. *c.* 49. & Plin. *l.* 8. *hist. nat. c.* 42. & prout docet D. Ambros. *Ep.* 66. *ad patern.* abhorrentium talem concubitum; si autem jure naturæ illicita talis copula, inde recte inferri videtur, ergo & matrimonium, quod ad copulam talem suapte natura refertur, jure naturæ invalidum censendum, seu tale, cujus contrahendi potestatem humano generi non concesserit Deus. Est tamen probabile, non esse hoc ita intrinsece malum & naturæ repugnans, quin dicta turpitudo & indecentia in tali matrimonio reperta honestari possit in & a singulari & unico casu necessitatis publicæ conservandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus præter patrem & filiam, vel matrem & filium, adeoque & Deus in hoc casu dispensare possit, reddendo in ordine ad actum conjugalem tantum filiam æqualem patri, bono publico prævalente contra reverentiam patri debitam, utpote privatam, Sanch. *n.* 10. Ponc. Laym. Castropal. *LL. cit.*

2. Resp. ad secundum: An irritetur quoque matrimonium jure naturæ in gradibus aliis extra primum, incertissimum est, ut bene Castrop. *loc. cit. num.* 9. tantum propter opinionum diversitatem, tum ob rationum, quibus singulæ nituntur, non sat magnam firmitatem. Prohibitum esse ac irritum matrimonium jure naturæ non solum intra quartum, sed & in omni ulteriore in infinitum lineæ rectæ gradum, ita ut, si resurgeret Adam, nullam posset uxorem ducere, cum sit totius generis humani seu hominum omnium communis pater, tenent Bellarm. *l.* 1. *de matrim. cap.* 28. Laym. *loc. cit. num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 9. Gasp. Hurt. *d.* 17. *diff. ult.* & plures alii apud Sanch. *l.* 7. *d.* 51. *n.* 12. quibus favent jura civilia, *l. nuptiæ ff. de ritu nupt.* ubi: *Nuptiæ subsistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt proximi, sive ulteriores sint in infinitum*, & *l. ult. ff. eodem* ubi: *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem ducit* & *§. ergo omnes. Instit. eod.* Quas leges, cum per jus canonicum correctæ non sint (siquidem *cit. cap. non debet hoc tit.* non loquitur de gradibus lineæ rectæ, sed transversæ) servandas quoque esse in foro ecclesiastico, censent iidem AA. nec deficit ratio; quia nimirum omnes ascendentes in hac linea vere sunt & dicuntur parentes & majores, a quibus descendentes, non tantum per accidens, sed per se dependent tanquam a principiis generationis, cum causa causæ sit causa causati; adeoque iis non minus quam parentibus descendentes jure naturali debent reverentiam & submissionem; huic autem adversetur turpitudo illa reperta in copula. Sed neque hic, ut fit in linea transversa, spectetur major aut minor participatio sanguinis communicata a virtute generante communis stipitis (quæ in remotioribus descendentibus minor est, ac tandem omnino extinguitur, ita ut consanguinei esse desinant) quam ratio principii, cui per se reverentiam debent; omnes autem ascendentes sint principium per se necessarium descendentium.

3. Contrarium directe tenent Sanch. *disp.* 51. *num.* 15. Ponc. *l.* 6. *cap.* 81. *num.* 6. & apud illos alii, contrario omnino nixi fundamento, nimirum quia censent ascendentes non esse principium descendentium. V. G. avum non esse principium nepotis; sed tantum applicare principium, generando nimirum patrem illius; adeoque non debeatur illis eadem reverentia, quæ patri, & consequenter non sit illa turpitudo, quæ est in copula cum parentibus. Vix quid diversum ab his AA. docet Castrop. *cit. n.* 9. dum ob easdem rationes credit, saltem ultra gradum secundum jure naturæ non irritari matrimonium. Quod autem ultra gradum quartum non irritetur hoc jure, convinci se ea ait ratione, quod Pontifex hoc impedimentum restringens ad quartum gradum locutus fuerit non tantum de gradibus lineæ transversæ, sed & lineæ rectæ; eo quod alias posset quis cum suo ascendente contrahere in secundo gradu, sequens opinionem probabilem, illud matrimonium jure naturæ irritum non esse. Ad quod tamen facile dici posset, quod sicut in primo gradu irritum non est matrimonium jure Pontificio, ne declarative quidem; quia id supponebant Concilia & Pontifices irritum jure naturæ; sic nec intra nec ultra quartum gradum lineæ rectæ, sed solum jure naturæ; quod maxime verum est, si omnes gentes bene moratæ & institutæ horruerint semper talia matrimonia cum ascendentibus, & quidem absque aliquo jure positivo id inhibente.

QUÆSTIO CCXXVI.

An matrimonium in primo gradu lineæ transversæ, nimirum inter fratres & sorores, sit irritum jure naturæ.

1. RESp. In hoc quoque non convenire AA. affirmant Sanchez *disp.* 52. *num.* 11. Bellarm. *L.* 1. *de matrim. c.* x8. Valent. *Tom.* 4. *disp.* 10. *part.* 3. *§. controversia.* Guttier. *c.* 98. *num.* 20. Covar. *in* 4. *decret.* 2. *par. cap.* 6. *§.* 10. *num.* 15. Laym. *cit. c.* 6. *num.* 3. Pirh. *hoc tit. nu.* 10. Fundamentum eorum est, quod quoque inter fratres & sorores ob sanguinis conjunctionem sit quidam naturalis pudor & reverentia, cui valde adversaretur actus conjugalis, per quem turpitudo alterius revelatur; quare pleræque gentes tale matrimonium detestatæ sunt teste Aristot. *L.* 2. *politic. cap.* 2. (ad quod tamen Coninck. quod apud plerasque gentes matrimonia illa irrita fuerint jure positivo) & quæ illud permittebant graviter fuerunt super hoc reprehensæ & notatæ tanquam barbaræ, ut refert S. August. *l.* 22. *contra Faustum c.* 35. unde etiam *Gen.* 20. ex eo, quod Sara diceretur ab Abrahamo soror, Pharao putavit

putavit esse uxorem illius, tunc, quando lex nulla adhuc positiva exstabat, reddens tale matrimonium irritum; ad quod tamen AA. contrariæ sententiæ dicunt, sufficisse ad illud Pharaonis judicium, quod matrimonia raro inter fratres & sorores contingerent. Confirmari quoque videtur hæc sententia ea eo, quod Ecclesia nunquam in hoc gradu, etsi id petitum a Papa, ut Sanch. *loc. cit.* voluerit dispensare. De cætero ad hoc, quod loco quoque confirmationis afferunt hi AA. nimirum quod in *cap. gaudemus de divortiis* Innoc. III. jubendo, ut qui in infidelitate in secundo vel ulteriore gradu contraxerunt, non separentur, satis innuat, si contraxerint in primo gradu, separandos esse; dicunt adversarii, ideo Pontificem de primo gradu tacuisse, seu id indecisum reliquisse, eo quod id sub opinione constitutum esset.

2. Econtra negant cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *a.* 9. *ad* 3. Cajet. *ibid.* Ponc. *l.* 7. *c.* 32. *num.* 3. Con. *d.* 32. *dub.* 1. *num.* 19. Hurt. *disp.* 17. *diff.* 5. *num.* 12. Castrop. *l. c. num.* 11. & plures apud illum; eo quod negent tantam dedecentiam reperiri in illa fratrum cum sororibus copula; uti id nituntur probare primo, quod gentes plures etiam bene institutæ universaliter ista conjugia detestatæ non sint, cum plures ea sustinuerint teste Paleoto *l.* 2. *de nothis filii cap.* 3. *a num.* 2. prout refertur in specie de quibusdam gentibus in provincia Peruana. Sed facile id diluitur testimoniis adductis paulo ante in contrarium; & quis neget gentes illas Peruanas fuisse barbaras? secundo quod ab initio mundi talia conjugia licita fuerint. Ad quod tamen etiam satis consequenter dicere videntur oppositæ sententiæ AA. nimirum admittendo, non esse eam reverentiam & sanguinis conjunctionem tantam, quanta est inter parentes & liberos; adeoque copulam inter illos non adeo indecentem, quin ab authore naturæ in tali casu necessitatis, qualis fuit ab initio mundi inter filios & filias Adæ ad genus humanum propagandum, permitti potuerit. Admittunt nihilominus adversarii, ut expresse Laym. *loc. cit.* Pirh. *num.* 11. propter has & similes rationes probabilem quoque esse oppositam sententiam, nempe quod licet matrimonia inter fratres & sorores ex se sint indecentia & illicita, ac proinde jure naturæ prohibita, non tamen sint jure naturæ irrita; neque enim eo ipso, quod aliquid jure naturæ sit illicitum, etiam eodem jure est irritum. sic enim violare sine causa fidem alteri datam est jure naturæ illicitum, & tamen, si sponsus sine causa dissolvens sponsalia, frangat fidem datam sponsæ contrahendo cum alia matrimonium, hic contractus matrimonialis non est nullus, sed valet; quare prohibitio juris naturæ in eo fundata, quod talis operatio dictanti ipso lumine rationis apud omnes agentes adversetur rationi naturali, non sufficit, ut etiam eo ipso sit irritum; sed tunc tandem, quando illud ipsum quo- que intrinseco fini talis actus vel operis opponitur. Unde jam si non obstante tali facto vel opere jure naturæ illicito, natura & finis matrimonii (qui est procreatio sobolis & remedium concupiscentiæ) illæsa permaneant, matrimonium quidem in eo casu erit illicitum, non tamen invalidum, ex quo tamen sequi videtur, æque parum jure naturæ esse irritum matrimonium inter parentes & liberos; quia dictus finis matrimonii manet illæsus. Sic quoque probabile videtur, potuisse occasione illius, quod ea matrimonia sub initium mundi erant licita & valida, propagato deinceps humano genere, apud gentes aliquas perseverare consuetudinem ea celebrandi. Quamvis autem ex probabili hac sententia sua Sanch. *disp.* 52. *n.* 12. cum Veracruz 2. *part. spec. a.* 12. *concl.* 2. inferant, si ex gentibus, apud quas est consuetudo talia matrimonia celebrandi convertantur ad fidem, non esse tali conjugio conjunctos separandos; consultius tamen ait Laym. in re adeo gravi esse consulere Pontificem.

QUÆSTIO CCXXVII.

An matrimonium in secundo cæterisque gradibus lineæ collateralis sit irritum jure naturæ.

RESp. Negative cum Sanch. *l. c. num.* 21. Laym. *loc. cit. n.* 4. & communi; tametsi enim turpe plerumque sit cum cognata contrahere matrimonium, natura dictante deberi illi reverentiam quandam, cui adversatur copula carnalis, ut Bellarm. *l.* 1. *de matrim c.* 27. *resp. ad* 1. *argum.* & ex eo Laym. *loc. cit.* quod etiam spectasse videtur præceptum illud *Levitic. cap.* 18. *omnis homo ad proximam sanguinis non accedat, ut revelet illi turpitudinem ejus.* Adeoque jam indecens esse videatur, si passim istiusmodi matrimonia, maxime in gradibus propinquioribus, instituantur sine urgente causa; non tamen jure naturæ, ita sunt prohibita, multoque minus irrita, ut ob rationabilem causam, præsertim publica authoritate accedente, cohonestari non possint. Probatur quoque idem a posteriore imprimis ex *cap. gaudemus de divortiis*, ubi deciditur, infideles ad fidem conversos, si in secundo vel ulterioribus gradibus lineæ obliquæ contraxerint matrimonium, separandos non esse, cum constitutionibus canonicis non arctentur (vel potius, arctati non fuerint, dum infideles essent) separandi autem essent, si matrimonium in illis gradibus jure naturæ (quo & illi in infidelitate obligabantur) irritum est; dein in veteri testamento viri sancti in istis gradibus contraxerunt; Abraham duxit Saram fratris filiam, *Genes.* 11. Isaac Rebeccam consobrinam suam; & sic videmus passim Pontifices ex rationabili causa in his gradibus dispensare.

CAPUT SECUNDUM.

De affinitate.

QUÆSTIO CCXXVIII.

Quid sit affinitas.

RESp. Est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens: ita Theologi & utriusque Juris periti apud Sanch. *l.* 7. *d.* 64. *n.* 2. cum D. Th. communiter recepto *in* 4. *d.* 41. *q. unic. a.* 1. cum enim per copulam vir & mulier fiant una caro, consanguinei fœminæ redduntur affines viri in eo gradu, in quo sunt consanguinei fœminæ, & consanguinei viri fiunt affines fœminæ in eo gradu, in quo sunt consanguinei viri, juxta quod dicitur *c. fraternitatis* 35. *q.* 10. ubi: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri.* Unde jam

Infertur primo: Saltem vere & proprie dictam affinitatem non nasci ex matrimonio rato tantum. Castr. *tr.* 28. *d.* 4. *p.* 8. *n.* 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 64. *n.* 25. Gutt. *c.* 99. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 23. juxta quod definivit Pius V. in Bulla edita *calend. Jul.* 1568. super declar. Conc. Trid. *de impedim. affin.* quæ incipit, *ad Romanum* quidquid velint aliqui apud Sanch. *l. c.* cum Sylv. *v. matrim.* 8. *q.* 14. *dicto* 2. oriri ex tali matrimonio affinitatem quandam initialem, siquidem hoc ipsum est impedimentum publicæ honestatis. Infertur secundo, quod ex ipsa affinitate non nascatur affinitas alia; hinc licet consanguinei viri sint affines fœminæ ab eo carnaliter cognitæ, non tamen sunt affines consanguineorum fœminæ, & econtra; uti habetur expresse *c. super his h. t.* quare si Titius cognovit Cajam, pater, filius, frater Titii non impediuntur contrahere cum matre, filia, sorore Cajæ.

QUÆSTIO CCXXIX.

Num affinitas nascatur ex copula fornicaria seu illicita.

1. RESp. primo: Nasci eam ex copula illicita, imprimis jure ecclesiastico certum est: *c. discretionem de eo qui cognovit consang. uxor. suæ* patet etiam ex eo, quod hoc jure expresse dicatur ea dirimere matrimonium, quæ foret propositio de subjecto non supponente, si ex copula illicita hoc jure censeretur nulla nasci affinitas, Castr. *l. c. n.* 5. citatis Con. *d.* 32. *du.* 4. *concl.* 1. *n.* 4. Rebell. *l.* 3. *de matr. q.* 15. *concl* 2. Hurt. *d.* 20. *diff.* 2. Jo-And. *in c.* 2. *de convers. infid. n.* 3. Burr. *ibid. n.* 2. *opposit. unic.* Card. *ibid. in princ. nu.* 1. *opposit.* 1. contra Nav. *l.* 4. *consil. tit. de spons. cons.* 7. Henriq. *l.* 12. *c.* 2. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *d.* 65. *nu.* 9. Victor. Ledesm. &c. Ideo siquidem, spectato etiam jure naturæ, contrahitur affinitas per copulam conjugalem, quia per eam conjuges fiunt una caro, unusque sanguis, sed æque per copulam fornicariam fornicantes fiunt una caro, dicente Apost. 1. *ad Cor.* 6. *vers.* 15. *Qui adhæret meretrici* (scilicet per copulam) *efficitur unum corpus.* Satisque colligitur ex eo, quod *Amos* 1. *n.* 7 tanquam scelus gravissimum reputetur, quod pater & filius, introierunt ad eandem mulierem fornicandi gratia. Sed neque obstat, quod ex ista copula fornicaria nulla nascatur propinquitas, quæ amicitiam & reverentiam excitat inter consanguineos; filius siquidem excitari nequit ad amorem & reverentiam erga fœminam

quam ejus pater fornicarie cognovit. Nam id signum non est, non nasci exinde affinitatem, utpote ad quam id necesse non est, sed sufficit habentes copulam illicitam fieri unam carnem, ad hæc, quod filius excitetur potius in concubinæ patris odium, per accidens est inde ortum, quia ea copula fuit patri & sibi infamiæ, damni alteriusve mali causa. De cætero namque nasci etiam erga talem patris concubinam reverentiam, satis ex eo colligitur, quod filius etiam patre mortuo horreat cum tali copulam.

2. Resp. *Secundo*: Quod attinet jus civile, communior saltem modus & sensus loquendi habet, quod jura civilia nullam agnoscant affinitatem illegitimam, seu ortam ex copula illicita; nullam etiam ex hac affinitatem contrahi spectato jure civili, videtur colligi ex *L. liberi cap de nuptiis*, ubi statuitur, ne filii ducant parentum concubinas; quia id minus religiosum & probabile est. Dum autem *L. non facile §. affines & §. sciendum ff. de gradib. & affinit.* dicitur: *sciendum est, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas conjungitur &c.* non tam negatur affinitas, uti nec cognatio ex nuptiis interdictis absolute, quam tantum quo ad effectus civiles, scilicet successionem; sicut etiam negatur cognatio & affinitas capite diminutis, non quidem naturalis, hæc enim tolli non poterat, sed civilis in ordine ad successionem; ita Castropal. *cit. part.* 8. *num.* 6. Sed & negatur hoc ipsum, quod ad inferendum in foro civili non esse locum affinitati ex copula illicita affertur, nimirum, quod ex copula fornicaria non sint imposita ea nomina, quæ ex copula conjugali affinibus, licet tamen frequenter sic non appellentur; eo quod hæc affinitas non sit honoris, sed dedecoris.

QUÆSTIO CCXXX.

Qualis esse debeat copula, ut ex ea oriatur affinitas.

RESp. Necessario debet esse perfecta & consummata, seu talis, quæ per se apta est generationi, & qua matrimonium consummatur; cum per illam copulam & non per aliam fiant una caro. Sanch. *L.* 7. *disp.* 64. *a num.* 8. Ponc. *l.* 7. *c.* 33. *num.* 2. Con. *disp.* 32. *dub.* 4. *num.* 46. Castropal. *loc. cit. num.* 2. Pirh. *hoc tit. numer.* 22. unde deducuntur sequentia. Primo non sufficere ad contrahendam affinitatem reserationem claustri virginalis, seu penetrationem vasis fœminei, sed requiri insuper seminationem saltem viri intra vas naturale ordinarium fœminæ, sine qua seminatione omnis alia copula inepta est ad generationem prolis, adeoque jam non sufficere copulam sodomiticam cum fœmina, neque ullam aliam pollutionem extra vas illius debitum. His non obstante textu *cap. Juvenis de sponsal. & cap. fraternitatis de eo, qui cogn. consanguin. uxor.* ubi decernitur, separandum esse virum a conjuge, eo quod sororem ejus nondum septennem duxerit, & forsan cum ea tentaverit consummare, nec potuerit, extraordinariave libidine polluerit; eo siquidem casu, ut Castropal. *loc. cit. num.* 3. decernitur separatio, non ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, eo quod Papa loquatur de sponsalibus, intellige, antecedenter cum dicta puella contractis. De cætero num ex solius viri seminatione intra vas ordinarium nascatur affinitas, dependet ex eo, num sola viri seminatio sufficiat ad generationem prolis, ut habet communior medicorum; an vero insuper requiratur ad eam seminatio etiam fœminæ, uti non improbabiliter sentiunt alii; illud indubitatum, dum cum illa a viro habetur copula, ex seminatione solius fœminæ non nasci affinitatem. Secundo, sufficere ad contrahendam affinitatem copulam habitam cum fœmina dormiente, ebria, amente, coacta, etiamsi copula sit occultissima; quia hæ omnes copulæ sufficiunt ad generationem, non autem habita cum mortua, Sanch. *loc. cit. nu.* 12. 13. 17. & 18. & ex eo Pirh. *hoc tit. n.* 23. cum communi.

QUÆSTIO CCXXXI.

Num affinitas aliqua jure naturæ reddat matrimonium irritum.

1. RESp. *Primo*: Matrimonium contractum in primo gradu lineæ transversæ, nimirum contractum cum uxore fratris, vel cum sorore uxoris, tametsi, ut libenter fateantur omnes, contineat naturalem quandam indecentiam, propter quam sine urgentissima causa permitti non debeat (ob quam etiam vetitum in lege veteri, nempe *Levit.* 18. ubi: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est*: quasi, ut Pirh. diceretur: indecens est, carnaliter conjungi cum uxore fratris propter conjunctionem & reverentiam erga fratrem) ea tamen dedecentia tanta non est, ut contractum vel contrahendum jure naturæ sit irritum, sive ut ob ipsam dicendum sit, authorem naturæ, qui talem denegasse affinibus potestatem contrahendi inter se matrimonium. Ita Covar. *in 4. decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 17. Bellarm. *L.* 1. *de matrim. cap.* 28. Sanch. *L.* 7. *disp.* 66. *numer.* 11. Ponc. *L.* 7. *cap.* 34. *numer.* 3. Laym. *loc. cit. cap.* 6. *num.* 4. Castropal. *cit. part.* 8. *numer.* 11. cum innumeris aliis DD. (qui varios tractatus ediderunt in defensionem matrimonii Henrici VIII. Angliæ Regis cum Catharina, quod ipse asserebat irritum esse, & ut tale declarari cupiebat; eo quod ipsa prius nupsisset fratri suo) cum communi contra Palud. S. Antoninum, & alios apud Sanch. *loc. cit. disp.* 52. *numer.* 5. Constare id ipsum videtur a posteriore, dum *Deuteron.* 25. etiam præcipitur universim, ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti sine liberis, ad suscitandum semen fratri suo. Dum in lege naturæ Jacob duxit duas sorores, Liam, & Rachelem. Judas Thamar uxori primogeniti sui, hoc defuncto, dedit in maritum alterum filium suum, *Genes.* 38. qui tamen in scriptura propterea non reprehenduntur. Item dum varii Pontifices in tali gradu dispensarunt. Alex. VI. cum Rege Lusitaniæ. Jul. II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ut ducerent uxorem fratris, quam dispensationem Clemens VII. consultis desuper celeberrimis Universitatibus, & adhibita accuratissima delibetatione speciali Bulla declaravit validam & legitimam fuisse. Clemens VIII. cum Rege Poloniæ, ut duceret uxoris defunctæ sororem. Dum denique *cap. fin. de divort.* Papa permittit, ut infideles, qui in infidelitate contraxerant cum relictis uxoribus fratrum suorum, conversi ad fidem permaneant in illis matrimoniis, & non separentur, dum tamen separandi essent, si talia matrimonia essent jure naturæ irrita. Neque in contrarium facit, quod S. Joannes Baptista *Matth.* 14. & *Marci* 6. reprehenderit Herodem, nulli nisi legi naturæ subjectum, cum Judæus non esset, ob ductam Herodiadem uxorem fratris sui Philippi; cum id factum, quia Philippo adhuc vivente duxerat ejus uxorem, ut in locum *Matth.* D. Thom. in illum locum *Marci* Beda, aliique apud Maldonat. & Joseph. *L.* 18. *antiquitat. cap.* 6. vel, si mortuus fuerat, adhuc id non licebat Herodi; quia prohibitum in Lege Mosaic. *Levit.* 18. matrimonium cum uxore fratris demortui relinquentis liberos (qualiter reliquerat filiam nempe Herodiadem saltatricem) qua lege adstringebatur Herodes, etsi Gentilis; cum esset filius cujusdam Judæi.

2. Resp. *Secundo*: Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, nempe inter vitricum & prævignam, inter novercam & prævignum, socrum & nurum, socrum & generum esse jure naturæ irritum, docent Navar. *L.* 4. *consil. tit. desponsat. consil.* 14. Covar. 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *nu.* 6. Vasq. *Tom.* 2. *d.* 112. *num.* 7. Valent. *Tom.* 4. *d.* 10. *quæst.* 5. *p.* 3. Bellarm. *de matrim. cap.* 28. *post initium* Laym. *cit. c.* 6. *num.* 5. Pirh. *h. t. n.* 32. pluresque alii relati a Sanch. *L.* 7. *d.* 66. *nu.* 6. Fundamenta hujus sententiæ, uti & dilutio eorum, quam se facere putant AA. oppositæ sententiæ, paulo post subjicientur. Contrarium tenent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *a.* 9. *in solut. ad* 2. Cajet. *ibidem* Sanch. *loc. citat. num.* 7. Henriq. *L.* 11. *cap.* 1. Ponc. *L.* 7. *c.* 34 *num.* 3. Rebell. *de oblig. just. p.* 2. *L.* 3. *quæst.* 15. *num.* 10. Castrop. *cit. part.* 8. *nu.* 12. qui pro hac sententia affert hanc rationem, quod dicta affinitas non inducat ea, propter quæ alias matrimonium jure naturæ irritum est, & ab authore naturæ non concessum humano generi censetur. Non enim inferat impotentiam ad generandum; neque impediat debitam inter conjuges subjectionem (esto enim, filius reverentiam debeat uxori patris sui, id tamen non tollit, quo minus ea contracto cum ipso matrimonio subjici illi possit in domestica administratione) & licet ex eo, quod fuerit uxor patris, ac proinde effecta una cum eo caro, sequatur deberi ei parem fere reverentiam, ac ipsi patri ab hujus filio, juxta quod etiam S. August. *L.* 22. *contra Faustum cap.* 61. relatus *cap. si vir* 35. *quæst.* 3. ait: *si vir & uxor non duo, sed una sunt caro, non aliter autem nurus deputanda quam filia*; certum tamen est, a filio non deberi tantam reverentiam novercæ quam matri, a qua esse accepit, ut bene Castropal. & consequenter non esse in matrimonio contracto cum noverca tanta dedecentia, ut causa urgente (etiam præter eam, quæ consistit in necessaria propagatione generis humani alias deficiente) cohonestari possit. Favere quoque huic sententiæ videtur, quod *Regul.* 3. *cap.* 2. Adonias petierit Abisac uxorem patris sui defuncti in uxorem, item textu quorundam Conciliorum, quos leges apud Castropal. Ex *Leg.* vero *si adulter. §. quare ff. ad Leg. Jul. de adulter.* & ex *Leg. ultim. §. noverca ff. de condit. sine caus.* ubi istæ nuptiæ vocantur incestuo-

cestuosæ plus deduci nequeat, quam quod sint prohibitæ ob indecentiam, & spectato jure communi positivo sint irritæ, non vero jure naturæ. Idem dicunt hi AA. ad locum illum *Amos.* 2. ubi tanquam scelus gravissimum reputatur, quod pater & filius ierint ad eandem puellam constuprandam, præterquam hæc affinitas in hoc exemplo nata ex copula fornicaria. Item ad illud Apostoli 1. *ad Cor.* 5. reprehendentis indecentissimum facinus, quo filius copulabatur uxori patris sui, & quidem ut Cajet. & alii relati a Cornel. a lapide in illum locum, vivente & renitente patre. Item ad illud *Deuter.* 20. ubi pœna ignis tale matrimonium punitur, nimirum dicunt, optime inferri inde, esse id valde indecens, ac proinde ab eo homines omni modo deterrendos, & nunquam permittendum sine gravissima causa, quæ quia raro contingere potest, Pontifices in hac affinitate nunquam dispensasse.

3. Resp. Tertio: Affinitas orta ex copula fornicaria etiam in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ non dirimere matrimonium, habet communis. Castrop. *num.* 10. Sanch. *d.* 66. *num.* 3. qui ut certum defendunt, Rebell. *L.* 3. *de matrim. quæst.* 15. *conclus.* 2. Laym. *l. c. c.* 6. *num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 33. Tametsi enim, ut dictum, ex copula fornicaria spectato jure gentium ac naturali oriatur aliqua affinitas, ea tamen tam perfecta non est, ac orta ex copula conjugata, neque tam efficax, ut secluso jure Canonico impediat matrimonium, quo minus valide contrahi possit; uti hoc ipsum etiam confirmatur ex eo, quod, ut Castrop. videamus Papam sæpe in hac affinitate dispensare. Unde jam infertur, gentilem ante Baptismum valide contrahere posse, quin & licite ob causam justam cum filia mulieris, cum qua antecedenter fornicatus est; neque post Baptismum ab ea separandum, nisi forte, si non ex jure naturæ, ex consuetudine tamen apud talem gentem talia matrimonia irrita censeantur. Laym. Pirh. *LL. cit.* Coniack. *d.* 32. *dub.* 4. *num.* 5. qui tamen addit affinitatem contractam ante Baptismum (intellige, non tantum in primo gradu lineæ rectæ & transversæ, sed & in secundo gradu) permanere post Baptismum, ac impedire, quo minus jam valide cum filia, sorore vel nepte istius fœminæ, cum qua ante Baptismum fornicatus, valide contrahere possit matrimonium.

QUÆSTIO CCXXXII.

Ad quem gradum affinitas jure Ecclesiastico dirimat matrimonium.

1. RESP. Primo: Ex copula legitima & conjugali orta non secus, ac consanguinitas olim impediebat matrimonium contrahendum, & dirimebat contractum usque ad gradum septimum *c.* 1. *c. nullum*, *c. æqualiter*, *caus.* 35. *quæst.* 3. modo tamen juxta *c. non debet*, *hoc tit.* non nisi ad gradum quartum inclusive; atque ita Titius nec licite nec valide contrahere potest matrimonium cum Cajæ defunctæ uxoris suæ consanguineis intra quartum gradum.

2. Resp. Secundo: Par olim, seu ante Trident. quoad dirimendum matrimonium erat ratio de affinitate orta ex copula illicita, quæ de orta ex copula licita, uti constat ex *cit. c. non debet*, ubi ex causa affinitatis non distinguendo, inter ortam ex copula licita & ortam ex copula illicita impedimentum dirimens matrimonium statuitur usque ad quartum gradum inclusive. Verum hodie ex decreto Trident. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform. matrim.* impedimentum hoc affinitatis ex copula illicita restrictum est ad secundum gradum. Sic Titius fornicatus cum Caja contrahere nequit matrimonium cum Cajæ sorore, patruele, consobrina, matertera, valide tamen cum Cajæ consanguineis in tertio gradu; etsi enim & in hoc & ulterioribus gradibus sit affinitas reipsa, non est tamen juridica, seu quoad effectus juris & vim impediendi matrimonium.

QUÆSTIO CCXXXIII.

Num affinitas ex copula illicita dirimat quoque sponsalia.

1. RESP. Primo: Affinitas orta ex copula illicita ob eandem rationem & intra eundem gradum, ob quam & in quo dirimit matrimonium, dirimit etiam sponsalia contrahenda & contracta de futuro. Sanch. *L.* 7. *d.* 67. *n.* 7. & 8. & ex eo Pirh. *ad Tit. de eo, qui cognov. consang. uxor. n.* 21. juxta *c. veniens*, *eod.* siquidem sponsalia de futuro nihil sunt, quam futurarum nuptiarum promissio; talis autem affinitas orta ex fornicatione cum consanguinea sponsæ impedit, ne talis promissio possit impleri; cum, ut dictum, inter affines in gradu prohibito contrahi valide nequeat matrimonium. Porro, quod cognoscens consanguineam sponsæ fiat inhabilis etiam ad contrahendum matrimonium cum quavis alia, juxta *c.* 1. *de eo, qui cognovit*, importat solum impedimentum impediens respectu aliarum sponsæ non consanguinearum, in quo Episcopus dispensare potest, ut Pirh. *ad eund. tit. num.* 9. Verum dicta impedimenta impedientia ex crimine non esse amplius in usu, dictum est supra.

2. Resp. Secundo: Affinitas ex copula incestuosa seu illicita superveniens sponsalibus contractis de præsenti seu matrimonio etiam rato tantum non solvit illud, juxta *c. discretionem, de eo qui.*

QUÆSTIO CCXXXIV.

An & qualiter affinitas orta ex incestuosa copula cum consanguinea uxoris, adeoque superveniens matrimonio impediat petitionem debiti.

1. RESP. Primo: Attento jure antiquo seu ante Trident. sicut talis copula dirimebat matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum, ita etiam intra eundem gradum contracta impediebat petitionem debiti. Castrop. *d.* 3. *part.* 4. §. 6. *num.* 1. a quo jure recedendum non esse; cum in jure novo ejus correctio seu restrictio nulla quoad hanc petitionem debiti reperiatur. Siquidem Trident. restringens affinitatem ad gradum secundum, nullam de privatione debiti mentionem fecit; adeoque adhuc contractam ex illicita copula affinitatem intra dictum quartum gradum impedire petitionem debiti, docent Comitol. *L.* 1. *respons. mor. q.* 136. & alii apud Sanch. *L.* 7. *d.* 15. Verum contrarium, nempe restricta affinitate ad secundum gradum, quoad contrahendum matrimonium, eo ipso quoque ad illum gradum restringi debitum petendi privationem, tenent cum communi Sanchez. *L.* 9. *d.* 27. *num.* 14. Gutt. *de matrim. cap.* 99. *in fine.* Castrop. *cit.* §. 4. *num.* 2. Ponc. *L.* 7. *cap.* 33. *in fine*, sic referens decisum a S. Congr. Concil. Ratio est, quod privatio petendi debitum imponitur in pœnam incestuosæ copulæ; sublato autem impedimento contrahendi matrimonii ob copulam habitam cum consanguineis uxoris in tertio & quarto gradu; copula illa non est incestuosa.

2. Limitatur dicta responsio, nempe quod incestuosus ille, seu cognoscens consanguineam uxoris non privetur jure petendi debitum. Primo, si ignoravit esse consanguineam; vel etiam, dum scivit esse consanguineam, ignoravit tamen esse consanguineam in primo vel secundo gradu, eo quod tunc non committat incestum (intellige formalem) adeoque etiam non incurrat pœnam tali incestui statutam. Sanch. *L.* 7. *d.* 15. Laym. *L.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 14. Castrop. *num.* 3. Secundo si per violentiam conjux fuerit cognita a consanguineo mariti, adhuc poterit petere debitum. Laym. Castrop. *LL. cit.* propter eandem rationem. Tertio, juxta probabilem, si per metum gravem cadentem in virum constantem copula illa incestuosa fuerit extorta; eo quod, cum hæc pœna inducta sit jure Ecclesiastico, non videatur ita coacte peccanti imposita; ita cum Soto *in* 4. *d.* 37. *qu. unic. a.* 2. Castrop. Laym. *LL. cit.* Ponc. *L.* 10. *cap.* 7. *num.* 6. quam sententiam licet Sanch. probabilem & pietate plenam dicat, sequitur tamen contrariam, *L.* 9. *d.* 31. *num.* 4. Quarto secundum Sylv. *v. luxuria*, *quæst.* 4. *dicto*, 2. Angel. *v. incestus*, *num.* 4. Sa *v. matrimonii imped. dirim. num.* 1. si incestus sit occultus. Sed merito id rejiciunt omnes alii. Sanch. *loc. cit. num.* 3. Gutt. *qq. can. L.* 1. *cap.* 22. *num.* 8. Castrop. Laym. *LL. cit.* cum Gl. *in c. qui dormierit*, *v. neutrum*, 32. *quæst.* 7. ex nullo enim textu colligitur, incestum talem debere esse publicum ad contrahendum impedimentum hoc; & sane, si hoc verum, raro contraheretur. Sed neque sententia Judicis ad hoc requiritur. Sanch. Laym. Castrop. *LL. cit.* Quinto limitatur cum Soto *loc. cit. a.* 2. Gutt. *l. c. cap.* 23. Sanch. *L.* 9. *d.* 7. *num.* 1. Castrop. *num.* 4. Laym. *num.* 15. ita ut incestuosus conjux quandoque petere possit debitum, ne nunquam petendo veniat in suspicionem admissi sceleris, aut ne alter conjux exponatur periculo incontinentiæ; vel credat, se minus diligi; cum hæc sit lex Ecclesiastica, quæ cum tanto rigore credenda non sit obligare. Sexto, ut obtenta desuper dispensatione (ad cujus impetrationem nullus consensus innocentis, etiam conscii delicti requiritur; ut cum Sanch. *loc. cit. d.* 6. *num.* 10. Castrop. *num.* 5.) ita integre recuperetur jus petendi debitum, ac si nulla unquam contracta affinitas; quam dispensationem jure ordinario, saltem per consuetudinem acquisito, concedere potest Episcopus.

nus. Laym. Castrop. *LL. cit.* Sanch. *L. 8. d. 4. num. 4.* uti etiam ex privilegio Papæ superiores societatis, & quibus ipsi commiserint, *in privileg. Societatis, v. dispensatio.*

3. Resp. Secundo: Quod attinet innocentem, dubium non est, quin is petere possit debitum, & hoc ei reddendum; cum sine sua culpa suo jure privari nequeat, *cit. c. discretionem*, adeoque affinitas post matrimonium inique contracta nocere non debet ei, qui iniquitatis particeps non fuit, *c. fraternitatis, de eo, qui cognov. consang.* Reddere tamen ipsa incestuoso, adeoque inique petenti, non tenetur, eo quod ista illius petitio sit nulla, utpote facta a non habente jus petendi. Gl. *in c. nosse, 30. quæst. 1. vers. defraudaretur.* Covaruv. *4. decretal. 2. part. cap. 7. §. 2. num. 5.* Sanch. *L. 9. d. 6. num. 8.* Castrop. *num 7.* Sed & , si aliquando annuerit ejus petitioni, non tamen exinde obligatus est deinceps illi petenti illud reddere; quia per hoc ipse non est liberatus hac pœna, nempe privatione juris petendi, neque innocens eam illi remittere potest. Castrop. *loc. citat.* Sanch. *num. 9.* Posse tamen innocentem licite reddere debitum, etsi nocens illud inique petat, docent Castrop. *loc. cit.* Laym. *cit. num. 15.* Sanch. *num. 12. &c.* contra alios; cum enim innocens jus conjugale plenissime possideat, potest eo uti petendo & reddendo debitum, ut Laym. perinde, ac si nulla affinitas subesset, ne ex culpa alterius gravetur. Sed & potest id absque eo, quod cooperetur culpæ alienæ; siquidem copula illa secundum se illicita non est, sed solum quod ab incestuoso petitur, jam vero illi petitioni innocens non cooperetur formaliter, quia nocentem ad petitionem non instigavit; sed solum copulæ petitæ; ita Castrop.

4 Porro illud hic notandum primo, quod cognoscens consanguineam sponsæ suæ de futuro in primo vel secundo gradu, etsi incestuosus per hoc non sit, contrahat tamen affinitatem cum propria sponsa, ac ita impedimentum dirimens, ita ut sine dispensatione jam amplius cum ea contrahere nequeat matrimonium; sed neque consanguineam sponsæ a se carnaliter cognitam in uxorem ducere potest, si est in primo vel secundo gradu consanguinea sponsæ, cum jam per præcedentia sponsalia contraxerit impedimentum publicæ honestatis respectu dictæ consanguineæ; non tamen impeditur ducere etiam quamcunque, etsi consanguinea illa cognita fuerit in primo gradu, quia tale impedimentum, etsi olim fuerit, modo consuetudine abrogatum est. Et hæc secundum dicta in antecedentibus.

5. Notandum secundo: Pari modo copulam habitam cum cognata spirituali vel legali uxoris, cum non sit incestus (utpote qui est consanguineorum & affinium conjunctio, quales non sunt cognati spirituales & legales) Pirh. *ad tit. de eo, qui cognov. consang. n. 20.* Nav. *consil. 4. cons. 8. tit. eod. n. 6. & 8.* ita etiam non causat affinitatem, & consequenter non impedit matrimonium, aut etiam petitionem debiti.

QUÆSTIO CCXXXV.

An & qualiter impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum, probandum sit?

1. RESP. Primo: Matrimonium ex hoc capite impeti non debet, nisi impedimentum hoc sit publicum, aut idoneis testibus probetur; uti expresse dicitur *c. de illo, de eo, qui cognov.*

2. Resp. Secundo: Tametsi ad impediendum matrimonium contrahendum unus testis plene probet, eique asserenti hoc impedimentum (idem est de alio quovis impedimento) creditur; quia tunc agitur de vitando peccato, ne impediti & inhabiles contra Ecclesiæ prohibitionem contrahendo peccent. Sanch. *L. 1. de sponsal. d. 71. num. 1.* cum Gl. *fin. in cit. c. de illo*, & *ibi.* DD. communiter; uno tamen solo asserente, subesse impedimentum dirimens, conjuges contracto matrimonio separandi non sunt.

3. Resp. tertio: Licet conjuges ipsi ambo dicant, affinitatem inter eos contractam ante matrimonium, tamen hoc non dirimitur, nec separandi sunt, ut expresse habetur *c. super eo, de eo, qui cognov.* quia non creditur viro vel uxori, si confiteantur in præjudicium matrimonii, statur autem eorum Confessioni factæ pro matrimonio. Gl. *in cit. c. vers. Confessionem.* Cur autem stetur confessioni conjugum asserentium matrimonium esse contractum, juxta *c. attestationes, de desp. impub.* & Gl. *ibi v. evasisse.* Et non stetur eorum Confessioni contra matrimonium ad illud dissolvendum vel separandum, ratio est; quia assertio illa pro matrimonio est eidem valde favorabilis, uti & ipsis confitentibus & toti Reipublicæ, cujus interest matrimonium ejusque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur. *L. 1. soluto matrimon.* e contra confessio contra valorem matrimonii est valde odiosa, tum ob collusionem conjugum, ut habet textus *cit. c. super eo*, tum quia confitentur in ea re, in qua ipsi sibi præjudicare nequeunt; cum dissolutio matrimonii non dependeat e conjugum potestate. Ac denique quia talia dissolutio præjudicat proli, & aliis bonis matrimonii. Barbos. *in cit. c. super eo*, Pirh. *loc. cit. num. 17.* Neque his obstat, quod post Confessionem in jure seu judicio factam nihil quæratur amplius, sed confessi pro judicatis habeantur. *L. post rem, ff. de re judic. juncta L. unic. c. de confess.* hoc enim verum est in iis, quæ ex confessione partium pendent, & sunt in libera eorum potestate, at dissolutio matrimonii non pendet ab hominibus.

4. Extenditur responsio, ut procedat, etiamsi confessioni amborum conjugum accedat rumor viciniæ confirmans tale impedimentum. Pirh. *loc. cit. num. 18.* ubi etiam cum Abb. *in cit. c. super eo, num. 3.* quod rumor viciniæ sit, quando pars aliqua, nempe tertia vel quarta, aliquid affirmat, in quo differt a fama publica, quæ proprie est, dum tota civitas aut vicinia, vel major ejus pars aliquid evulgat. Rumor autem est quid minus, ut Gl. *in cit. c. super eo, v. confessionem in fine*, quam fama, & non est sufficiens probatio sine testibus. Porro, quod hic notandum, fornicatio potest dici notoria sine alia probatione, dum Clericus publice tenet in domo concubinam vel fœminam suspectam. Pirh. *l. c. num. 15.* Host. *in c. de illo, de eo, qui cognov. v. notorium.* Abb. *ibid. num. 3.* Alex. *num 4.*

5. Resp. Quarto: Sed neque confessioni amborum creditur, si fiat ea confessio adversus illud matrimonium, quod cum altero eorum prius initum asseritur, crederetur enim vel sic eorum testimonium in propria causa & in proprium eorum commodum, quod nullo jure concessum. Abb. *loc. cit.* Menoch. *de arbitr. cas. 103. num. 6.* Pirh. *loc. cit. num. 18.* qui etiam cum iisdem notat, quod, si agatur de separatione tantum quoad thorum, credatur unius conjugis assertioni contra seipsum, v. gr. si mulier confiteatur se commisisse adulterium, illi ejus confessioni creditur, ut a viro quoad thorum separetur.

TITULUS XV.

De frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi.

QUÆSTIO CCXXXVI.

Impotentia quid & quotuplex sit.

1. RESP. primo: Impotentia, de qua *hoc tit.* est inhabilitas vel ad generationem prolis, vel ad copulam carnalem; impotentia ad generandum dici solet sterilitas, & esse potest, etsi adsit potentia ad copulam; impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas fœmineum, effundendumque intra illud semen, si est ex parte viri; vel ad illud recipiendum, si est ex parte fœminæ. Potest hæc impotentia provenire vel ex natura seu ex causa naturali & intrinseca. V. G. in viro ex nimia frigiditate, dum ea defectu caloris naturalis semen emittere nequit, aut vas fœmineum penetrare, vel etiam ex nimio calore, natura præpropere & citius, ad primum nimirum contactum fœminæ, semen effundente extra vas muliebre, seu quin illud ad locum debitum perveniat, in fœmina vero ex nimia vasis naturalis arctitudine, adeoque ad recipiendum semen impenetrabilis, vel provenire potest ab extrinseco seu causa extrinseca & accidentaria. V.G. ex morbo vel ex maleficio diabolico, quod utrique sexui commune est, vel ex castratione, quod viro proprium est.

2. Resp. secundo: Impotentia ad copulam carnalem alia est absoluta comparatione omnium personarum impediens copu-

copulam carnalem. Alia respectiva respectu determinatae personae tantum, qualis communiter est in maleficiatis, vel respectu aliquarum personarum impedit dictam copulam. Rursus impotentia alia est temporalis, quae sine peccato aut gravi periculo seu damno corporis citra miraculum per opus humanum, seu per ordinaria, licita naturalia, etiam spiritualia remedia tolli potest, *c. fraternitatis*, *hoc tit.* alia perpetua, quae arte medica, aut sine miraculo per consuetos Ecclesiae exorcismos, aut sine peccato (quales sunt illicitae incantationes) aut sine periculo gravi corporis tolli nequit. Hinc itaque illa est impotentia perpetua, quae solo divino miraculo tolli potest; cum miraculum, utpote quod est praeter rerum naturam, exspectari nequeat. Sanch. *l. 7. d.* 39. *num.* 8. Gutt. *de matrimon. cap.* 112. *num.* 22. Castrop. *d.* 4. *de Sponf. p.* 14. *§.* 1. *num.* 2. Item quae sine peccato tolli nequit; quia quod jure non possumus, id absolute non possumus, & sic impotentia non nisi per peccatum tollibilis censetur absoluto intollibilis, adeoque perpetua. Sanch. *num.* 9. Gutt. *n.* 23. Castrop. *l. c.* Laym. *l.* 5. *l.* 10. *p* 4. *c.* 11. *n.* 1. De caetero quid intelligatur nomine periculi corporalis, ut exinde impotentia censeatur perpetua, dubitatur unde sit.

QUÆSTIO CCXXXVII.

An nomine corporalis periculi intelligatur mors ipsa ejusve periculum, vel etiam periculum gravis morbi.

RESP. Intelligi non tantum mortem ipsam, sed & periculum grave mortis, ita ut, non tantum illa sit impotentia perpetua, quae sine morte tolli nequit, ut volunt Innoc. *in c. fraternitatis*, *a num.* 1. Jo-And. *num.* 16. Butrio *n.* 22. & 23. &c. eo quod, quae cum periculo mortis tollitur, persona impotente superstite, dici non possit perpetua; cum ipso facto probetur durante vita tolli posse; sed etiam ea, quae tolli nequit sine gravi periculo mortis; cum tale periculum mortis morti aequivaleat; adeoque etiam ea censenda sit perpetua, quae sine periculo gravis morbi inducentis periculum mortis tolli nequit; non vero ea, quae tolli nequit sine periculo morbi inducentis solum gravem molestiam & dolorem, Sanch. *num.* 18. Gutt. *num.* 28. Castrop. *num.* 4. Laym. *loc. cit.* cum gl. *in c. fraternitatis*, *v. corporali*. Porro dum medici dubii sunt, an ex medicamentis & remediis adhibendis ad tollendam impotentiam periculum mortis subsit, illud subesse censendum, ait Castrop. *num.* 5. Gutt. *num.* 27. & Sanch. *n.* 15. Atque ex his jam inferunt iidem AA. cum Palud. *in* 4. *dist.* 34. *quaest.* 2. *a.* 2. *conclus.* 2. *num.* 2. quod, si judicio medicorum impedimentum removeri potest per opus humanum licitum, & patiens renuat curationem, vel etiam non teneatur illam admittere, non censendam impotentiam perpetuam; cum impedimenti hujus perpetuitas non pendeat ex voluntate patientis illud, neque ex eo, quod tollatur, vel non tollatur; sed ex eo, quod spectata natura tolli vel non tolli possit absque vitae periculo.

QUÆSTIO CCXXXVIII.

An censenda impotentia perpetua, dum foemina scit, non posse se absque manifesto suae aut prolis vitae periculo concipere.

RESP. Negative cum Sanch. *cit. d.* 93. *num.* 27. & 28. Gutt. *num* 17. Castrop. *num.* 13. Pith. *hoc tit. num.* 5. contra Henriq. *l.* 12. *de matrim. cap.* 7. *num.* 8. eo quod haec impotentia sita sit in eo, quod foemina talis licite vacare non possit copulae, ad quam de caetero apta est, sitque solum pro tempore, quo apta est conceptioni, & evenire possit tempus sterilitatis, quo licite potest vacare copulae, adeoque non sit perpetua. Sed neque ex eo, quod foemina talis moraliter, sive sine peccato non possit obligare se ad reddendum debitum pro eo tempore, quo durat illud periculum vitae ex conceptione subeundum, irritum est matrimonium; cum ad ejus essentiam non requiratur, ut conjuges se obligent ad reddendum debitum pro quovis tempore, sed sufficiat, ut obligent se ad illud, cum legitimum impedimentum abfuerit, ne alias affectus morbo, quo impeditur reddere debitum, dicatur habuisse impotentiam perpetuam, & valide contrahere non potuisse; unde etiam illud sequi videtur, ne quidem teneri eam abstinere a matrimonio contrahendo, ut Pith. *num.* 5. citans Coninck. *d.* 31. *de Sacram. dub.* 7. *num.* 86. cum contrahendo matrimonium non aliter se obliget ad reddendum debitum, quam pro tempore, quo illud licite reddere potest, quamvis tamen sub peccato gravi mulier contractura hunc sui defectum aperire teneatur, de quo infra; quin & licite reddere eam posse debitum, dum sine periculo vitae suae creditur proles edenda mortua, utpote cui per hoc non fiat injuria; cum id fiat praeter intentionem conjugum utentium jure suo, censet Pith. *loc. cit.* cum Con. *num.* 85.

QUÆSTIO CCXXXIX.

An & qualis impotentia coeundi perpetua dirimat matrimonium.

RESP. Impotentia perpetua & absoluta habendi veram & perfectam copulam, qualis, ut dictum, in viro est impotentia penetrandi vas foemineum, ibidemque effundendi semen de se aptum generationi, in foemina impotentia admittendi & recipiendi semen illud, si praecedat, est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum; non vero superveniens illud jam contractum dirimit, constat ex *c. fraternitatis*, *hoc tit.* & est sententia communis. Idque jure naturae, siquidem de essentia matrimonii est, ut conjuges fieri possint una caro; hoc autem fieri nequit, dum absolute & perpetuo inepti sunt ad talem copulam. Item de intrinseca ratione matrimonii est obligatio & traditio corporum ad usum seu copulam conjugalem; ad eam autem se obligare nequit, qui absolute ac perpetuo est impotens eam exercere; cum impossibilium nulla sit obligatio, *Reg.* 185. *ff. de Reg. Jur.* & nemo tradere possit potestatem rei, quam nullo modo habet, *reg. jur.* 80. *in* 6. unde jam si potens etiam scienter contraxit cum perpetuo impotente, ac dein contrahat cum alia potente, tenet hoc secundum matrimonium; quia prius matrimonium ipso jure nullum erat; etsi obligationem habebat vi *c. consultationi*, *hoc tit.* ad cohabitandum priori tanquam sorori; quin & habeat & retineat, etiam hoc secundo matrimonio stante, obligationem praestandi priori impotenti alimenta, si cum ea conscios impotentiae contraxit. Pirh. *hoc tit. num.* 9. citatis Abb. *in cit. c. consultationi*, *num.* 2. Alex. *num.* 2. & 3. ex his

Infertur primo: Quod si vir vas foemineum penetrare nequit, tametsi in ejus introitu semen verum effundat, laborat impedimento impotentiae dirimente; cum ea seminatio per se non sufficiat, ut fiat una caro, tametsi aliquando per accidens virtute naturali matricis pars aliqua seminis attrahatur & intromittatur. Idem est, & ob eandem rationem nequit se obligare ad copulam, si penetrare quidem potest vas foemineum, non tamen effundere semen.

Infertur secundo: Spadones seu eunuchos carentes utroque testiculo sive a natura, sive per castrationem, quia etsi, vas foemineum penetrare possint, non possunt tamen emittere semen verum per se aptum generationi, ut docent Sanch. *l.* 7. *d.* 92. *a num.* 7. & plurimi apud illum. Gutt. *c.* 112. *num.* 7. Laym. *loc. cit. num.* 1. Castrop. *loc. cit.* Pirh. *num.* 3. quin nec satisfacere fini secundario matrimonii, qui est remedium concupiscentiae; cum remedium sit finis matrimonii habitum non per quamcunque copulam, sed per copulam suapte natura aptam ad generationem. Pirh. jure naturae incapaces sunt contrahere matrimonium, prout propria Bulla desuper edita definivit Sixtus v. *anno* 1587.

Infertur tertio: Steriles valide ac licite posse contrahere matrimonium. Sanch. *loc. cit. a num.* 24. Gutt. *num.* 16. Castrop. *num.* 3. Pith. *num.* 4. cum D. Thom. *in* 4. *d.* 34. *qu. unic. a.* 2. & communi ac certa, usu & praxi Ecclesiae approbata, contra Jason. *consil.* 115. *num.* 1. *vol.* 1. Felin. *in c. cum sit*, *de foro compet. num.* 15. siquidem steriles habere possunt copulam veram, verum semen effundendo, adeoque obtinere finem secundarium matrimonii, nempe remedium concupiscentiae per veram copulam, Sanch. *l. c. n.* 26. quod autem ex eo generatio evenire nequeat, non est seminis natura, quae est ejusdem rationis cum seminibus aliorum inferentibus generationem, sed ex speciali qualitate & temperamento subjecti, quod vero matrimonii finis primarius, qui est generatio prolis, frustretur, est per accidens; quod autem per accidens contingit, non est spectandum, sed quod per se ex illa copula evenire potest.

Infertur quarto: Senes decrepitos, dum natura vel arte medica ad veram copulam excitari possunt, etsi forte semen ab iis profusum per accidens sit infaecundum, contrahere posse matrimonia, cum D. Thom. *l. c. a.* 2. *ad* 3. & communi, docent Covar. *in* 4. *decret.* 2. *p. c.* 8. *§.* 2. *n* 10. Mantic. *de conject. ult. vol. L.* 11. *tit.* 13. Sanch. *l. c. a n.* 49. Gutt. *n.* 13. Castrop. *n.* 4. Pith. *n.* 4. juxta usum Ecclesiae nullos senes a conjugio rejicientis contra Portium *in pr. inst. de nupt. col.* 4. cujus sententiam probabilem censet Henriq. *l.* 12. *de matrim. c.* 7. *num.* 3. *in*

com-

comment. lib. X. Et in ſpecie de fœminis certiſſimum eſſe eas ob ſenium non eſſe cenſendas impotentes ad matrimonium; cum earum frigiditas non impediat ſeminis virilis receptionem, aſtruont Sylv. *v. matrimonium*, 8. *qu.* 16. *dicto* 4. Sanch. *num.* 22. Gutt. *num.* 14. Caſtrop. *loc. cit.* Cuchus, *l.* 3. *institut. maj. tit.* 12. *num.* 262.

QUÆSTIO CCXL.

An igitur etiam ſenes omnino exhauſti, qui judicio medicorum & arte juvari non poſſunt ad copulam, habendi ſint pro impotentibus, adeoque valide contrahere nequeant matrimonium.

RESp. Affirmative, eo quod illis copula abſolute ſit impoſſibilis, adeoque ſe ad illam obligare non poſſint, quæ obligatio eſt de eſſentia matrimonii; perinde autem ſit, an impotentia ex natura, an ex accidente proveniat, dum ex quocunque capite proveniat, reddit ſubjectum impotens obligari ad copulam, adeoque & ad matrimonium; ita tenent Abb. *h. t. n.* 5. Anchor. *n.* 1. Hoſt. *in ſum. h. t. in fine*. Alex. *n.* 4. Cuch. *n.* 257. Sanch. *n.* 23. Gutt. *n.* 15. Caſtrop. *n.* 5. Laym. *cit. cap.* 11. *in fine* citans plures alios contra Nav. *l.* 4. *conſil. tit. de Sponſal. conſ.* 39. *num.* 15. & 18. Rodriq. *in ſum Tom.* 1. *c.* 235. *concl.* 5. *n.* 5. Butr. *in c.* 2. *h. t. n.* 5. & alios plures apud Caſtrop. cenſentes illos adhuc capaces matrimonii; quia ſaltem habitu retinent potentiam ſeminandi intra vas, de cætero obſervandum, quod ex Sanch. notat Laym. *l. c.* marito ob ſenium ſimpliciter ac perpetuo impotenti ſeminare intra vas licet liceant tactus & oſcula citra periculum pollutionis, non tamen liceat copula cum dicto periculo, ſi vero ſit ſpes adhuc aliqua (etſi rariſſime contingat) ſeminandi intra vas, licere conjugibus copulam etiam cum periculo pollutionis.

QUÆSTIO CCXLI.

An infirmus, cujus ſalus jam deſperata, cenſendus impotens contrahere matrimonium.

RESp. Negative Covar. *l. c. n.* 10. Sanch. *l.* 7. *d.* 105. *num.* 3. Ponc. *l.* 7. *c.* 65. *n.* 7. Gutt. *c.* 21. *n.* 1. Laym. *n.* 6 Caſtrop. *n.* 6. Pirh. *n.* 6. cum communi uſu & conſuetudine Eccleſiæ approbata, ſiquidem moribundus, etſi eo tempore nulla arte juvari poſſit ad habendam copulam, utpote vi morbi & defectu virium impeditus, retinet tamen potentiam ad illam, licet in actum exire nequeat. Addit tamen Caſtrop. quod ſi vi morbi hæc ipſa quoque potentia deſtructa eſſet (quod nunquam præſumitur) eo caſu fore illum incapacem celebrandi matrimonii. Confirmantur hæc ex eo, quod tale matrimonium a moribundo contractum cum concubina tanquam verum vim habeat legitimandi prolem ante ſuſceptam, ut contra Bald. *in l. cum quam c. de fideicom. n.* 27. aſtruunt Tiraquel. *in l. ſi unquam, v. ſuſceperit, n.* 73. *c. de revocand. donat.* Covar. *loc. cit.* Cuch. *l. c. n.* 138. Sanch. *l.* 7. *d.* 206 *num.* 4. Caſtrop. *n.* 7. ubi etiam pluribus, quod hæc, utpote vera & abſoluta legitimatio, vim habeat excludendi vocatum ſub conditione, ſi inſtitutus abſque liberis legitimis decedat, quando non probatur animo fraudandi ſubſtitutum eſſe contractum matrimonium, pro quo citat Sanch. *l. c. n.* 7. & 8. & alios.

QUÆSTIO CCXLII.

Num hermaphroditus ſit impotens contrahendi matrimonium.

1. RESp primo, hermaphroditus, hoc eſt, qui utroque ſexu pollet, judicaturque vir vel fœmina juxta ſexum prævalentem *l. quæritur, ff. de ſtatu hom.* Dum ei conſtat, quo ſexu prævaleat, ſecundum illum valide & licite contrahere poteſt matrimonium, ita ut, ſi ſexu virili prævaleat, poſſit ducere fœminam, ſi ſexu fœmineo, poſſit viro copulari, gl. *in c. ſi teſtis, v. ad teſtimonium*. Sanch. *l.* 7. *d.* 106. Gutt. *c.* 119. *n.* 1. Caſtrop. *l. c.* §. 5. Pirh. *h. t. n.* 3. ſi vero ei non conſtet, quo ſexu prævaleat, ſpectata conſuetudine, contrahere nequit matrimonium, quin prius a medicis exploretur, quis ſexus prævaleat, & ſi hi ſint dubii, concedi hermaphrodito electionem, ſecundum quem ſexum contrahere velit, electione hac facienda coram Judice Eccleſiaſtico, qui ab eo cautionem juratoriam accipere debeat, quod nunquam altero ſexu utetur; & ſine qua diligentia præmiſſa, parochus tali matrimonio aſſiſtere non debeat, tradit Caſtrop. *num.* 5. citatis Sanch. *d.* 106. *num.* 6. Gutt. *num.* 2. Majolo, *de irreg. l.* 3. *cap.* 25. *num.* 16.

2. Reſp. ſecundo: Contrahere eum poſſe ſecundum ſexum debiliorem negant Sanch. *num.* 5. Gutt. *num.* 1. Pirh. *hoc tit. num.* 3. E contra, ſi ſecundum ſexum debiliorem eſt potens ad coitum, valide, & forte etiam licite, eum contrahere poſſe affirmant Ponc. *L.* 7. *de impedim. matrimon. cap.* 65. *num.* 8. Hurt. *d.* 22. *diffic.* 10. *num.* 35. Caſtrop. *num.* 3. eo quod licet ex ſexu fortiore vir aut fœmina denominetur, abſolute tamen & ſimpliciter ſpectato illo ſexu debiliore, ſi ſecundum illum habet potentiam coeundi, vir eſt aut mulier, adeoque jure naturæ ſecundum illum contrahere poſſit. Sed nec jure poſitivo invenietur irritum tale matrimonium, quin nec prohibitum, adeoque ſecluſa conſuetudine, etiam licitum. Illud certum eſſe ait Caſtrop. *num.* 4. committere illum adulterium, ſi contracto ſecundum unum ſexum matrimonio, utatur dein altero ſexu, eo quod nequeat alteri tradere corpus ſuum in duplicis ſexus uſum.

QUÆSTIO CCXLIII.

An igitur etiam impotentia perpetua coeundi irritet matrimonium acceptum pro quadam confœderatione ad ſimultaneam cohabitationem, obſequiorumque communicationem, & num dicta ſocietas conſtituat verum matrimonium.

1. RESp ad primum: Negant hoc ipſum Sanch. *l.* 7. *d.* 97. *a num.* 5. Gutt. *cap.* 114. *a num.* 1. Caſtrop. *loc. cit.* §. 6. *num.* 1. Argumento *c. conſultationi, c. laudabilem, hoc tit.* quamvis iidem dicant iſtiuſmodi matrimonium acceptum pro tali confœderatione omnino diſſuadendum ob periculum incontinentiæ, intellige quoad oſcula, tactus & ſimilia.

2. Reſp. ad ſecundum: Nec jure Eccleſiaſtico, nec jure naturæ talis confœderatio impotentium coire eſt verum matrimonium. S. Bonavent. *in* 4. *d.* 34. *a.* 2. *quæſt.* 1. Navar. *cap.* 22. *num.* 60. Sanch. *l.* 7. *d.* 97. *num.* 2. referens plures Gutt. *loc. cit.* Vaſq. *part.* 3. *d.* 125. *cap.* 7. Caſtrop. *num.* 1. & alii apud illum contra Ponc. *l.* 7. *de matrim. cap.* 56. & alios, quibus favere videtur D. Thom. *in* 4. *d.* 34. *quæſt.* 1. *a.* 2. *ad* 4. & *part.* 3. *quæſt.* 29. *a.* 2. matrimonium enim primo ac per ſe inſtitutum ad honeſtam generis humani propagationem per animorum corporumque conjunctionem; impotentes autem ad coeundum non poſſunt ſibi invicem tradere corporum ſuorum dominium ad dictam propagationem, etſi obligare ſe poſſint ad mutuam illam cohabitationem & mutuorum obſequiorum delationem. Et licet dominium rei ab ejus uſu diſtinguatur, nequit tamen tradi dominium, quin tradatur jus & poteſtas re illa utendi, tametſi ex alio capite contingat poteſtatem illam ligari & uſum impediri at talem poteſtatem ſibi invicem tradere nequeunt tales impotentes. Sed neque obſtat *c. conſultationi & laudabilem*; quin potius faciunt pro *reſponſ.* quia ibi abſque ulla diſtinctione matrimonii ad copulam, & matrimonii ad caſte convivendum, deciditur ſtante impotentia, conjugem haberi non poſſe ut uxorem; uti etiam in motu proprio Sixti V. definientis impotentes ineptos eſſe ad contrahendum matrimonium.

QUÆSTIO CCXLIV.

An & qualiter impotentia perpetua reſpectiva ſit impedimentum contrahendi matrimonii.

RESp. Eſſe impedimentum dirimens matrimonii contrahendi cum ea perſona, reſpectu cujus eſt; idque ſive proveniat ex natura, ſive a maleficio. Sanch. *loc. cit. d.* 93. *a n.* 2. Gutt. *cap.* 112. *num.* 19. Ponc. *l.* 7. *cap.* 61. *per tot.* Laym. *cit. cap.* 11. *a num.* 1. Caſtrop. *loc. cit.* §. 3. Pirh. *hoc tit. num.* 10. matrimonium, ſiquidem eſſentialiter continet obligationem, ut conjuges fiant una caro, quam obligationem ſubire nequeunt reſpectu illius perſonæ, cum qua copulam habere nequeunt, etſi ea reſpectu aliarum eſt eis poſſibilis; reſpicit enim matrimonium perſonam determinatam & individuam; adeoque ſi reſpectu illius copula ſit impoſſibilis, nihil juvat, quod reſpectu aliarum ſit poſſibilis. Et quidem de impotentia proveniente ex natura eſt textus expreſſus in *cap. fraternitatis hoc tit.* de proveniente ex maleficio probat textus, *c. ſin.* 33. *qu.* 1. & dari impotentiam perpetuam ex maleficio, veriſſimam ſententiam ait Caſtrop. *num.* 3. citans D. Thom. *in* 4. *d.* 34. *qu. unic. a.* 3. *in corp.* Sanch. *d.* 94. *a num.* 8. Gutt. *c.* 113.

Ponc.

Ponc. *loc. cit. cap.* 65. *num.* 6. *&c.* contra quosdam cum Gloss. *in cit. cap. fin. & cap. fraternitatis* sentientes contrarium; eo quod teste experientia reddi possit sic impotens ex maleficio conjux, ac si frigidus ex natura esset; quia maleficio non minus destrui potest potentia generativa, nulla humana industria reparabilis, vel etiam si non destructa, ita tamen ligata & impedita maleficio esse potest, ut hoc impedimentum ordinariis Ecclesiæ exorcismis aliove modo licito tolli nequeat; eo quod author maleficii, etsi alias removere possit signa malefica animo destruendi pactum cum dæmone, sit mortuus, nec sit alius, qui ea removere sciat licite; unde jam sequitur, quod si impotens etiam hac impotentia respectiva dein per miraculum sanetur, matrimonium prius contractum ab eo fuisse ac remanere nullum, nisi per novum consensum revalidetur; secus vero esse, si redditus per maleficium impotens, dein sanetur consuetis Ecclesiæ exorcismis; cum hoc ipso tunc appareat impotentiam fuisse temporalem, & consequenter matrimonium ab initio validum. Pirh. *num.* 12. Laym. *cit. cap.* 11. *num.* 2. Porro signum esse oriri hanc impotentiam, non a natura, sed a maleficio, Castrop. *num.* 3. ait, esse parte viri, si sentiat genitalia quandoque erigi, nocte vel etiam in vigilia patiatur pollutionem, & cum fœminæ appropinquat, concidere; cum ex frigiditate impotens his motibus non agitetur, ex parte fœminæ vero, si nimia horreat virum volentem sibi copulari, nulloque modo pertrahi possit, cum tamen circa alios moveatur vel excitetur; vel etiam respectu hujus nimis arcta reddatur, cum tamen respectu aliorum similium non sit nimis arcta.

QUÆSTIO CCXLV.

An & qualiter impotentia temporalis irritet matrimonium.

RESp. Impotentia hæc non impedit matrimonium contrahendum, D. Thom. *loc. citat.* communiter receptus Laym. *loc. cit. num.* 1. Sanch. *d.* 92. *num.* 4. Gutt *cap.* 235. *num.* 1. Castrop. *§.* 2. *num.* 8. &c. siquidem impotens ad tempus est absolute potens, adeoque potest se absolute obligare ad copulam, quemadmodum etsi perpetuo inhabilis ad solvendum, inhabilis quoque est ad promittendum; qui tamen in præsente non est solvendo, obligare se potest ad solvendum, si spes sit fore in futurum solvendo. Illud tamen recte monent Castrop. *num.* 8. Sanch. *num.* 5. Gutt. *cap.* 112. *num.* 4. conscium suæ impotentiæ diu duraturæ peccaturum mortaliter, si contrahens matrimonium illam non manifestet conjugi, ob gravem injuriam, quam ei infert privando illam usu conjugali.

QUÆSTIO CCXLVI.

An & qualiter impotentia perpetua superveniens matrimonio illud dirimat aut usum illius impediat.

1. RESp. ad primum: Non dissolvit ea matrimonium, etsi ratum tantum; quia illud sola professione est dissolubile. Sanch. *l.* 7. *d.* 102. *a num.* 3. Gutt. *cap.* 116. *num.* 1. Castrop. *§.* 2. *num.* 10. cum communi contra Gratian. & quosdam alios. Argum. *c. si qui* 32. *quæst.* 7. *c. si uxor*, 32. *quæst.* 5.

2. Resp. ad secundum; impotentia effundendi verum semen, ut si vir utroque teste orbetur, superveniens matrimonio non impedit petitionem & redditionem debiti; cum id per accidens contingat, quod veram conjugalem copulam effundendo verum semen habere non possit. Castrop. *loc. cit. num.* 11. citato Tolet. *in sum. l.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. si vero sit impotentia seminandi intra vas ob imbecillitatem viri vel fœminæ arctitudinem aliamve causam, non prohibentur conjugibus tactus, oscula, amplexus citra pollutionis periculum, Castrop. *loc. cit.* cum communi; quin nec copula, dum certi non sunt, semen extra vas effundendum, unde & quoties est spes aliqua intra vas seminandi, toties poterunt ad copulam conari, etsi videant sæpe semen extra vas effundi; cum procurent rem licitam, nempe copulam conjugalem, quam credunt sibi possibilem. Sanch. *l.* 9. *d* 17 *num.* 20. Nav. *cap.* 22. *num.* 60. Castrop. *cit. num.* 11. Laym. *cap.* 11. *num.* 4. citatis pluribus. Argum *c. laudabilem*, *hoc tit.* ubi triennium conceditur ad experiendum potentiam; quod si impotentia non sit copulæ, sed generationis; eo quod mulieri constet, se semper fœtus mortuos edere, vel se manifesto exponi periculo concipiendo ex judicio medicorum, non tenetur reddere debitum, cum tam gravi sui, prolisque detrimento, licet tamen id petere & reddere, cum ad vitandum periculum incontinentiæ & animæ licite subire possit periculum corporis, maxime dum hoc periculum non ita certum est, prolem nimirum ex copula non suscipiendam vel matrem in partu periclitaturam, Castrop. *num.* 12. citatis Sanch. *l.* 7. *d.* 102. *num.* 8. *&* 10. Coninck. *d.* 31. *dub.* 7. *n.* 87.

QUÆSTIO CCXLVII.

Num fœmina nupta, cujus arctitudini ex Medicorum judicio subveniri potest absque gravi periculo, ut apta viri congressui reddatur, teneatur pati scissuram.

1. RESp. primo; fœmina quæ nullam præ cæteris fœminis arctitudinem habet, ut a viro cognoscatur; præter claustrum seu pudorem virgineum non tenetur pati scissuram, Castrop. *tract.* 28. *d.* 4. *part.* 14. *§.* 2. *num.* 8. citatis Pet. Ledesm. *tract. de matrim. quæst.* 58. *a.* 1. *circa finem.* Hurt. *d.* 22. *diffic.* 7. Ponc. *l.* 6. *de imped. cap.* 62. *a num.* 2. contra Sanch. & alios apud illum, censentes fœminam, sive præ aliis arcta sit, sive non, obligatam esse scissuram pati, quando absque periculo gravis infirmitatis fieri potest, tametsi non absque gravi molestia & dolore; quia hic sustinendus videtur, ut obligationi conjugali satisfiat. Verum ratio responsionis est, quod conjux in matrimonium corpus suum tradidit alteri ad usum conjugalem, prout a natura destinatum; at natura non destinavit apertionem claustri virginalis in ordine ad usum conjugalem fieri debere alio modo, quam pudendo viri, quinimo omnem alium modum utpote extraordinarium naturæ abhorret; ergo eo uti non tenetur.

2. Resp. secundo: Fœmina præ cæteris arcta, si hujus arctitudinis conscia contraxit cum viro illius ignaro, tenetur pati scissuram, si absque gravi salutis suæ incommodo eam sustinere potest; eo quod virum deceperit non manifestando illam difficultatem, quam is præsumere non tenebatur; adeoque teneatur medicamenta adhibere, quæ virgineum claustrum disponant efficiantque æque aptum congressui, ac est claustrum aliarum fœminarum, Castrop. *num.* 8. cum communi; quamvis is fateatur, obligationem illam raro contingere posse; eo quod vix evenire possit, fœminam scire, se præ aliis arctam esse, eamque arctitudine a viro superari non posse; adeoque censeat eam raro aut nunquam obligandam ad eam scissuram admittendam, & nullam esse hujus remedii obligationem ex eo confirmat, quod jura non statuant in litibus subortis de impotentia, virgineum claustrum aliquo artificio reserari debere; sed solum triennalem cohabitationem concedunt. Illud *num.* 10. pro certo habet cum Sanch. *d.* 93. *num.* 39. fœminam non esse obligatam pati hanc scissuram, inconsultis Medicis a marito tentante eam præstare digitis aliove instrumento; & posse propterea fugere ejus consortium, donec hujus violentiæ securitatem præstet; eo quod datum non sit viro partem virginalem alio instrumento quam suo pudendo aperire, maxime, cum ex hac reseratione fœmina pati possit non leve damnum salutis, sitque periculum, ut facta reseratione, adhuc viro commisceri nequeat.

QUÆSTIO CCXLVIII.

An fœminæ, quæ ob arctitudinem cognosci non potuit a viro, ideoque ab eo separata fuit, sit eidem nec frigiditate, nec maleficio laboranti reddenda, postquam experientia probatum fuit, eam ab alio cognitam.

RESp. Quamvis id absolute affirment Innoc. *in c. fraternitati* *&c.* 1. *a n.* 2. Host. *ibidem n.* 7. Alex. *n.* 99. melius tamen dicunt Abb. *in cit. c. n.* 2. *&* 3. Gloss. *ibid. v. simili.* Sanch. *d.* 93. *n.* 13. Gutt *c.* 112. *n.* 26. Castrop. *cit. §.* 1. *nu.* 12. *&c.* attente prius examinandum & inspiciendum, num aliter vir fuerit priori omnino similis ætate, robore, ac membro virili, quæ similitudo universalis si deprehendatur, præsumendum, potuisse a priore viro cognosci, adeoque ei reddendam, juxta *cit. c. fraternitati*.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXLIX.

Qualiter impotentia dubia sit impedimentum matrimonii contracti, vel saltem usus illius.

1. RESP. primo: Tametsi dubius de impotentia sua peccat mortaliter contrahendo matrimonium. Sanch. *L.* 7. *disp.* 103. *in fine* Gutt. *cap.* 116. *num.* 3. Castropal. *tit. part.* 14. §. 7. *num.* 1. tam ob gravem injuriam per hoc irrogatam alteri conjugi potenti ignoranti illam illius impotentiam dubiam. Tam ob irreverentiam irrogatam Sacramento matrimonii, exponendo illud periculo nullitatis, postquam tamen tali dubio stante contraxit, petere & reddere potest debitum, et non ostendit Ecclesiæ, num valide an invalide contraxerit. Castrop. *num.* 2. & si intra triennium, quod conceditur ad explorandam impotentiam, matrimonium consummare non potuerit, separandus est; quia præsumitur contraxisse invalide; nempe cum impotentia perpetua.

2. Resp. secundo: Dum dubitatur, num matrimonium consummaverit, & re diligenter examinata, dubium illud vinci non potest, judicandum est pro valore matrimonii; cum quilibet præsumatur potens, quamdiu non probatur impotens. Sanch. *n.* 3. Castrop. *n.* 3.

3. Resp. tertio: Dum constat de impotentia, dubitaturque solum, an præcesserit matrimonium, si sit a natura, judicandum esse eam præcessisse matrimonium, adeoque contractum nulliter; cum quæ a natura sunt, sint perpetua, præsumendum eam impotentiam fuisse semper, docent a fortiore Mascard. *de probat. concl.* 816. *num.* 19. Henriq. *L.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. Host. *in cap. fraternitati hoc tit. num.* 4. ibique commentatores alii. Si est accidentalis, sive ex maleficio, sive ex morbo, vel per industriam humanam, puta, per abscissionem membri proveniat, præsumi adhuc debere præcessisse matrimonium tenent iidem; eo quod licet impotentia accidentalia præsumi non debeat, nisi fuerit probata, si tamen constet eam adesse, & tantum dubitatur, num præcesserit matrimonium, expedit præsumptionem fieri, quæ conjugibus, proli, matrimonio favorabilior; hic autem favorabilius sit, præsumi præcessisse matrimonium; quia conjux potens potest inire aliud matrimonium, prolem generare, & evitare periculum accedendi ad non suam. Castrop. tamen *num.* 5. citans pro se Butr. *in cap. fraternitati num.* 10. censet præsumendum esse, quamcunque impotentiam subsecutam esse matrimonium, eo quod dum quilibet debeat præsumi a natura potens, præsumi quoque debeat, illam impotentiam ante matrimonium non fuisse, adeoque id asserenti incumbat onus probandi, quod ubi facere non potest, judicandum matrimonium valide contractum. Atque ita conjux potens jure optimo præsumere possit ac debeat, se accedere ad suam. Limitat tamen sententiam suam Castrop. *num.* 6. ita ut, si illico, ac matrimonium contractum, constet de impotentia, ea censenda præcessisse matrimonium; cum quis præsumi non debeat, tam brevi tempore ab uno ad aliud extremum transiisse. Citat pro hoc Sanch. & Gutt. *ll. cit.*

4. Resp quarto: Dum dubitatur, an impotentia naturalis vel accidentalis, præsumendum semper esse accidentalem, quamdiu non probatur contrarium; eo quod præsumi non debeat defecisse naturam, censent Sanch. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *num.* 7.

QUÆSTIO CCL.

An & a quo tempore potens reclamare possit conjugem impotentem, & audiendus sit.

1. RESP. primo: Mulier statim, hoc est, post mensem vel intra bimestre a contracto matrimonio reclamans, allegando viri impotentiam, audienda est, etsi vir neget. Sanch. *L.* 7. *d.* 109. *num.* 16 Pith. *hoc tit. num.* 14. juxta *cap.* 5. *hoc tit.* elapso vero bimestri a contracto matrimonio allegantis mariti impotentiam deneganda est audientia (intellige, non absolute & pro semper, sed quousque transierit trimestre) quia mulier sero reclamans, cum ut ait Papa *cap.* 5. *hoc tit.* cito & in parvo tempore scire potuit, si vir cum ea coire non potuisset, præsumitur dicere non verum, *cit. cap.* 5. *hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 5. Alex. *num.* 7. Sanch. *num.* 2. Pirh. *loc. cit.* Castrop. §. 1. *num.* 2. nisi se offerat ad probandam impotentiam per signa certa & evidentia, vel verosimiliter evidentia, tunc enim statim non exspectato triennio audienda; cum jam cesset falsitatis præsumptio, cui decisio illa Papæ innitebatur. Sanch. *num.* 5. Castrop. *loc. cit.* Gutt. *cap.* 120. *num.* 20. Porro bimestre illud computandum a die illo, quo vir post contractum matrimonium copulam intentavit. Butrio *in c. laudabilem, hoc tit. num.* 10. Alex. *num.* 10. Host. *in princ.* Sanch. *n.* 4. Gutt. *num.* 19. Castrop. *loc. cit.* Argum. *c. accepisti h. t.* ubi Papa feræ reclamanti denegatæ audientiæ dat rationem, quod cito scire potuisset, an vir secum coire potuisset, quod nullo modo scire potuisset, nisi vir copulam intentasset.

2. Resp. secundo: Transacto autem triennio non conceditur mulieri audientia, tametsi per signa dubia probare nitatur impotentiam. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *num.* 14. Gutt. *n.* 17. juxta *c. fraternitati*, & *c. fin. h. t.*

QUÆSTIO CCLI.

An & qualiter impotens reclamare possit.

1. RESP. primo: Quemadmodum potenti licitum est reclamare contra impotentem conjugem; cum ejus maxime intersit, non esse alligatum impotenti; ita etiam impotens, si suam impotentiam tempore contractus ignoravit, reclamare poterit, ne cogatur onera matrimonii sustinere, & uxorem alere. Castrop. *num* 3. Argum. *cap.* 2. *hoc tit.* ubi vir suam frigiditatem allegavit. Quinimo tenebatur reclamare, si periculum incontinentiæ, nisi dissolutionem matrimonii procuret, intercurrat; eo quod stante illo periculo non possit jam cum conjuge habitare, eamque ut sororem habere.

2. Resp. secundo: Quod si tempore matrimonii contracti conscius fuit suæ impotentiæ, non posse eum procurare separationem, potente renitente; quia ratione deceptionis & irrogatæ injuriæ potenti, videtur obligatus ad onera matrimonii sustinenda, tradunt Castrop. *n.* 3. Gutt. *c.* 121. *n.* 13. Sanch. *d.* 114. Sylv. *v. matrimonium*, 8. *qu.* 16. *dicto* 1.

QUÆSTIO CCLII.

An & qualiter, & a quo die computandum requiratur triennium ad explorandam impotentiam.

1. RESP. primo: Non tantum, dum de impedimento frigiditatis aut alterius impotentiæ constat clare per signa certa & evidentia, ut quia vir habet membrum sectum carens testiculis, vel omnino aridum, non valens assurgere ad coitum; sed etiam quando demonstratur per verisimilia alia signa præstantia moralem certitudinem, quæ in humanis æquivalet evidentiæ, & quæ sufficit, ut constare quid dicatur, non requiritur triennium cohabitationis ad explorandam impotentiam præscriptum in *c. laudabilem, hoc tit.* sed statim separari possunt, & matrimonium declari nullum. Castrop. *tract.* 28. *d.* 4. *part.* 14. §. 9. *num.* 3. & 4. Gutt. *c.* 120. *n.* 4 Ponc. *L.* 7. *c.* 66. *num.* 2. & 6. Sanch. *l.* 7. *d.* 107. *num.* 4. Pith. *h. tit. num.* 16. juxta *c.* 5. *h. tit.* Proceditque id ipsum, dum unus conjugum citius, alter tardius reclamat. Sanch. *loc. cit.* sed neque in eo casu requiritur juramentum conjugum, & insuper septima manus propinquorum, hoc est juramentum septem testium propinquorum ex parte cujuslibet conjugis, aut iis deficientibus, septem vicinorum testantium se credere, conjuges verum dicere, & præterea inspectionem conjugis factam a medicis vel matronis, quorum omnium testimonia convenientia, tradit Castropal. *num.* 5. citans Hurt. *d.* 22. *de matr. diff. nu.* 28. contra Sanch. Gutt. Ponc. *LL. cit.* item contra Butrio *in c. laudabilem h. t. nu.* 14. & Alex. *ibid. nu.* 17. eo quod nec illæ nec aliæ probationes jure naturæ requiri possint, dum de veritate impotentiæ moraliter certum est, & dictum juramentum, dictaque inspectio requiratur in casu dubio, & post triennalem cohabitationem, ut constat ex *c. laudabilem*.

2. Resp. secundo: Cum vero non constat de impotentia, eaque probari non potest per signa urgentia & certa, sed ea remanet dubia, requiritur post delatum illis dictum juramentum (quamvis ex parte negantis impotentiam nulli testes requirantur, ut Jo-And. Anchar. *in c. laudabilem in princ.* Sanch. *l.* 7. *d.* 109. *num.* 13. Castrop. *num.* 6.) triennalis cohabitatio conjugum juxta expressum textum *c. laudabilem*, ut copulæ vacent, ut cum communi Rota apud Farin. *part.* 1. *decis.* 695. & vel maxime, dum impotentia creditur ex maleficio; quia decursu temporis, instantia orationis, aliisque remediis forte removenda. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Gutt. *c.* 120. *num.* 7. Anchar. *in c. laudabilem num.* 7. &c. Procedunt hæc, nisi uterque fateatur impotentiam. Glos. *in c. laudabilem v. uterque* Abb. *ibidem in fine* Mascard. *de probat. tom.* 1. *concl.* 312. *v. coitus*, *num.* 4. Gutt. *num.* 20. Ponc. *cit. c.* 66. *num.* 4.

num. 4. Castrop. *loc. cit.* §. 9. *num.* 9. Sanch. *l.* 7. *d.* 108. *num.* 5. citatis aliis contra Sylv. Angel. Rosell. & alios docentes, in eo casu non requiri triennium, sed aliud tempus arbitrarium duorum vel trium mensium, vel ad summum unius anni, quo elapso, & accedente juramento conjugum, & septimæ manus propinquorum absque omni alia diligentia matrimonium dissolvendum. Verum ratio in contrarium est; quod præterquam ea Confessione utriusque conjugis, etiam alias fide dignorum adhuc constare non possit, num impotentia naturalis & perpetua, an vero accidentalis & temporanea; adeoque ad hoc, ut melius veritas appareat, exspectari debet per triennium. Sanch. *d.* 108. *num* 5. & mariti & uxoris asserentium impedimentum Confessioni non statur contra valorem matrimonii; cum hujus dissolutio non dependeat ex voluntate contrahentium) etsi ei stetur, dum consitentur pro valore matrimonii sui, juxta *c.* 2. *de clandest. despons.* Sed alia probatio requiritur, ut separatio fieri possit. Alex. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 3. Pirh. *num.* 14. Ad hæc, ut Castrop. si dum unus conjugum asserit, & alter negat impotentiam, assignatur triennium, id potius assignari debet, dum uterque confitetur; cum hic casus graviori periculo deceptionis sit expositus, timerique possit utriusque conjugis collusio ob voluntatem a conjugio recedendi. Quod si vero elapso triennio adhuc veritas cognosci non potuerit, regulariter standum pro matrimonio, utpote cujus causa est favorabilis, & pro quo est possessio. Sanch. *d.* 109. *num* 15. Alex. *in c. laud. num.* 17. Castrop. *num.* 7. ubi etiam ex Sanch. & Mascard. *de probat. concl.* 312. *num* 19. procedere id efficacius, dum mulier dicit se a viro cognitam; eo quod tunc ei potius credendum; quia non præsumitur velle habitare cum impotente. Si vero id neget, opus est inspectione. Sanch. *loc. cit. num* 6. Gutt. *c.* 120. *num.* 21. Castrop. *num* 7. & licet hæc probatio permittenda non sit, dum alia haberi potest. At aliis deficientibus permitti debet, & ratione necessitatis honestatur, licet etiam deceptioni obnoxia; id enim solum probat, non esse probationem concludentem, non tamen probat non esse verisimilem, & satis probabilem. Exacto autem experientiæ triennio, conjuges quovis tempore reclamare contra impotentiam ulterius possunt, & matrimonium dissolvi, si vel ambo fateantur impotentiam, vel adsunt probationes moraliter evidentes. Krimer. *de matrim. num.* 1354. juxta *c. fin. hoc tit.* ubi post octo annos muliere reclamante, & viro consentiente se respectu illius impotentem, postquam idem juramento confirmarunt, & post inspectionem matronæ fide dignæ de hoc justificatæ, id deciditur.

3. Resp. tertio: Triennium hoc continuum esse debet, juxta quod dicitur *c. fin. hoc tit.* ubi: *Intra prædictos octo annos continuum triennium in simul habitasse.* Et si interpolatum fuit, supplendum est. Jo-And. *in cit. c. fin. num.* 9. Mascard. *de prob. conclus.* 889. *num.* 8. Sanch. *L.* 7. *d.* 111. *num* 5. Gutt. *c.* 121. *num.* 8. Castrop. §. 10. *num.* 5. Continuatio autem hæc, cum non requiratur, ut sit mathematica, sed sufficiat, ut sit moralis & civilis, non censetur interpolata, ita ut suppletione egeat, quod conjuges uno alterove mense ob negotia occurrentia, & hinc ortam absentiam separatim vixerint. Ita probabilius Mascard. *cit. num.* 8. & 9. Sanch. *a num.* 3. Gutt. *n.* 7. & 8. Ponc. *L.* 7. *cap.* 66. *in fin.* Castrop. *loc. cit.* contra Henriq. *l.* 12. *cap.* 7. *num* 2. Sylv. & alios, censentes non nimis eam interpolari, si maxima parte anni cohabitent, exemplo scholarium, qui, si majore parte anni commorentur in universitatibus, censentur commorati toto anno. Item contra alios nimis stricte censentes, si etiam paucis diebus separati vixerint, interpolari dictam continuationem.

4. Resp. quarto: Non tantum, dum impotentia creditur esse ex maleficio ut Eucharist. *l.* 5. *instit. maj. tit.* 12. *num* 267. Anchar. *in c. fin. hoc tit. num.* 9. neque solum in impedimento frigiditatis, ut Brunel. *de sponsal. conclus.* 18. *declarat.* 4. *n.* 10. & 14. Henriq. &c. Sed undecunque oriatur impotentia, quamvis maxime, dum ea oritur ex frigiditate, computandum triennium a die copulæ intentatæ; non obstante, quod textus *cit. c. fin.* dicat: a tempore celebrati conjugii cohabitent per triennium &c. supplendum enim & addendum: *& copula attentata*: cum triennium concedatur ad explorandam impotentiam, quæ aliter explorari nequit. Pirh. *num.* 26. *in fin.* quia vero præsumitur vehementer conjuges vacasse copulæ a die, quo sibi cohabitarunt in lecto, ab eo die cohabitationis computandum dictum triennium, volunt Castrop. *nu.* 3. Sanch. *L.* 7. *d.* 110. *n.* 4. & 5. Gutt. *n.* 3. cum Abb. *in cit. c. fin.* Et hæc quidem spectato juris rigore; nam spectata consuetudine, styloque Curiæ Romanæ triennium illud computandum a decreto Judicis, tradunt Ponc. Castr. *ll. cit.* & apud hunc Riccius *in pr. decis.* 239. *n.* 1. Farinac. *vol.* 1. *consil. decis.* 27. & 277. qui etiam testatur sic sæpe tenuisse rotam. Quod si ante decretum illud Judicis jam præcessit triennalis cohabitatio, arbitrio Judicis relinqui abbreviationem triennii justis ex causis, tradunt AA. iidem.

QUÆSTIO CCLIII.

An & quale juramentum requiratur ultra triennium.

RESp. Ultra triennium requiritur juramentum utriusque conjugum fatentium impotentiam, & jurare debet vir se bona fide & absque dolo copulam intentasse, nec consummare potuisse; mulier vero jurare debet, per se non stetisse, quin copula consummaretur. Insuper accedere debent septem propinqui, vel his deficientibus septem vicini bonæ famæ *cap. laudabilem* & his quoque deficientibus alii testes omni exceptione majores, ut Sanch. *dist.* 108. *numer.* 13. Guttier. *cap.* 130. *num.* 11. Castropal. *num.* 11. quin &, si tot testes haberi nequeunt, sufficere pauciores arbitrio Judicis, ut Sanch *dist.* 108. *num.* 12. Mascard. *conclus.* 889. *num.* 9. Castropal. *loc. cit.* Porro hoc juramentum spectato jure communi *c. laudabilem* fieri debere tactis Evangeliis, consuetudine vero præscriptum esse, ut fiat super cruce, ait Castropal. *loc. cit.* Sanch. *num* 14. Guttier. *num.* 12. Esse autem dictum juramentum ita necessarium, ut eo deficiente sententia lata pro dissolutione matrimonii sit nulla, tradunt Sanchez *num.* 6. Ponc. *num.* 5. Guttier. *num.* 9. Argum. *cap. laudabilem* de cætero præter juramentum opus non esse inspectione, dum uterque conjux fatetur impotentiam, tradunt iidem; cum ea diligentia in hoc casu non requiratur *citat. cap. laudabilem*.

QUÆSTIO CCLIV.

Matronæ facturæ inspectionem quot & quales esse debeant.

1. RESp. ad primum: Matronas depositurar de virginitate aut etiam de impedimento arctitudinis sufficit esse tres vel duas; cum sine expresso textu vel fundamento recedendum non sit a communi regula: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum *cap. in omni negotio de testib.* Castropal. §. 10. *num* 7. Quin etiam Mascard. *conclus.* 1174. *num.* 21. putat, si in oppido sit una matrona tantum, & hæc satis perita, sufficere ejus testimonium. Quod ipsum probabile reputat Sanch. *L.* 7. *dist.* 113. *numer.* 17. Nec obstat *cap. proposuisti de probat.* ubi dicitur: *Juramento puellæ testimoniis septem illarum mulierum esse potius fidem adhibendam.* Nam ibi narratur factum, non autem dicitur necessarium id esse ad attestationem. Castrop. *cit. n.* 7.

2. Resp. ad secundum: Cum testimonio tali subesse possit deceptio, dum ut D. August. *L.* 1. *de civit. Dei*, *c.* 18. D. Ambros. *L.* 6. *epist. ad Synes. Episcop. Veron.* fœminæ corruptæ sæpe se virgines fingant, & fingere possint, debent esse matronæ illæ istiusmodi rerum peritæ, testarique debent juxta artis propriæ peritiam, hoc est, quantum ex propria arte & notitia conjicere possunt, esse virginem, aut non habere arctitudinis impedimentum. Item debent esse honestæ, providæ, & prudentes, prout constat ex *c. fraternit.* & *c. fin. hoc tit.* Porro ut legitime testari queant, debere illas non tantum inspicere, sed & contrectare manibus virginem, ait Castrop. *num.* 8. Argum. *c. penultim. de probat.* ubi: *Sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum*, quin & præter has diligentias alias facere posse Judicem, dum hæ ei visæ non sufficientes, v. g. posse vocare medicos; ut & eorum testimonio constet de impedimento arctitudinis; cum in re tam gravi, qualis est dissolutio matrimonii, & digressio ad aliud, nulla diligentia superflua censenda sit, cum Sanch. *loc. cit. num.* 28. notat Castrop. *num.* 8.

QUÆSTIO CCLV.

An & qualiter conjux propria authoritate recedens ob impotentiam sit restituenda.

RESp. Restituendam esse, nisi in continente probationes certas & evidentes afferat impotentiæ, quibus, non restitutio, sed matrimonii irriti declaratio facienda. Seclusa vero evidente probatione, recedens est restituendus, antequam quicquam de valore matrimonii audiatur, aut decidatur; & quidem non tantum ad mutuam cohabitationem, ut vult Sanch. *d.* 112. *num.* 8. sed & ut copulæ vacent, ut vult Castrop. §. 11. *num.* 2. Argum. *c. ex parte, de rest.*

rest. spol. eo quod conjuges vi matrimonii contracti possideant jus ad invicem, ad cohabitationem, mutuorum obsequiorum præstationem, & debiti petiti redditionem, quo jure alterum spolians ante omnia cogendus sit spoliato restitutionem præstare. Limitatur responsio, ita ut si elapso termino ob impotentiam alterius recedat conjux, non statim sit restituendus, sed admittenda prius ejus de impotentia exceptio. Sanch. *d.* 112. *num.* 12. Castrop. *n.* 3. Quod si vero recedat ante triennium experientiæ, fortius procedat responsio, & nullius momenti sit allegatio impotentiæ; iidem AA. *ll. cit.*

QUÆSTIO CCLVI.

An & in quibus casibus dissoluto matrimonio ob impotentiam restituendi sint sibi conjuges.

1. RESp. Separatus ob frigiditatem, si de facto aliud matrimonium iniit, statim separandus, utpote jam judicatus incapax ad contrahendum matrimonium. Si vero secundum matrimonium consummavit, aut aliam fœminam fornicarie cognovit, restituendus est priori conjugi viventi; quia jam constat falso impotentiam allegasse. Quin & defuncta jam priore conjuge, ab illis secundis nuptiis separandus est; quia nisi potentem se probaverit, & Ecclesiam deceptam, stat contra illum præsumptio impotentiæ, adeoque incapacitatis contrahendi matrimonii. Ita fere Castrop. *tract.* 28. *d.* 4. *part.* 14. *§.* 12. *num.* 1. citatis Sanch. *L.* 7. *d.* 99. *a num.* 4. Gott. *cap.* 115. *a num.* 1. Ponc. *L.* 7. *c.* 64.

2. Respond. secundo: Fœmina separata ob arctitudinem absolutam, seu respectu cujuslibet viri, si ineat aliud matrimonium, restituenda priori viro. Si vero separata ob arctitudinem respectivam, seu respectu prioris viri (uti regulariter contingit) non statim separanda a secundo viro & priori reddenda (etsi non levis adsit præsumptio nullitatis secundi conjugii) sed examinandum, an secundus vir sit priori omnino similis. Sanch. *num.* 15. Gutt. *num.* 4. Castrop. *num.* 2.

3. Resp. tertio: Dissoluto matrimonio ob impotentiam a maleficio provenientem elapso triennio experientiæ aliisque probationibus a jure requisitis adhibitis, nulla facienda restitutio, dum maleficiatus aliud matrimonium iniit, illudque consummavit; cum satis commune sit aliquem esse maleficiatum respectu unius, & non respectu alterius. Castrop. *num.* 3. dicens sic videri decisum, *c. fin.* 33. *q.* 1. & apud hunc Sanch. *d.* 65. *num.* 6. referens alios.

4. Resp. quarto: Dissoluto matrimonio ob viri impotentiam in genere absque expressione causæ specialis (quod facere Judex non debet, ut Castrop. *loc. cit. num.* 4.) si vir ineat aliud matrimonium, statim separandus est, utpote absolute judicatus impotens. Mulier vero, si alteri nubat, separari non debet, priusquam investigetur causa impotentiæ, ob quam prius matrimonium dissolutum, nimirum dum causa hæc in sententia dissolutionis expressa non est, ex actis prioris processus, & ex causis, quas testes & matronæ reddiderunt, stat siquidem possessio pro secundo illo conjugio. Sanch. *l.* 7. *d.* 99. *a num.* 27. Gutt. *c.* 115. *n.* 9. Ponc. *l.* 7. *c.* 64. *n.* 4. Castrop. *num.* 4.

5. Resp. quinto: Conjuges redditi ad prius conjugium, posteriore dissoluto ob errorem deprehensum, si intra triennium habere non potuerunt copulam, omnino separari debent, & ad secundam conjugium reddendi; quia convincitur, fuisse impotentiam respectivam quoad prius matrimonium. Sanch. *num.* 34. Castrop. *num.* 6. Si autem interea, quo restaurandum prius matrimonium, alter sit professus, nulla facienda restitutio; cum per professionem dissolutum matrimonium prius ratum tantum. Secus est, si transisset ad SS. Ordines, reddendus enim tunc esset uxori id petenti; cum per sacrum ordinem non dissolvatur matrimonium. Sanch. *num.* 39. Conjux vero ante hanc professionem ad secundum matrimonium transiens separanda; quia nulliter contraxit. Sanch. Castrop. *ll. cit.*

QUÆSTIO CCLVII.

An & qualiter sententia lata pro dissolutione matrimonii transeat in rem judicatam.

1. RESp. primo: Sententia lata in causa dissolutionis matrimonii (intellige, non tantum ob impedimentum impotentiæ, sed etiam propter quodcunque aliud seu aliam causam) quantumcunque confirmata, vel etiam elapsus terminus ad appellandum, non transit in rem judicatam, sed retractanda, quoties compertum, ex errore processum esse. Covar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 8. *§.* 12. *num.* 12. Sanch. *l.* 7. *d.* 100. *a num.* 1. Castrop. *cit. §.* 12. *num.* 7. juxta quod deciditur *c. lator*, *c. consanguinei*, *c. tenor*, *de sentent. & re judicat. c. fraternitatis*, *hoc tit.* Quin & Judicem ex officio etiam invita parte teneri ad hujusmodi retractationem, cum illius sit peccata auferre & inconvenientia (qualia sunt matrimonium validum irritum declarare, & vi hujus declarationis conjuges revera non liberos reputare se liberos) evitare, docent Cardin. *in c. lator*, *n. unic.* Sanch. *num.* 3. Castrop. *n.* 7.

2. Respond. secundo: Tametsi non transeat in rem judicatam, ut non possit per viam querelæ contra eam allegari. Covar. Sanch. *ll. cit.* Castrop. *num.* 8. Suscipit tamen authoritatem rei judicatæ, ne per appellationem possit corrigi aut impugnari, quin allegans contra ipsam suæ impugnationis causam verisimilem proponat, quam Judex prius summarie non citato adversario cognoscere debet, & ea apparente verisimili, audiendus allegans, alias repellendus. AA. iidem. Porro querela nova audiri debet novo proposito libello, cum secundum priorem instantiam sententia transierit in rem judicatam, juxta *c. ex literis*, *de in integ. rest.* Proponenda autem querela coram eo Judice, qui adiri potest per simplicem querelam, qui est ipse, coram quo prius causa matrimonialis acta fuit, aut agi poterat. AA. iidem.

3. Respond. tertio: Dicta sententia transit in rem judicatam quoad expensas, in quas succumbens condemnatus fuit; quia ex firmitate hujus condemnationis nullum fovetur peccatum, quæ est ratio retractandi sententiam circa nullitatem matrimonii. Ita AA. citati. Ex quo etiam generaliter infert Castrop. quod quoties observata sententia ea consensu utriusque conjugis peccatum cessat (ut contingit, cum iis movetur lis circa valorem matrimonii ob impedimentum metus vel conditionis servilis ignoratæ) & hic, qui impedimentum allegavit, succumbit; quia pronuntiata sententia pro valore matrimonii legitimo tempore non appellavit, aut appellationem non est prosecutus; non potest contra latam sententiam insurgere, quia in hujus observatione nullum est peccatum.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ,

QUÆSTIO CCLVIII.

Quid hic intelligatur per vetitum seu interdictum Ecclesiæ, quam vim habeat, & quam obligationem pariat.

1. RESp. ad primum primo: Non venire hic nomine hujus impedimenti interdictum Ecclesiæ generaliter seu late sumptum, prout significat prohibitionem a SS. Canonibus factam, seu etiam prohibitionem quamlibet ecclesiasticam matrimonii, sic enim comprehendit impedimenta omnia etiam dirimentia (quale non est hoc) sed sumptum stricte seu specialiter pro prohibitione hic & nunc specialiter facta a superiore ecclesiastico ob causam legitimam interdicente matrimonium celebrare ad tempus, donec melius, dum forte objicitur impedimentum, de habilitate contrahentium cognoscatur, vel caveatur de scandalo inde nato, vel nascituro. Prout de hoc impedimento agitur *c. fin. §. cum autem de clandest. despons.* ubi Parochis præcipitur, ut, cum apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam contractis, interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Unde etiam patet, hoc impedimentum esse distinctum ab impedimento feriarum (de quo *qu. seq.*) quo non matrimonium, sed tantum ejus solennitas interdicitur. Neque etiam venire interdictum ecclesiasticum, quod est censura & pœna ecclesiastica, qua quis a perceptione quorundam Sacramentorum a divinis officiis & sepultura ecclesiastica arcetur, cui interdicto subjectus cum alio, vel non, vel pariter interdicto, vel etiam loco interdicto, tametsi contrahat valide, secundum omnes, licite tamen contrahere negant Suar. *d. 33. de censuris s. 1. n. 5.* Ponc. *l. 6. de matr. c. 9. n. 4.* eo quod matrimonium non sit inter Sacramenta, quorum perceptio tempore vel loco interdicto permittitur. Affirmant econtra Covar. *in c. alma mater. p. 2. §. 2. 7.* Abb. *in c. non est de sponsal.* Sanch. *l. 7. d. 8. per tot.* Henriq. *l. 13. nr. 45.* & alii, quos sequitur Krimer. *n. 1343.* ait tamen Castrop. *tr. 29. d. 5. p. 4. §. 1. n. 28.* tempore interdicti fieri posse benedictiones; quia pertinent ad ordinis exercitium, & divinorum officium; estque ratio, quod quando ob interdictum quorundam sacramentorum perceptio & officia divina prohibentur, de iis Sacramentis non exceptis intelligitur, quorum ministratio proprie actus principaliter est spiritualis, & quidem ministri ecclesiastici ad hoc specialiter a Christo destinati; non autem, quando præcipua actio est potius mere civilis, & solum accessorie Sacramentalis, ut contingit in matrimonio consistente principaliter in contractu civili a Christo gratiose assumpto ad rationem Sacramenti, cujus ministri sunt solum contrahentes, nulla deputatione Christi aut Ecclesiæ functionem suam peragentes.

2. Resp. ad primum secundo: Tale interdictum procedere potest non tantum a Papa, Episcopo & episcopalem jurisdictionem habente, sed etiam a parocho. Nav. *c. 22. n. 68.* Sanch. *l. 7. d. 6. n. 6.* Panc. *l. 6. c. 7. n. 2.* Castrop. *l. c. p. 2. §. 1. n. 1.* prout constat ex *c. fin. de cland. despons.* ubi parochis præcipitur, ut tale interdictum interponant, ubi probabilis conjectura de impedimento apparuit, in quo tamen casu licet parochi inhibere possint matrimonium, non tamen de eo impedimento cognoscere possunt. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 3.* cum transactio causarum matrimonialium pertineat ad Judicem ecclesiasticum, qui est Episcopus ejusve Vicarius similisve Prælatus exemptus, vel etiam delegatus juxta *c. accedentibus de excess. Prel. & c. 1. de consanguin. & affin.* juncta Gl. *v. potestatem* & Abb. *ibid. n. 12.*

3. Resp. ad secundum: Vi hujus interdicti a Parocho vel Episcopo lati matrimonium non irritatur, sed nec irritari potest; cum iı impedimentum dirimens matrimonio contrahendo statuere nequeant. Unde dum in pluribus textibus præcipitur separatio matrimonii, si contractum contra interdictum Ecclesiæ, non intelligitur de solutione vinculi, sed solum de separatione quo ad cohabitationem, ut patet ex *cit. c. fin.* Pari modo intelligendum, dum quandoque dicitur tale matrimonium irritandum, nempe de irritatione seu suspensione temporanea, vel si debeat intelligi de irritatione perpetua; id locum habet, ubi causa prohibendi est perpetua & probata, nempe impedimentum dirimens, quod denunciatur. Sed & factum interdictum ab ipso Papa solum impedit, non dirimit matrimonium *c. 1. & 2. h. t.* contrarium tamen sentire videtur Zypæus in *consult. can. ad h. t. consult. 1.* item Sanch. *l. 7. d. 1. n. 9.* qui tamen de hoc ibi nihil, & *d. 2. a n. 3.* sentit expresse contrarium, & refert Gonz. *ad c. 3. h. t. n. 2.* nisi forte adjunctam haberet clausulam irritantem, uti habere potest; cum Papa potestatem habeat ad justam causam inhabilitandi personam singularem ad matrimonium hic & nunc contrahendum. Castrop. *l. c. nu. 2.* Ponc. *n. 5.* Arg. *c. ad dissolvendum de spons. impub.* & *c. tua fraternitatis de sponsa duor.* Circa quod postremum notat Krimer. *a n. 2339.* ex Sanch. *l. 7. d. 2. n. 11.* Clausulam illam irritantem, quæ apponitur prohibitioni matrimonii celebrandi, vel esse solum generalem, quæ se non referat specialiter ad matrimonium (uti fieret, si Papa prohiberet matrimonium dicendo: si quid gestum contra sit, sit irritum & inane) & in hoc casu matrimonium non fore irritum; vel esse specificam, si nimirum se referat specifice ad matrimonium dicendo expresse, matrimonium gestum contra prohibitionem fore irritum: & tunc revera esse irritum. Rationem etiam hujus distinctionis dat: quod matrimonium sit res ardua & gravissimum negotium, illud irritare exigat clausulam specificam; & clausula illa generalis sufficienter sortiatur suum effectum dicendo: quod factum contra interdictum, non valeat in præjudicium alicujus; vide de hac distinctione Wiestn. *h tit. a num. 5.* Item quod adhuc dupliciter clausula irritans illa referre possit ad matrimonium, prout causa interdicti est temporalis vel perpetua, & in priore casu, dum nimirum causa non est nisi temporalis, adhuc per talem clausulam non irritari matrimonium, sed solum suspendi, saltem si ab inferiore Papa adjecta.

4. Resp. ad tertium: Interdictum hoc (intellige, etiam latum a parocho) nisi manifeste injustum videatur (quod nunquam præsumendum est) inducit obligationem sub mortali; quia materia est gravis, ut colligitur ex *c. 1. h. t.* ubi transgressores hujus prohibitionis seu interdicti in pœnam ad tempus arbitrio Judicis designandum separantur, quæ pœna, cum sit gravis, indicat culpam gravem. Sanch. *l. 7. d. 15. n. 4.* Ponc. *l. 6 c. 7. n. 8.* Coninck. *d. 30. du. 3. ad initium.* Castrop. *l. c. §. 1. n. 1.* Potest nihilominus quandoque esse hæc obligatio non nisi sub veniali. Castrop. Sanch. Ponc. *LL. cit.* V. g. si in veneratione alicujus festi prohibitio matrimonii fiat pro illo die; cum non videatur graviter lædi festi veneratio matrimonio eo die festo celebrato.

QUÆSTIO CCLIX.

Quod importet impedimentum tempus feriarum.

1. RESp. primo: Tempus hoc feriatum seu feriatum jure novo Trid. *sess. 24. de mat. c. 10.* est ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ; jure vetere quoque erat a septuagesima ad octavam Paschæ, & a diebus rogationum usque ad octavam Pentecostes. Incipit hoc tempus ad minimum a media nocte Dominicæ primæ Adventus (quamvis Sanch. *l. 7. d. 7. nu. 2.* satis probabiliter putet incipere a primis vesperis Sabbati præcedentis primam Dominicam Adventus, eo quod illo tempore incipiat officium Adventus) & durat usque ad Epiphaniam inclusive. De die cinerum certum est, quod non incipiat, nisi a medio noctis, duret autem ad Octavam Paschæ inclusive. Castrop. *l. c. n. 3.*

2. Resp. secundo: Prohibetur hoc impedimento, non ut jure antiquo, ipse etiam contractus matrimonialis etiam præmissis denunciationibus, ut expresse Laym. *l. c.* & in facie Ecclesiæ, cum hæc solennitas hodiedum sit de forma substantiali; sed solum nuptiæ solennes solennitate extrinseca, quæ consistit in benedictione nuptiarum & traductione sponsæ ad templum vel domum sponsi cum pompa signisque aliis lætitiæ, convivio publico &c. & licet benedictiones illæ solennes sint aliquid spirituale, prohibentur tamen, ne, ut inquit Castrop. Ecclesia videatur authoritate sua ansam dare conviviis aliisque festivitatibus, & ad eas concurrere tempore, quo ipsa intendit omnes fideles ad jejunium & orationem excitare. Attendenda tamen in his omnibus ad locorum consuetudinem, vi cujus alicubi plus, alibi minus permittitur quo ad illas solennitates; unde licere secluso scandalo hoc tempore celebrare ibi matrimonium, cum plurium concursu, convivio, aliisque signis lætitiæ, solasque benedictiones Ecclesiæ prohiberi, probabile censet Castrop.

Porro in hoc præcepto, etsi lato in Concilio generali, nempe Trid. dispensare posse jure ordinario Episcopum; quia id reservatum non est, credunt Sotus *in 4. d. 38. quæst. unic. ar. 3. in fine* Ponc. *l. 6. c. 7. nu. 15.* contrarium censent extra casum urgentis necessitatis, quæ tamen vix occurrere potest; Sanch. *num. 6.* Castrop. *nu. 5.* eo quod id generale sit, non posse inferiorem in lege superiosioris dispensare.

T I T U L U S XVII.

Qui filii sint legitimi.

QUÆSTIO CCLX.

Qui veniant nomine filiorum & quotuplicis generis sint.

1. RESp. ad primum: Nomen filii, quamvis in singulari numero prolatum ex sua institutione & usu communi prolem solum masculam denotet, & ad fæminam seu filiam vi interpretationis non extendatur; Argum. *l. Heronnius & l. justa ff. de V. S.* Expressum tamen in plurali numero communi usu utriusque sexus liberos comprehendit. Arg. *hujus rub. & l quisquis ff. de V. S.* Barb. *h. t. n. 15.*

2. Resp. ad secundum: Filii seu utriusque sexus liberi alii sunt legitimi; iique vel legitimi tantum; qui cum per naturam non sint filii, beneficio tamen adoptionis vel arrogationis a legibus approbatæ in numero liberorum censentur, *§. 1. Instit. & l. 1. ff. de adopt.* Vel legitimi & naturales simul, seu legitime nati, nimirum ex matrimonio vere aut putative justo, hoc est, contracto publice in facie Ecclesiæ nullo contradicente, & bona fide, seu ambobus parentibus (aut saltem uno eorum; ut cum Glos. *in c. cum inhibitio de cland. despons. v. ambo parentes.* Abb. *in c. ex tenore h. t. nu. 3.* Barbos. *ibid. num. 14.*) nullius impedimenti dirimentis ante consummationem matrimonii seu tempore conceptionis sibi consciis (etsi dein justa illa ignorantia, apparente nimirum impedimento, cessaverit ante nativitatem) procreati. Tholos. *l. 10. Syntag. c. 3 n. 6.* Mol. *tr. 2. de J. & J. d. 165. n. 1.*

3. Extenduntur hæc, ita ut adhuc legitimi sint primo procreati ex parentibus laborantibus ignorantia impedimenti, dum etiam ea est juris; licet enim ea juxta *l. 9. ff. de juris & facti ignor.* non excuset ignorantem, non tamen nocet tertio; ac proinde licet, si ea laborantes consummant matrimonium puniri possint; non tamen impedire potest, quo minus proles bona fide cum tali ignorantia concepta sit & censeatur legitima. Passerin. *de elect. cap. 25. numer. 115.* quamvis etiam ex speciali juris dispositione, Arg. nimirum, *c. cum inhibitio de cland. despons.* facta in favorem prolium, dicta ignorantia eorum legitimitati non obstet, Reiffenst. *h. t. n. 7.*

4. Secundo nati ex parentibus, qui exorto & stante horum dubio de valore matrimonii bona fide contraxerunt. Payer. *in prælato qu. 2. c. 5. n. 110.* Barb. *in c. cum inter h. t. n. 18.* cum stante hoc dubio utpote speculativo conjuges commisceri possint, ut Sanch. *de mat. l. 2. d. 4. n. 4. & 8.* Secus est, si cum tali dubio contraxerunt, non adhibita diligentia in deprehendenda veritate; quia adesset ignorantia affectata, quæ æquivalet scientiæ, Arg. *l. ne sapina ff. de jur. & facti ignor.* & *c. cot de temp. ordin. in 6.* quæque legitimitati prolis non favet *c. fin. de cland. desp.*

5. Tertio nati ex utroque etiam parente constituto in mala fide circa impedimentum aliquod non dirimens. Suar. *de censur. d. 50. s. 1. num. 8.* Peyer. *l. c. num 107* Sanch. *l. 6. d. 38. num. 1.* Qualiter tamen nati ex parentibus, qui contraxerunt mala fide sine præmissis denunciationibus non habeantur pro legitimis, non juvante illos ignorantia (quippe quæ censetur affectata) latentis impedimenti dirimentis, nempe consanguinitatis & affinitatis, juxta *cit. c. cum inhibitio,* vide apud Reiff. *h. t. n. 3.* & apud me *in foro benef. p. 1. 258.*

6. Quarto nati stante legitimo matrimonio ex uxore, quam constat esse adulteram; idque, etiamsi referant facie adulterum; nisi ex mariti absentia, infirmitate aliove impedimento aut impotentia temporali, eum tempore conceptionis copulam cum uxore non habuisse probetur. Menoch. *de arb. cas. 89.* Gutt. *qq. can. l. 7. c. 3. nu. 3.* Barb. *in c. per tuas de probat. n. 3.* Arg. *l. miles §. defuncto ff. ad leg. Jul. de adult. & l. filium ff. de iis, qui sui, vel alien. c. causam h. t.* Quin etsi uxor fateatur, partum suum esse adulterinum. Barb. *l. c.* Abb. *ibid. n. 4.* Gail. *observ. pract. l. 7. obs. 97. n. 8.* & hæc, quia præsumptio est pro prole, & nemo uni soli credere in sui præjudicium tenetur. Unde Legistæ filium reputant fatuum, qui credit matri, se esse ex adulterio natum; nisi tamen forte, ut Fago. *in c. officii de pænit. & remiss. a nu. 20* filius ita evidenter a matre informetur, ut prudenter de eo dubitare nequeat.

7. Quinto nati ex matrimonio, quod non erat Sacramentum, nempe infidelium seu non baptizatorum; modo tamen ex usu gentis fuerit verum matrimonium, sicut revera est, etiamsi ab iis contractum cum impedimento alias solo jure ecclesiastico (utpote cui subjecti non erant) dirimente, maneatque indissolubile, postquam ad fidem conversi. Abb. Jo-And. *in c. fin. h. t.* Barb. *ibid. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 17.*

8. Sexto procreati ex legitima uxore post susceptum a viro Sacrum Ordinem. Suar. *l. c. n. 4.* Peyer. *l. c. n. 112.* Majol. *de irregul. l. 1. c. 4. n. 9.* quin & post sacrum ordinem uxore invita, matrimonio non consummato. Abb. *in c. 2. de convers. conjugat.* Sayrus *de censur. l. 6. c. 10. n. 40.* Passerin. *l. c. n. 513.* quia in neutro horum casuum ordo sacer solvit matrimonium etiam ratum tantum. Barbos. *in Extravag. antiqua num. 10.* cum communi. Secus est de natis ex alterutro conjugum post matrimonium ratum tantum professo; cum per professionem solvatur matrimonium, juxta Trident. *sess. 24. c. 6. de matr.* Majol *l. c. n. 4.* Sayr. *l. c.* An vero idem dicendum de natis ex legitima uxore, postquam vir & uxor consummato matrimonio professi sunt in religione, non convenit inter AA. dum Host. *in sum. de filiis presbyt. nu. 5.* Sylv. *v. illegitimus,* & alii volunt esse simpliciter illegitimos; alii illegitimos, addendo vel subintelligendo *naturales,* seu illegitimos canonice, seu Jure Canonico; alii esse simpliciter legitimos; quia non arcentur a succedendo in bonis parentum, nec ullibi dicuntur inhabiles ad honores; alii, ut Abb. *in c. ad literas de fil. presbyt.* Sanch. *l. c. d. 38. n. 7.* Passerin. *l. c. n. 186.* illegitimos ad instar seu secundum quid, eo quod irregulares sint & promoveri nequeant ad ordines & beneficia, æque ac simpliciter irregulares. Vide me in *Foro benef. p. 1. qu. 259.*

9 Septimo pro legitimis habendi expositi, quorum parentes ignorantur secundum sententiam valde probabilem & communiorem, quam sectantur Menoch *de arb. cas. 369. per tot.* Ponc. *de mat. l. 11. c. 9. num. 4.* Salas *1. 2. tr. 8. §. unic. s. 14. n. 246.* Grat. *discept. forens c. 35. a num. 31.* apud Castrop. *tr. 13. d. 4. p. 1. §. 1. num. 8.* item Mascard. *de prob. concl. 799.* Gonz. *h. 1. n. 8.* & alii, hac nixi ratione, quod plures eorum nati ex legitimo matrimonio exponantur a parentibus ob inopiam, quia eos alere non possunt; qui, ne patiantur detrimentum habendo illos pro illegitimis, adeoque semovendo a dignitatibus, ordinibus, beneficiis &c. omnes expositos judicandos esse legitimos, præsertim cum in dubio facienda interpretatio & præsumptio in favorem prolis, juxta *c. ex tenore h. t.* Unde bene ait Castrop. hoc ipsum, quod quandoque etiam legitimi exponantur, ne illis præjudicetur, sufficere, ut omnibus expositiis a jure concedatur legitimitas. Sed neque quo ad præsumptionem reputandos illegitimos; eo quod licet frequentius contingat, expositos hos natos ex solutis, & non ex legitimis conjugibus; quia tamen hæc præsumptio sumpta ex frequentius contingentibus expositis infamiam irrogat, & in parentibus culpam supponis, cedit præsumptioni alteri, quod sint ex legitimo matrimonio, esto id rarius contingat; quia dum duæ præsumptiones concurrunt in eodem actu, semper prævalere debet ea quæ delictum excludit, favoremque continet. Menoch. *cas. 89. n. 23.* Castrop. *l. c.* Atque ita dissolvitur fundamentum, nimirum quod præsumptio semper desumenda ex his, quæ frequentius contingunt, quo nituntur adversarii sentientes expositos censendos simpliciter illegitimos. Covar. *clem. furiosus in pr. 1. p. n. 9.* Vasq. *1. 2. d. 66. c. 8. n. 48.* Rebell. *de oblig. Just. 2. p. l. 1. qu. 2. n. 15.* Prateius *in prax episc. 2. p. c. 1. n. 27.* Garc. *l. c. nu. 8. & 10.* & alii apud illos, etsi testentur suam sententiam esse in praxi receptam.

10. Octavo accensendi adhuc legitimis, qui præveniendo ordinarium nascendi tempus, quod est novem mensium a conceptione, nati sunt ad initium septimi mensis post initum matrimonium, ut constat ex *l. septimo de stat. hom.* & *l. intestato §. 12. ff. de suis & legit. hæred.* Item qui nati sunt decimo mense post mortem mariti; Arg. *cit. l. intestato* & *l. Gallus ff. de lib. & posthum.* etiam decimo mense completo, & ad initium mensis undecimi secundo vel tertio die; ut plures Jurisconsulti & Medici apud Zacchiam *qq. medico-legal. l. 1. tit. 2. qu. 6. a n. 13.* quin & circa medium mensis unde-

undecimi; ut Haunold. *de J. & J. tr. 4. n.* 139. Engels *h. tit. num. 7.* præsertim si uxor de incontinentia non suspecta, maritusque bene sanus, ad copulam nulla ratione impotens repente mortuus. Neque his obstant citatæ *LL. & Novel.* 39. 2. dum natum mense decimo completo illegitimum pronunciant; quia non ita stricte excludunt mensis undecimi dictum initium, sed intelligendæ de eo aliquo usque progresso. Reiffenst. *h. t. nu.* 22. Wiestn. *nu.* 28. & quidem, ut idem ex Haunold. adultiore. Imo, cum mulieres quædam ob specialem naturæ dispositionem tardius pariant, contingere posse, ut post mensem duodecimum partus legitimus nascatur, & pro tali habendus, accedente bona fama mulieris & medicorum judicio; asserit Reiffenst. *h. t. n.* 23. remittens ad Godfred. *in notis ad cit. Novel.* 39. *c.* 2. *lit. c.* adducentem plura, quæ pro praxi ad propositum servire possunt.

11. Alii utriusque sexus liberi illegitimi sunt, nimirum in genere omnes, qui extra matrimonium ex copula fornicaria nati. Horum alii sunt naturales, nimirum nati ex solutis tempore conceptionis vel nativitatis, vel inter hanc & illam medio tempore habilibus & contrahendum valide inter se matrimonium. Et quidem Jure Canonico nullo facto discrimine inter dictos eorum parentes; ut Glos. *in c. innotuit. de elect. v. conjugata.* Abb. *ibid. n.* 17. Mol. *de J. & J. tr. .., d.* 165. *n.* 4. & 6. Wiestn. *h. t. n.* 4. dum juxta Jus civile *l.* 1. *ff. de concubin. Novel.* 89. naturales dicuntur ii solum, qui ex soluto & concubina unica loco uxoris domi detenta nati. Porro illegitimorum naturalium aliqui dicuntur Manzeres, nimirum qui ex scorto nati sunt, & vulgo quæsiti dicuntur, cum quibus difficilius dispensatur, quam cum aliis naturalibus. De quo vide me *in foro benef. p. 3. qu.* 405. Illegitimorum alii sunt spurii, nati nimirum e parentibus, qui dicto toto tempore inhabiles erant ob impedimentum dirimens ad contrahendum valide matrimonium; idque etiam Jure civili, etsi nati ex alia quam concubina. Mol. *l. c. n.* 7. Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 1. Wiestn. *h. t. n.* 4. *in fine.* Spuriorum alii sunt & dicuntur adulterini, qui ex utroque vel uno conjugato legitime cum alia procreati, *c. nemo* 32. *qu.* 4. Alii sacrilegi, qui a religioso vel religiosa, aut clerico in sacris constituto suscepti. Barb. Gonz. *in c. quia de bigam. nu.* 3. contra Felin. *in c. at si clerici de judiciis n.* 14. Decium *ibid. n.* 37. aliosque quatenus Arg. *c. presbyter. d.* 81. & *c. quia circa fin.* sentiunt, tales, si matrem haberent solutam, accensendos natis ex simplice fornicatione. Tales adhuc spurios sacrilegos esse natos ex ligatis matrimonio, postquam eorum unus de consensu alterius emisit professionem, utpote natos ex concubitu sacrilego, alias dirimente matrimonium necdum contractum; docent Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 6. *q.* 8. *circa finem* Suar. *Tom.* 5. *de relig. d.* 50. *s.* 2. *n.* 5. Sanch. *de mat. l.* 9. *d.* 38. *n.* 7. Castrop. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 1. §. 1. *n.* 4. Et quales econtra non esse, & ne quidem spurios eos, qui nati ex legitimis conjugibus, obstrictis tamen eorum uno vel utroque voto simplici castitatis juxta probabiliorem contra Sarmient. *l.* 1. *selectar. interpret.* tradit Castrop. *l. c. nu.* 3. cum Mul. *l. c. d.* 167. *post* 4. *concl.* Gutt. *de mat. c.* 1. *n.* 22. & 29. eo quod licet nati ex concubitu sacrilego, utpote contra votum a parentibus emissum; non obstante tamen tali voto, habilibus ad contrahendum matrimonium, quod sufficit, ut censeantur non spurii, juxta *c. tanta h. tit.* cum votum tale simplex non dirimat matrimonium contractum, nec valide contrahendum impediat. Quinimo nequidem illegitimos esse contra Gl. *in c. ministri d.* 81. & Abb. *in c. carissimus de convers. conjug.* tuetur Castrop. *n.* 5. inclinante in idem Azor. *l. c.* si nati ex parentibus obstrictis tali voto de consensu utriusque, dum, ut dictum, tale votum non impediat valide contrahi matrimonium, etsi impediat contrahi illud licite, quæ eadem ratio, cum videatur valere etiam, dum conjuges sine consensu alterius tale votum emiserunt, non capio, cur Castrop. *n.* 2. præscindendo a tali consensu dicat esse illegitimos. De cætero neque spurium, sed pure illegitimum esse eum, qui natus est ante matrimonium ex matre, quæ jam desponsata sub verbis de futuro ob eandem rationem, quia adhuc valide contrahere poterat cum alio, bene dicit Castrop. *n.* 3. cum Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 1. *num.* 17. Sanch. *de mat. d.* 9. *n.* 8. Mol. *l. c. nu.* 177. Gutt. *l. c.* Pont. &c. Alii spurii sunt incestuosi, qui ex parentibus cognatione, affinitate, & vel maxime consanguinitate in grado prohibito sibi conjunctis procreati. Farin. *pr. crim qu.* 146. *a n.* 40. Gonz. *in c.* 1. *h. t. nu.* 7. juxta §. *inter eos. Inst. de nupt.* Alii nefarii, qui nati ex patris & filiæ, aliorumque in linea recta ascendentium & descendentium. Tholos. *l. c. cap.* 3. *nu.* 30. Farin. *n.* 60. Gonz. *l. c.* apud Wiestn. *h.* 1. *nu.* 5. juxta §. *ergo. Inst. de nupt.* & *Auth. ex complexu C. de incest. & inutil. nupt.*

QUÆSTIO CCLXI.

Ad quæ munia Ecclesiastica promoveri possint illegitimi sæculares.

RESp. Ad nulla, neque ad ordines etiam minores, etsi illegitimitas sit occulta. Vide me *in foro benef. p.* 1. *q.* 262.

QUÆSTIO CCLXII.

Ad quæ promoveri nequeant illegitimi regulares.

RESp. Ad hoc satis exacte responsum a me *l. c. qu.* 263. uti & *qu.* 264. ad quæstion. illam; ad quæ sine dispensatione promoveri possint illegitimi regulares; item *qu.* 272. & *qu.* 293. qualiter a muniis ecclesiasticis specialiter arceantur illegitimi filii sacerdotum aliorumque clericorum; & *q.* 281. & *seq.* qualiter ministrare & habere beneficium in ecclesia, in qua pater eorum habet, aut habuit beneficium & *qu.* 280. qualiter vice versa ecclesia, in qua filius illegitimus est beneficiatus, pater illius habere possit beneficium.

QUÆSTIO CCLXIII.

Quid sit legitimatio, qualiter seu quotupliciter fiat & in quo differat a dispensatione.

1. RESp. ad primum; Definitur ex communi sententia e Covar. *loc. cit. cap.* 8. §. 8. *numer.* 1. Molin. *loc. cit. d.* 171. *in pr.* Castropal. *loc. cit.* §. 2. *numer.* 1. quod sit restitutio natalium quo ad ea, quæ jure positivo illegitimis denegata; cum enim tam Jure civili quam ecclesiastico, negentur illegitimis concessa legitimis, si eis restituantur, seu jus & potestas, ea obtinendi concedatur, censentur legitimi.

2. Resp. ad secundum: Ea illis restitui possunt dupliciter, nimirum vel vi subsequentis matrimonii legitimi inter eorum parentes; vel rescripto seu indulgentia Principis. Unde duplex est legitimatio; alia nimirum de jure, alia a Principe; de utraque *qq. sequent.*

3. Resp. ad tertium: Distinguitur legitimatio a dispensatione, quod illegitimum habilitet universaliter ad omnia jura, a quibus utroque jure repellitur; dispensatio vero solum ad quædam. Azor. *l. c. cap.* 14. *q.* 1. Tusch. &c. quodque legitimatio sit late interpretanda, dispensatio stricte. Passerio. *de elect. c.* 25. *n.* 306.

QUÆSTIO CCLXIV.

An & qualiter illegitimi legitimentur per subsequens matrimonium.

1. RESp. primo: Legitimari illegitimos vi subsequentis matrimonii inter eorum parentes, non tantum de Jure Canonico, sed etiam civili, certum est apud omnes. Et quidem ita, ut fictione juris retracto hoc matrimonio, ad tempus, quo illegitimi geniti, ut ait Castrop. *l. c.* §. *n. nu.* 2. hi post contractum matrimonium habeantur legitimi, ac si stante matrimonio geniti, ut expresse deciditur, *c. tanta h. t.* matrimonio habente hanc vim, non a se seu natura sua, sed e jure positivo sic disponente in favorem prolis. Castrop. *l. c.* cum Covar. *l. c.* §. 8. *num.* 18. quocunque tempore, etiam in suprema senectute, quin & in articulo mortis illud contrahatur; cum etsi eo tempore generare nequeant, retineant tamen, quantum est per se, potentiam habendi copulam, quod sufficit ad verum matrimonium contrahendum. Ac ita tradunt Covar. *l. c.* §. 2. *nu.* 10. Azor. *l. c. cap.* 14. *n.* 11. Mul. *de primog. l.* 2. *c.* 5. *nu.* 25. Mol. *de J. & J. l. c. d.* 171. *vers. dubium praterea* Pont. *l.* 11. *c.* 1. §. 1. *nu.* 8. quos citat & sequitur Castrop. *l. c. nu.* 4. Item hanc vim habet matrimonium, etiamsi inter copulam fornicariam, ex qua susceptus filius illegitimus, & matrimonium cum matre ejus intercesserint alia matrimonia, cum aliis Covar. Castrop. *LL. cit.* Barb. *in c. literas de fil. presbyt. num.* 5. Garc. *loc. mox citand. n.* 28. Suar. *l. c. f.* 5. *n.* 10. Azor. *l. c. cap.* 3. *qu.* 21. Sayr. *l. c. cap.* 10. *nu.* 40. Vim quoque habet legitimandi nepotem, filio naturali illegitimo mortuo; eo quod vim habeat legitimandi omnes descendentes ante matrimonium genitus; juxta *c. tanta h. t.* & legitimatio nepotum non dependet a legitimatione filiorum, sed his deficientibus, derivatur ad nepotes, cum non fiunt

filiorum, sed matrimonii fiat; atque ita legitimatio filii non est fundamentum legitimationis nepotis, sed hæc ex ipso matrimonio avi cum concubina sua immediate ad ejus filium, si is adhuc vivat, & hoc mortuo, ad nepotem derivatur; ita docent Covar. *l. c.* §. 2. *nu.* 19. Azor. *cit. c.* 13. *qu.* 13. Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 1. *n.* 9. Mol. *de J. & J. l. c. d.* 172. *n.* 10. Castrop. *l. c. n.* 12. *& seq.*

2. Porro quo minus hanc vim legitimandi habeat matrimonium, non impedit, quod in eo non interveniant instrumenta dotalia, hoc est, scriptura dotis, aut donationes propter nuptias aliæve solennitates nuptiales; cum ab his non dependeat valor matrimonii. Idque etiam spectato Jure Cæsareo, a quo si specialiter postulentur dicta instrumenta, id non fit, quia sine illis stare nequeat tale matrimonium, sed quia raro sine illis constare poterat, illud contractum esse, quin potius simulatio continuati concubinatus dissimulatur; ita Castrop. *l. c. num.* 8. Sed neque vim illam impedit contradictio parentum; cum sicut eorum consensus non requiritur ad valorem matrimonii, ita nec ad legitimationem per illud faciendam etiam juxta Jus civile, utpote in quo nullibi super hac requisitione cautum est. Siquidem dum *in Auth. quib. mod. natural. fiant sui §. si vero it.*, dicitur fieri non posse legitimum, si parentes contradicant; id intelligendum de legitimatione, quæ fit per rescriptum Principis, & non de ea, quæ fit per sequens matrimonium, & ita Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 13. *qu.* 12. Covar. *cit. c.* 8. §. 2. *nu.* 12. Mol. *Tom.* 1. *de Just. tr.* 2. *d.* 172. *num.* 5. Sayr. *l. c. cap.* 10. Castrop. *num.* 9. Neque eam impedit contradictio ipsorum filiorum; cum hic favor annexus sit matrimonio, cui nemo renunciare potest. Idque indubitatum Jure canonico. Molin. Azor. *LL. cit.* Covar. *n.* 16. Castrop. *n.* 10. Juri vero civili, quo hæc contradictio filiorum impedit hanc legitimationem, ut constat ex *cit. auth. §. generaliter*, in materia legitimationis per matrimonium prævalere debet Jus Canonicum. Neque denique hæc legitimatio revocari potest ingratitudine filiorum, sicut ob eam revocatur legitimatio facta rescripto Principis, utpote quæ libertati comparatur. Covar. *n.* 14. Azor. *qu.* 14. *in fine* Castrop. *n.* 11.

3. Resp. secundo: Legitimatio vi sequentis matrimonii fit in ordine ad omnia, quæ filiis legitime natis de jure competunt. Et sic in specie hoc modo legitimati habiles sunt ad omnes ordines & beneficia, etiam Episcopatum; Azor. *l. c. qu.* 14. Covar. *l. c. nu* 25. Mol. *d.* 172. *nu.* 6. Pont. *l. c. cap.* 11. *nu.* 5. Castrop. *l. c. n.* 15. non tamen ad Cardinalatum; ea speciali Sixti V. dispositione, quæ incipit: *postquam verus*. Reiffenst. *h. t. num.* 44. vide me *in foro benef. p.* 1. *qu.* 262. Ita etiam, ut illegitimus, qui ante illud matrimonium ordines suscepit, eo contracto illos exercere libere ac licite valeat, utpote sublata irregularitate, quæ ea illegitimitate pendebat. Pont. & Castrop. &c. cum Sayr. *de irreg. l.* 6. *c.* 10. *n.* 3. Item ad succedendum patri in emphyteusi ecclesiastica, feudo, hæreditate, majoratu, fideicommisso & similibus, in nobilitate ipsisque Principatibus & regnis; quia non tantum per fictionem juris pro legitimis habentur, sed revera sunt, etsi *in c. tanta* adhibeatur *vi habeantur*, cum verbum hoc adhibitum a potente legitimare indicet non fictionem, sed veritatem, ut Covar. *num.* 26. Castrop. Azor. *LL. cit.* Et ita quidem, ut successione præferantur tanquam majores natu filiis aliis ex matrimonio illo aut alio posteriore legitime natis, secundum Covar. Pont. & alios, quorum sententiam etsi probabilem dicat Castrop. *nu.* 17. contrarium tamen (pro quo citat Tiraq. *de primog. qu.* 34. *nu.* 5. & 43. Molin. *de primog. l.* 3. *c.* 2. *nu.* 7. Mol. *de just. d.* 172. *vers. merito*. Azor. *l. c. qu.* 15.) in judicando & consulendo tenendam ait ex ea ratione, quod filiis natu minoribus jam jus illud prælationis absolute quæsitum, antequam filius ille illegitimus legitimaretur; quod jus iis auferri nequit per subsequens illud matrimonium, quæ ratio cum solum locum habeat respectu filiorum natu minorum genitorum ex matrimonio aliquo præcedente matrimonium illud cum concubina, non vero respectu natorum ex hoc ipso matrimonio cum concubina, quippe qui non prius sunt legitimati quam illegitimus per illud legitimatus, huic præ illis, utpote natu majori, cui jam non amplius illegitimitas, aut legitimitas posterius obtenta, competit jus prælationis in dictis successionibus. De cætero extenditur assertio, quod vi talis legitimationis legitimati admitti debeant ad successionem in hæreditate, feudo, majoratu &c. ita ut procedat, etiamsi hæreditas &c. expresse delata filiis natis ex legitimo matrimonio; eo quod, cum matrimonium illud subsequens fictione juris retrahatur ad tempus conceptionis filiorum, hi adhuc dici possint nati ex legitimo matrimonio; ita Covar. *l. c. num.* 30. Pont. *l. c. nu.* 10. Mol. *d.* 172. *n.* 8. Mol. *de primog. l. c. n* 10 Castrop. *cit. nu.* 15. Arg. *c. cum in cunctis de elect.* & *c. innotuit. eod.* juncta Gl. communiter recepta; in quorum primo dicitur, debere Episcopum eligi natum ex legitimo matrimonio, in altero admittitur legitimatus per sequens matrimonium. Item vi talis legitimationis excludunt substitutum in majoratu (idem est de fideicommisso similibusque) patri sub ea conditione, si is sine liberis legitimis decedat; quia superstite taliter legitimato, non decedit sine filiis legitimis. Castrop. *cit. n.* 15. & alii. In eo vero, num id quoque procedat, excludaturque substitutus in eo caso, quo matrimonium contrahitur cum concubina in odium substituti, non conveniunt AA. negant Mol. *de primog. l.* 2. *c.* 5. *n.* 27. Gomez. & alii citati a Castrop. *n.* 19. ex ea ratione, quod justum non sit, ut taliter contrahens ex iniquitate & malitia sua commodum referat, & substituto inferat damnum. Affirmat econtra Castrop. *n.* 20. cum citatis a se. Mol. *cit. d.* 172. *vers. contrariam*. Sarmient. *l.* 1. *selectar. c.* 6. Menchaca *l.* 2. *controv. c.* 41. *nu.* 5. Pont. *l. c. c.* 11. *n.* 11. ex ea ratione, quod sic contrahens peccet ob motivum & finem, quem sibi statuit, non vero contrahendo matrimonium; legitimatio autem prolis proveniat ex matrimonio, & non ex fine quo contrahitur. Sed & exclusio substituti proveniat ex matrimonio contracto ab utente jure suo, & non ex malitia contrahentis, adeoque is dici nequeat ex malitia sua referre commodum, aut substituto innocenti inferre damnum. Idem est de revocatione donationis factæ a parentibus etiam omnium bonorum; nimirum, quod sicut illa revocatur nativitate filiorum legitimorum, ita etiam revocetur legitimatione filiorum illegitimorum. Castrop. *n.* 2.

4 Resp. tertio: Ut tamen vim hanc legitimandi habeat matrimonium, requiruntur sequentia. Primo ut sit verum & validum sine impedimento dirimente contractum; sufficere tamen matrimonium præsumptum, si ab Ecclesia validum reputetur & approbetur; eo quod cum solennitatibus ab ea præscriptis & bona fide contrahentium contractum fuerit, contra Abb. *in c. tanta h. tit. num.* 9. Sarmient. *l.* 5. *selectar. interp. c.* 6. *num.* 2. nitens hac ratione, quod verba legis, quibus vis illa tribuitur matrimonio simpliciter accipienda in senso proprio, adeoque non extendenda ad matrimonium non reipsa, sed quod præsumptive tantum tale est, probabilius & communius docent Molin. *de primog. l.* 3. *cap.* 1. *numer.* 12. Suar. *de irregul. d.* 50. *s.* 1. *numer.* 11. Pont. *loc. cit.* §. 2. *num.* 13. Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 30. Castropal. *loc. cit.* §. 2. *num.* 3. Argum. *c. tanta c. quod nobis c. ex tenore h. tit.* eo quod si, ut ibi dicitur, tale matrimonium contractum cum impedimento dirimente bona fide præmissis & servatis præscriptis solennitatibus, adeoque præsumptum tantum habeat vim legitimandi prolem eo stante susceptam, habeat quoque vim legitimandi illam generatam ante illud; cum, ut dictum, in ordine ad legitimationem prolis matrimonium retrahatur fictione juris ad tempus, quo filii generantur; ita Castrop. Requiritur secundo ad legitimationem per matrimonium subsequens, ut illegitimus progenitus non sit a parentibus, vel saltem eorum uno obstrictis impedimento, adeoque inhabilibus ad valide contrahendum, pro ut deciditur *in c. tanta*, cujus etiam rationem hanc reddit Castropal. *loc. cit.* §. 3. *num.* 1. quod matrimonium subsequens catenus prolem legitimam reddat, quatenus jus fingit in hoc casu subsequentis matrimonii illud contractum esse tempore, quo proles suscepta; id vero fingere nequit, si eo tempore parentes impediti impedimento dirimente; quia pro eo tempore stante eo impedimento impossibile erat eos contrahere matrimonium validum; idemque adhuc procedere, etsi parentes caruerint eo tempore illo impedimento, adeoque valide contrahere potuerint tempore nativitatis filii, censent Butr. *in c. tanta num.* 17. Abb. *ibidem* (ubi dicit, id etiam verum esse, licet impedimentum non sit perpetuum, sed in potestate habentium copulam, perque eos tollibile) Filiuc. *tr.* 9. *numer.* 131. Menoch. *cons.* 60. *numer.* 12. Passerin. *de elect. cap.* 25. *numer.* 134. Garc. *de benef. part.* 7. *c.* 2. *num.* 36. quos secutus sum *in foro benef. part.* 1. *quæst.* 260. *numer.* 2. contrarium, nempe conceptum ab inhabilibus, natum vero ex jam habilibus, reddi legitimum per sequens matrimonium, æque probabiliter & forte probabilius tenentibus Covar. *loc. cit.* §. 2. *numer.* 2. Fachin. *l.* 3. *controv. cap.* 50. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 7. *numer.* 19. Sayr. *loc. cit. n.* 19. Azor. *loc. cit. quæst.* 8. Molin. *loc. cit. numer.* 2. Gutt. *de mat. c.* 72. *a num.* 6. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *cit.* §. 3. *num.* 5. Arg. desumpto ex *c. tanta*, dum ibi non solum spectatur conceptio, sed etiam nativitas ex parentibus impeditis, ut filius subsequente matrimonio legitimari nequeat, sed spurius remaneat. Item Arg. sumpto ex *l.* 1. *ff. de stat. hom.* ubi dicitur: ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt, licet ancilla conceperit. Idem nimirum, quod legitimatur quo-

quoque sequente matrimonio, qui conceptus & natus parentibus utroque illo tempore inhabilibus, modo hi medio aliquo tempore, quo filius fuit in ventre, fuerint habiles, tenent Barbos. *ad c. tanta h. tit. num.* 31. Pont. *l.* 11. *cap.* 3. *num.* 9. Castrop. *num.* 7. habentes pro se jus civile, *l. super. de nat. liber.* & *Auth. quib. mod. nat. effic. sui*, quos secutus fui *in foro benef. loc. cit.* Pari modo non legitimari per sequens matrimonium conceptos & natos ab inhabilibus, seu obstrictis impedimento dirimente, etsi juste hoc impedimentum ignoraverint, tradunt Covar. *c.* 6. §. 2. *a num.* 17. Mol. *cit. d.* 172. *in med.* Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 2. *num.* 32. Garc. *loc. cit. num.* 33. Sarmient. *l.* 1. *select. cap.* 6. Fachin. *loc. cit. c.* 35. Gutt. *qq. pract. l.* 1. *qu.* 105. *num.* 9. Argum. *c. tanta* ubi nulla facta distinctione inter bonam & malam fidem, dicitur non legitimari filium conceptum ex aliena vivente propria uxore. Contrariam tamen sententiam matrimonio & proli favorabiliorem sectantur cum Glos. *in c. tanta v. aliam* Surd. *l.* 2. *cons.* 303. Gratian. *discep. for. c.* 83. *num.* 22. Pont. *loc. cit. c.* 2. *num.* 8. Castrop. *num.* 9. aliique apud Fachin. & Covar. *LL. cit.* ex ea ratione, quod posita ignorantia invincibili impedimenti, copula, ex qua conceptus est filius, solum habeat speciem intemperantiæ, seu simplicis fornicationis, & non, v. gr. incestus, adulterii, sacrilegii, adeoque ratione illius filius non sit spurius, & consequenter legitimari possit per sequens matrimonium. Neque obstat *in cit. c. tanta* non fieri mentionem malæ fidei; quia id opus non erat; cum mala fides in tali copula præsumatur, nisi contrarium probetur; ita Castrop. Atque ex his jam a contrario deducitur, legitimari per sequens matrimonium posse a parentibus conceptos, inter quos eo tempore fuerunt impedimenta impedientia tantum. Barbos. *in c. tanta num.* 31. Less. *de just. l.* 2. 19. Item a patre constituto in minoribus & habente beneficium; quippe per hoc ne quidem obstricto impedimento egente dispensatione; cum in ejus potestate sit privare se beneficio & privilegio illis ordinibus annexo. Fachin. *loc. cit. cap.* 32. Covar. *loc. cit. nu* 5. Barbos. *loc. cit. numer.* 33. Pont. *c.* 2. *num.* 5. Castropal. §. 3. *numer.* 2. Idem est de procreatis ex patre novitio, & matre novitia. Item de susceptis a parentibus obstrictis voto simplici castitatis; uti & ab iis, qui sponsalia cum alia contraxerant, utpote non impeditis per hoc ad valide contrahendum. Pont. *num.* 6. Castropal. *loc. cit.* Neque dicta legitimatio impeditur per hoc, quod matrimonium illud sequens sit clandestinum, modo postea sit ab Ecclesia approbatum, aut denuo in facie Ecclesiæ contractum in locis, ubi Trident. receptum, ubi alias erat invalidum; de quo vide me *in foro benef. part.* 1. *quæst.* 60. *numer.* 5. ubi quoque *numer.* 3. qualiter adhuc legitimari possint per sequens matrimonium suscepti ex copula fornicaria habita cum impedimento dirimente, nimirum Papa dispensante in jam contracto, seu illud ante jam contractum ratihabendo.

QUÆSTIO CCLXV.

Legitimatio an & qualiter fieri possit & debeat per rescriptum Principis.

1. RESP. Ad primum: Legitimationem hanc (quæ est actus gratiosus, quo ex indulgentia Principis illegitimi redduntur legitimi) fieri posse a Principe, certum est apud omnes. Sicut enim legibus a Principe latis certæ quædam personæ reddi possunt illegitimæ seu inhabiles ad successiones, officia, munera & dignitates, sic quoque eædem ejus beneficio reddi ad ea habiles, seu consequi legitime natorum jura, ut constat ex utroque jure, *c. per venerabilem h. t. Novel.* 89. *c.* 9.

2. Resp. Ad secundum: ut legitimatio hæc sit valida, requiritur primo, ut legitimandi parentibus impossibile saltem moraliter sit matrimonium, quia v. gr. unus eorum jam decessit, vel longe absens est, aut se ad contrahendum illud fecit inhabilem. Princeps enim legitimationem suam subrogat legitimationi obtinendæ per matrimonium, adeoque eradit, hoc esse impossibile; ita Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 8. §... *nu.* 5. Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 3. *num.* 39. Mol. *l. c. d.* 173. *versu si is*, & alii, quos citat & sequitur Castrop. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 7. *nu.* 1.

3. Requiritur secundo causa legitimandi (intellige specialis præter generalem, quæ consistere videtur in dicta matrimonii impossibilitate) eo quod Princeps legitimationem concedendo jura legesque a se statutas relaxet, aliisque præjudicet, quod sine causa non potest saltem licite; ita cum Mol. *de primog. cit. c.* 3. *per tot.* referente plures alios Castrop. *l. c. nu.* 17. An vero valida sit talis legitimatio sine causa, pendet ab ea quæstione; num Princeps valide sine causa dispensare possit in propriis legibus; quod tanquam probabilius se tenuisse, *in tr. de LL. d. ult.* ait Castropal.

4. Requiritur tertio spectata juris dispositione ad legitimationem maxime faciendam a Principe sæculari consensus non solum parentum, sed & legitimandi, prout expresse traditur Auth. *quib. modis natur. effic. sui*, ubi hæc assignatur ratio: quod per legitimationem legitimatus transeat ad patriam potestatem, ac proinde ususfructus bonorum illius, & administratio pertineat ad patrem, adeoque inconveniens sit, ut legitimatio renuente patre aut filio concedatur a Principe; ita Castrop. *loc. cit.* §. 6. *num.* 13. dicens esse communem DD. id ipsum tamen sic limitans, ut consensus ille patris non requiratur, dum limitatio esset diminuta respiciens personam legitimandam tantum ad honores & officia Reipublicæ, & non ad succedendum patri in bonis, eo quod patris tunc non intersit, sufficere quoque consensum legitimandi præsumptum etiam non ex actu aliquo, ut Mol. *l. c. vers. ut legitimatio*, sed ex sola scientia legitimationis & silentio, seu non contradictione, ut Castrop. ex ea ratione, quod scientia legitimationis, & cessatio contradictionis sit virtualis approbatio legitimationis. Arg. *l.* 2. §. *ult. ff. soluto matrim.* Et hæc de hac necessitate consensus ex juris dispositione, ut dictum, cum Princeps utendo plenitudine suæ potestatis possit quemlibet invitum legitimare; quia cum conditiones legitimationi jure humano sint statutæ, potest Princeps eas statuens remittere. Castropal. *cit. num.* 13. *in fine* citatis Tiraq. *de nobilit. c.* 6. *num.* 2. Ant. Gabr. *tit. de legit. concl. in fine*, unde jam nisi Princeps ex plenitudine potestatis concedat infanti legitimationem, hæc ei concessa nullum habebit effectum, antequam infans libere consentiat; uti & collata absenti, priusquam is eam ratam habeat.

5. Quarto requiritur, ut in impetratione legitimationis a legitimando fiat mentio eorum, quibus per legitimationem creari potest præjudicium, ac ita aliorum legitimorum, si quos forte habet pater; quia spectata ordinaria potestate, Princeps non censetur velle concedere legitimationem in præjudicium legitimorum; ita AA. passim teste Castrop. *num.* 20. juxta *Auth. quib. mod. natur. effic. sui* §. *si quis ergo*. Neque ab hac legitimorum mentione facienda legitimandum excusat parentum consensus; cum hic non impediat legitimorum præjudicium; ut Covar. *cit. c.* 8. §. 9. *nu.* 7. Azor. *cit. c.* 14. *q.* 11. Castrop. *l. c.* Excusare tamen ab ea consensum ipsorum legitimorum; quia tunc cessaret eorum præjudicium, censet Pont. *l. c. c.* 7. *n.* 3. quod tamen non carere difficultate, asserit Castrop. eo quod hæc mentio expostuletur, non tantum ne legitimis fiat præjudicium, sed etiam, ut intelligat Princeps, non esse necessarium, naturales subrogare legitimis. Censet quoque cum Mol. *cit. disp.* 173. *vers. si legitimatio* in regnis Hispaniæ necessario faciendam mentionem avi, ubi desunt filii legitimi; quippe illi, cum succedat patri carenti filiis, fit præjudicium per legitimationem; non tamen in illo defectu legitimorum faciendam esse mentionem cognatorum & consanguineorum succedentium ab intestato; cum eis non fiat præjudicium, dum non succedant patri, nisi pater aliter non disposuerit de bonis suis, uti potest, docet cum Covarruv. *loc. cit.* & Tiraquel. *in L. si unquam c. de revocan. donat. vers. susceperit num.* 5. Castropal. *num.* 5. Verum patre mortuo sine alia dispositione, legitimandus necesse habet facere mentionem hæredum venientium ab intestato, quales sunt cognati & consanguinei, quia Princeps censendus est, non velle iis in jure quæsito præjudicare, nisi forte patri in morte expostulanti legitimationem filii annuerit. Mol. *disp.* 174. Azor. *cit. cap.* 14. *quæst.* 10. Pont. *cit. cap.* 7. *num.* 4. Facienda quoque est mentio substituti in hæreditate patris, casu quo is sine liberis legitimis decesserit; cum & ipse jus habeat in hoc eventu succedendi. Castropal. *numer.* 4. Covar. *cit. cap.* 8. §. 9. *numer.* 8. citatis aliis. Verum non solum exprimendi in impetratione legitimitatis, sed & citandi omnes & soli illi, qui jus ad hæreditatem habent, non impedibili & libera voluntate patris. Castrop. *num.* 12. remittens ad Mol. *de primog. L.* 3. *cap.* 3. *num.* 10. & Covar. *loc. cit.* §. 9. *num.* 8. eo quod licet filii legitimi, cognati, substitutus contradicturi præsumantur, eorum tamen contradictio deserviat ad examinandum, an adsit causa legitima concedendi legitimationem, ideoque citandi. Si vero iis non citatis, expressis tamen Principi, is absolute concedat legitimationem, hæc valebit; quia potestatem habet illis præjudicandi in jure, quod habent ad succedendum, utpote quod habent ex dispositione legis ab eo latæ; ita Castrop. cum Mol. *tract.* 2. *de just. disp.* 174. *concl.* 2. & 3.

6. Quinto requiritur ad valorem legitimationis, ut in supplice legitimationis exprimatur qualitas illegitimationis non solum in genere, sed & in specie; cum pro diversa ejus qualitate reddatur facilior vel difficilior illius concessio, & ut Princeps sciat, quam gratiam præstet. Sic exprimendum, an sit naturalis, an spurius; si spurius, an natus ex incestu, & quo, an commisso cum matre, sorore, nuru, uxore fratris. An ex sacrilego concubitu habito cum Sacerdote, religiosa vel utroque simul. Abb. *in c. venerabilem de elect. n.* 23. Mol. *d.* 173. *nu.* 28. Fachin. *l. c. cap.* 61. Pont. *l. c. nu.* 6. Covar. *l. c. nu.* 3. Castrop. *n.* 14. Item an ab Episcopo, ita ut in hoc casu non sufficiat narratum: *a Sacerdote*; cum dignitas Episcopalis notabiliter aggravet sacrilegium, uti & natum esse ex Sacerdote, qui simul erat Religiosus; ut Mol. *d.* 173. *vers. qualitates* Castrop. *l. c.* Item an ex adulterio, & quidem juxta communiorem, quam tenent Mol. *loc. c. vers. hinc colligitur*. Pont. *loc. cit. nu.* 9. *juncto nu.* 8. Covar. Castrop. *LL. cit.* exprimendum, num ex adulterio utrimque tali. De cætero hæc limitanda, ita ut opus non sit ea omnia specifice & distinctim exprimere, ubi Princeps generalem concessionem faceret, dicendo: *ex quocunque coitu natus sis, legitimum te reddo*. Covar. *loc. cit. num.* 4. Castrop. *nu.* 15. Mol. *loc. cit.*

QUÆSTIO CCLXVI.

Qualiter hæc legitimatio differat ab ea, quæ fit per subsequens matrimonium.

RESP. Differt ab ea primo, quod hac non nisi naturales, illa vero Principis etiam spurii legitimentur, ut cum communi Azor. *cit. c.* 4. 14. Castrop. *loc. cit. §.* 4. *numer.* 2. quamvis etiam a Principe legitimari consueverint. Argum. *Novel.* 74. *c.* 1. & *Novell.* 89. *c.* 9. Secundo, quod ea facta per matrimonium sit universalis extendens se ad omnes inhabilitates, etiam jure civili inductas tollendas; hæc, si fiat a Principe sæculari, non extendat se ad inductas jure Pontificio, sed solum ad inductas jure civili, puta ad successiones hæreditarias, majoratus, feuda, honores & munera publica sæcularia. Si facta a Principe ecclesiastico ad solas dignitates, officia & munia ecclesiastica, beneficia, ordines sacros. Covar. *loc. cit. §.* 8. *num.* 15. Castrop. *loc. cit.* cum communi; uti hæc distinctius patebunt ex sequentibus.

QUÆSTIO CCLXVII.

A quibus & ad quæ hæc legitimatio fieri possit.

1. RESP. Primo in genere, potestas hæc proprie legitimandi competit Principibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus non nisi supremis, hoc est, jurisdictionem supremam exercentibus, & nulli alteri subjectis; hi enim solius abrogare, & legibus derogare possunt, efficiendo, ut qui a SS. Canonibus aut legibus civilibus ad certos effectus redditi inhabiles, ad eosdem reddantur habiles; ita cum communi Bald. *in l.* 1. *C. de jure annulor. aur. in pr.* dicens esse de reservatis Principibus. Abb. *in c. per venerabilem h. t. nu.* 23. Mol. *cit. d.* 173. *v. legitimare*, Azor. *cit. c.* 14. *num.* 5. Pont. *loc. cit. c.* 5. *num.* 1. Castrop. *loc. cit. §.* 5. *num.* 1. Tales itaque sunt in ecclesiasticis solus Papa, in sæcularibus Imperator, Reges aliique Principes dicta jurisdictione suprema & independente gaudentes, qui ut Castrop. leges condere & abrogare possunt; adeoque hanc potestatem proprie legitimandi jure proprio & ordinario in suis dominiis propriis exercent. Unde dum inferiores, puta Legati Apostolici in spiritualibus, Comites Palatini in sæcularibus legitimant, non nisi ex privilegio & potestate commissoria sibi a supremis Principibus (quippe qui, cum ea potestas sit jurisdictionis, eamque eam potiantur jure ordinario, eam alteri delegare possunt) concessa legitimant. Circa quod notandum, quod, cum ea potestas non plene, sed limitate conferri soleat, & sæpe ad dispensandum, non ad legitimandum concessa, & a potestate dispensandi ad potestatem legitimandi, utpote quæ est potior, & in qua ea continetur, & non econtra inferre non liceat, ut cum communi. Covar. *c.* 8 *§.* 8. *nu.* 6. Mol. *loc. cit. vers. observandum*. Castrop. *loc. cit. num.* 2. diligenter attendi debeat ad tenorem & terminos rescripti Apostolici & Imperialis, cum acta ab iis contra illos nullius sunt momenti, juxta *c. de rescript.* & *l. diligenter ff. mandati*, & juxta quod monent AA. Atque ita dum Episcopi, uti & Capitulum sede vacante illegitimos habiles reddere possunt ad ordines & beneficia simplicia, id possunt, non in vi potestatis legitimandi, sed dispensandi, diciturque habilitatio hæc ab iis facta non legitimatio, sed dispensatio, quippe quæ est ad certos solum aliquos, & non ad omnes juris effectus relaxatio juris; ita Mol. *loc. cit. nu.* 7. Castrop. *num.* 1. (idem dicens de aliquibus Magistratibus sæcularibus, quo ad civilia) Wiestn. *h. tit. num.* 56. Reiffenst. *n.* 47.

2. Resp. Secundo in particulari: Primo potest Papa quo ad spiritualia omnia omnes Christi fideles ubique existentes, utpote quo ad hæc sibi subjectos legitimare, ut habet communis & certa. Potest quoque quo ad temporalia, puta quo ad successiones in hæreditatibus, majoratu, honores, dignitates, aliaque jura legitimare in suo territorio sæculari existentes, suæque jurisdictioni temporali immediate subjectos, non secus ac Imperator, Reges & Principes existentes in Imperio, Regnis & Provinciis suis; utpote non secus ac ille in suo territorio nullum superiorem recognoscens, ut quoque habet communis juxta expressum textum *c. per venerabilem h. t.* Regulariter tamen nequit quo ad ea legitimare sibi non subjectos; quia regulariter nequit per se ac directe aliorum Principum leges tollere, earumque efficaciam in sibi non subjectis minuere; poterit tamen & id ipsum hic & nunc ex causa aliqua gravi, pertinente ad bonum spirituale regni alicujus, v. g. religionis in eo pervertendæ, alteriusve boni amittendi periculo sic exigente; eo quod legitimando prolem ad succedendum in regno utatur jurisdictione sua, quam habet ad gubernandam Ecclesiam, utpote cui jurisdictioni quandoque per accidens & indirecte nimirum ad conservandam religionem, promotionem aliorum bonorum spiritualium id necessarium, subjiciuntur temporalia; ita docent Abb. *in c. per venerabilem n.* 1. & 15. Covar. *loc. cit. §.* 8. *num.* 16 & 18. Mol. *de primog. l.* 3. *cap.* 2. *numer.* 11. Mol. *l.* 2. *C. de Just. disp.* 173. *in pr.* Pont. *loc. cit. cap.* 3. *num.* 6. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 7. *num.* 1. prout eos citat, & sequitur Castrop. *cit. §.* 5. *num.* 4. Item Bellar. *l.* 5. *de sum. Pontif. a c.* 6. Suar. *l.* 5. *defens. fidei c.* 16. *num.* 3. Barbos. *de offic. Episc. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *a num.* 101. Gonz. & alii citati a Wiestn. *h. tit. num.* 65. ubi etiam ex Roder. Sancio *hist. Hispan. quæst.* 4. *c.* 17. id probat praxi Ecclesiæ, & facto, quo Sancii Regis filii naturales a Papa legitimati, vi cujus legitimationis Ferdinandus patri in regno successit. Posse quoque Pontificem tam ad spiritualia, quam temporalia & effectus politicos legitimare quemlibet indirecte, seu in radice matrimonii, ut loquuntur AA. dispensando nimirum in matrimonio, ex quo invalide contracto ob impedimentum dirimens nati, ita ut illo sublato per dispensationem pro legitimis habeantur, etiam pro tempore, quo invalide contractum, tradunt Abb. *in c. per venerabilem num.* 21. Alex. *ibid. num.* 18. Sylv. *v. Papa qu.* 18. Covar. *n.* 13. Sayr. *thesaur. cas. l.* 6. *de irregular. c.* 10. *num.* 27. Sanch. *loc. c. n.* 4. Garc. *de benef. part.* 7. *c.* 2. *n.* 41. Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 2. *n.* 12. Gutt. *de mat. c.* 84. *a nu.* 20. Castrop. *l. c. nu.* 8. Wiestn. *h. t. nu.* 66. referens Farinac. qui id confirmet Auth. Rotæ *part.* 2. *decis.* 687. *num.* 8. contra Con. *d.* 33. *dub.* 8. *num.* 4. Perez. *de mat. d.* 44. *s.* 5. *num.* 9. Mol. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 614. *n.* 3. citant autem pro se Nav. *cons.* 2. *h. t.* ubi testatur Gregor. XIII. An. 1584. negasse talem dispensationem a se petitam, cum addito, se sic dispensare non posse: nixos hac ratione, quod Pontifex facere nequeat, ut matrimonium, ex quo genitus illegitimus non fuerit invalidum, & consequenter ex eo natus non fuerit illegitimus, quæ tamen ratio eliditur, & contraria sententia probatur per hoc, quod licet Pontifex facere nequeat, ut matrimonium illud non fuerit invalidum, possit tamen effectus ex eo vi præcise legis ecclesiasticæ provenientes abrogando talem legem, ex qua tale matrimonium fuit irritum, vel in ea respectu certarum personarum dispensando non tantum futuros, sed & præteritos tollere, ac si nunquam lata fuisset, ut patet ex *Clem. unic. de immunit. Eccles.* ubi Clemens V. constitutionem Bonifacii VIII. contentam *in c. Clericis h. tit. in* 6. etiam quo ad effectus prius vi illius productos revocat his verbis: *quidquid ex ea subsecutum est, vel ob eas penitus revocamus, & eas habere volumus pro infectis*. De responso Gregor. XIII. in contrarium dato negant hi AA. quod satis de eo constet, &, si de eo constaret, intelligendum de impotentia Papæ proveniente, non tam ex defectu jurisdictionis, quam ex defectu justæ causæ. Sanch. *num.* 9. Wiestn. *num.* 70. Atque ita ad hanc inhabilitatem tollendam non requiritur, ut parentes illegitimi adhuc vivant, & denuo contrahant matrimonium; cum legitimatio hæc non fiat per matrimonium contrahendum, sed per dispensationem in radice matrimonii contracti, & remotione illegitimitatis inde provenientis, ut Sanch. *loc. cit. num.* 6. pluribus citatis.

Mol.

Mol. *de primog.* Castrop. *LL. cit.* Unde ad hanc legitimationem requiruntur duo, nimirum primo, ut præcesserit inter parentes matrimonium irritum, utpote quo cessante deficit fundamentum dispensationis & radix, ex qua legitimatio ortum habere debet, ut Abb. *l. c. n.* 21. Sylv. *v. legitimus qu.* 8. *d.* 5. Sanch. *l.* 8. *d.* 3. *num.* 3. & 7. Castrop. *§.* 5. *num.* 6. Wiestn. *h. t. num.* 67. Secundo, ut impedimentum, ob quod matrimonium irritum erat, non sit indispensabile a Pontifice, quale esset, si v. gr. defuit consensus verus, vel contractum priore uxore adhuc vivente, aut in primo gradu lineæ rectæ; quia alias non potest Pontifex nullitatem matrimonii tollere, & consequenter nec matrimonium radicem legitimationis dispensatione sua honestare, ut cum Sanch. *l. c. n.* 8. & 10. Pont *cit. c.* 5. *num.* 8. Castrop. *loc. cit.* Vviestn. *nu.* 68. id tamen ita limitante Sanch. ut procedat, si impedimentum sit certo indispensabile; cum in dubio Papa non sit spoliandus possessione potestatis ad dispensandum. De cætero valet hujusmodi legitimatio, etsi cedat in præjudicium tertii, utpote quod præjudicare non potest Pontifici, modo adsit justa causa, ne peccet; censendus tamen non est, concedere in hoc casu legitimationem, nisi juxta regulam de non tollendo jure quæsito alteri clare exprimat, concedi illam stante præjudicio tercii. Sanch. *num.* 5. & 6. Castrop. *n.* 10.

3. Resp. Tertio: Principes supremi sæculares quamvis potestate sua ordinaria, & nisi aliud exprimant, solos illegitimos naturales, non vero natos ex damnato concubitu seu spurios legitimare solent, possunt tamen & hos legitimare, si velint, utendo potestate sua absoluta, Reiffenst. *h. tit. num* 56. Vviestn. *num* 61. cum communi; unde Imperator nonnullis Comitibus Palatinis eandem potestatem concedit, ut patet ex formula concessionis, quam adjicit Reiffenst. *num.* 55. vi tamen hujus facultatis concessæ eis plene, etiam ad legitimandos Spurios, adhuc non posse illos legitimare, ne quidem naturales illegitimos nobilium, nisi in rescripto Cæsareo exprimatur, &, si exprimatur, non extendere se hoc rescriptum ad legitimandas proles naturales illegitimas, Baronum, Comitum &c. asserit Reiffenst. *nu.* 57. citans Nolden. *de statu nobil. c.* 16. *th.* 15. Et hæc de principibus supremis de jure, nam de consuetudine competere posse potestatem legitimandi Principibus recognoscentibus superiorem, *nu.* 53. & in specie de Electoribus & Statibus Imperii, utpote pro superiore recognoscentibus Imperatorem dicit ex Strick. *de usu modern. pandect. ad tit. qui sui vel alien. jur. §.* 14.

4. Resp. quarto: Possunt hi Principes legitimare quo ad omnia jura temporalia, honores, dignitates, officia quæcunque, nisi ex consuetudine aut singulari statuto requiratur ad ea, ut natus quis sit legitimus, qualiter legitimatos esse non posse Assessores in Camera Imperiali, Consiliarios Principum, nec titulum doctoratus consequi, ex Mynsing. *l.* 4. *obs.* 31. asserit Reiffenst. *h. t. num.* 59. ubi etiam ad suum ordinem recipi non posse taliter legitimatos juxta statuta generalia illius. Item quo ad successiones hæreditarias & quo ad omnia bona non tantum parentum, sed & consanguineorum, tam ab intestato quam ex testamento obvenientia, non secus ac alii legitimi; ita etiam, ut eorum more agere possint querela inofficiosi, ut Covar. *cit. §.* 8. Mol. *cit. d.* 173. *num.* 24. Vviestn. *nu.* 60. juxta *§. fin autem Inst. de hæred. quæ ab intest.* & Arg. *Novel.* 89. *c.* 3. 8. 9 & licet utendo ordinaria potestate & simplici legitimatione non legitiment ad succedendum in feuda juxta *tit.* 26. *§. naturales lib.* 2. *feud.* neque in majoratu, ut Mol. *l. c. nu.* 10. Castrop. *cit. §.* 5. *num* 18. & quos citat Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 3. *num.* 9. Covar. 3. *var. c.* 6. *n.* 7. Jul. Clar. *l.* 3 *sentent. §. feudum qu.* 83. possunt tamen de potestate absoluta etiam ad illas successiones legitimare, etiam cum incommodo & præjudicio alieno, juxta *l. Prætor ait §. ff. ne quid in loc. publ.* nisi legitimandus ab illis successionibus ex voluntate constituentis feudum, majoratum, fidei commissum specialiter excludatur. Mol. *d.* 174. *in fin.* Covar. Castrop. *LL. cit.* aut etiam de consuetudine quarundam provinciarum, ut Sixtus V. in Bulla sua, *Postquam verus*, apud Reiffenst. *n.* 45. De cætero nulla ratione iis competere potest legitimatio illa, quæ fit in radice matrimonii; quia, ut constat ex *c.* 1. *de Sponsal.* & *c. tuam de ord. cognit.* denegata illis ab Ecclesia potestas tam tollendi quam constituendi impedimenta dirimentia, ita cum Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 7. *num.* 11. Castrop. sed neque legitimare ullo modo possunt ad beneficia, ordines, dignitates, officia ullaque alia jura spiritualia, aut effectus ecclesiasticos, cum nullam habeant in spiritualibus potestatem. Abb. *in c. per venerabilem h. tit.* Covar. *de mat. part.* 2. *c.* 8. *§.* 8. *num.* 14. Castrop. *loc. cit.* cum communi, quod tamen attinet jus patronatus, esto sit spirituale; quia tamen rebus temporalibus annecti solet, possunt Principes sæculares illegitimos sibi subditos ad illud obtinendum habiles reddere indirecte, habilitando illos ad succedendum in hæreditate, cui illud annexum. Covar. *de Sponsal. l. c. num* 18. Mol. *d.* 173 *vers. item.* Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 14. *qu.* 7. quos refert & sequitur Castrop. *l. c. n.* 19.

QUÆSTIO CCLXVIII.

Quinam a Principibus sæcularibus legitimari possint.

1. RESP. Præter ea, quæ de hoc dicta *quæst. praeced.* loquendo hic de iis, de quibus magis dubitari poterat, num iis, concedi posset legitimatio. Primo, dum legitimare potest subditos suos, id sic extendendum, etiamsi non solum ii, sed & bona, ad quæ legitimandi sunt, existant extra territorium legitimantis, secus, ut juxta probabiliorem, quam tenent Abb. *in c. per venerabilem n* 23. Covar. *l. c. n.* 14 Pont. *l. c. cap.* 6. *n.* 1. Castrop. *l. c. §.* 6. *n.* 3. dum dicta bona sunt quidem sita in territorio legitimantis, legitimandus tamen non est subditus illius; siquidem hæc legitimatio est actus jurisdictionis, quæ exerceri non potest erga non subditum; non obstante (quod est fundamentum oppositæ sententiæ) quod hæc jurisdictio sit voluntaria, quæ alias ubique & a quocunque Judice exerceri potest, juxta *l.* 2 *ff. de off. proconsul* eo quod jurisdictio voluntaria ea solum possit a quocunque Judice exerceri, quæ de consensu subditi prorogari potest, non vero ea, quæ a subditis non dependet, qualem dicit potestas legitimandi. Neque ex eo de illa infertur contrarium, quod per legitimationem hic & nunc consentientibus in eam parentibus, aliisque interesse habentibus, nullum inferatur præjudicium; cum per talem consensum non acquiratur jurisdictio in non subditum, juxta *l. privatorum C. de jurisd. omn. Jud.* uti nec ea communicatur Principi ratione rei sitæ in ejus territorio; cum personam spectet, & non res, circa quas exercetur.

2. Secundo juxta probabiliorem, quam contra Jason. *in l. qui jurisdict. præest. ff. de jurisd.* & Pont. *l. c. nu.* 5. sectantur. Abb. *l. c. n.* 23. Bald. *in l. si consul. ff. de adopt.* Covar. *loc. cit. num.* 20. Mol. *d.* 173. *vers. princeps* Castrop. *cit. §.* 6. *num.* 6. Princeps suum filium legitimare potest; eo quod legitimatio licet sit sæpe jurisdictionis mixtæ, nempe voluntariæ & contentiosæ, quatenus sæpe fit invito & parte contradicente, & jurisdictio contentiosa a patre exerceri non possit in filium (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) est tamen per se voluntariæ, & non nisi per accidens jurisdictionis contentiosæ; quin & jurisdictio contentiosa a patre exerceri potest in filium, dum hic consentit, esto, alii contradicant; nequit tamen vi talis legitimationis filius succedere in regno (idem est de Principatu) si a Republica statutum, ut solum legitimi succedant; cum tales legitimati rescripto Principis non veniant nomine legitimorum, ut Mol. *loc. c.* & Mol. *de primog. l.* 3. *c.* 3. *a num.* 3. Castrop. *num.* 7. De cætero habens a Principe potestatem legitimandi. V. g. Comes Palatinus non poterit adhuc suum filium legitimare; nisi forte id ipsum in concessione potestatis legitimandi exprimatur; quia talis potestas legitimandi proprium filium extraordinarie conceditur Principibus. Covar. *cit. §.* 8. *nu.* 21. Castrop. *l. c.*

3. Tertio juxta probabiliorem, quam contra Paris, *l.* 2. *cons.* 2. *num.* 23. Alex. *vol.* 2. *cons.* 87. & alios tenent Decius *cons.* 150. *n.* 10. Covar. *l. c. n.* 10. Fachin. *l.* 3. *controv. c.* 59. Pont. *l. c. cap.* 6. *n.* 6. Mol. *d.* 173 *vers. ad quem* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. nu.* 9. Arg. *Auth. quib. mod. natural. effic. sui §. illud* potest Princeps sæcularis legitimare filium clerici sæcularem ad honores & successiones, eo quod in talem jurisdictionem habeat independenter a consensu patris illius clerici, (cum consensus ille requisitus non sit ad prorogandam vel concedendam Principi laico jurisdictionem in ipsum patrem clericum, sed ad ipsum filium ejus laicum legitimandum, vel potius ad impediendum patris præjudicium, ut Castrop. *l. c.*) & bona, ad quæ legitimatur, esto sint exempta a tributis, dum possidentur a clerico, non tamen sunt exempta, quo minus post mortem illius alteri a principe applicentur, & jus in iis succedendi concedatur, leges quoque, quæ per hanc legitimationem relaxantur, non sunt canonicæ, sed civiles, vetantes illegitimos succedere in bonis parentum tam clericorum quam laicorum; adeoque huic legitimationi nihil obstat; quamvis tamen, ut Castrop. *loc. c.* cum Mol. *l. c.* vers. illud possit Pontifex sua lege statuere, bona clericorum ad filios eorum Spurios, etsi a Principe legitimatos perveniant. Idem de filio clerici legitimando,

constituto in ordinibus facris, aut in minoribus una cum beneficio ecclesiastico, vi cujus gaudeat privilegio fori, contra Decium *consil.* 150. *a n.* 4. Azor. *l.c. c.* 15. *q.* 5. Pont. *l.c. n.* 9. satis probabiliter, ut ipse fatetur Castrop. sentientes contrarium, tuetur cum Covar. & Mol. *n.* 10. eo quod talis filius ob leges civiles inhabilitantes filios Spurios ad succedendum patri est inhabilis, contracta hac inhabilitate tempore, quo laicus erat, & quæ per clericatum non relaxatur, legum autem civilium relaxatio spectet ad Principes sæculares; sed neque clericus exemptus sit a jurisdictione laica (quod est fundamentum adversariorum) intellige directiva plene (cum alias nullis legibus civilibus obligari posset, quod est contra communiter receptam) sed a jurisdictione coercitiva.

4. Quarto: Posse quoque ab eis legitimari natos ex parentibus impeditis ad contrahendum matrimonium, tenent Covar. *cit.* §. 8. *num.* 4. Fachin. *loc. cit. cap.* 57. *in pr.* Mol. *d.* 173. *in pr.* Pont. *cit. cap.* 6. *in fine*. Castrop. *loc. cit. numer.* 15. eo quod hæc illegitimatio inducta sit jure humano, hoc autem jure inducta abrogari & immutari possunt Principia voluntate, §. *sed naturali Inst. de jure natur. gent. & civil.* his non obstante, quod Princeps non possit copulam, ex qua nati, reddere legitimam, sicut non obstat, quo minus possit naturalem legitimare, quoad copulam, ex qua natus, non possit reddere legitimam; cujus ratio est a priore, quod quo ad legitimationem, quæ est restitutio natalium, non requiratur restitutio ex matrimonio, sed natalium ex natura, ut sic restitutus reputetur, ac si ex vero matrimonio natus, quamvis matrimonium inter ejus parentes esse non possit; ita Castrop. *loc. c.*

QUÆSTIO CCLXIX.

A quibus, cum quibus & ad quæ cum illegitimis dispensari possit.

RESP ad ea sufficienter responsum a me *in Foro benef. part.* 1. *a quæst.* 267. quo lectorem remitto, uti & ad *sect.* 2. *cap.* 1. §. 3. de legitimitate natalium, ubi magis in particulari tractata invenies aliqua ad hunc titulum spectantia, aut reducibilia.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

QÆSTIO CCLXX.

Contra matrimonium vel pro eo quinam agere possint & testificari?

1. RESP. primo: Matrimonium contrahendum accusare seu impugnare ad illud impediendum, denunciando impedimenta potissimum dirimentia, si quæ sint inter sponsos, possunt ac debent omnes, qui eorum notitiam habent, & ab hac impugnatione & denunciatione non repelluntur, nisi de maliciosa accusatione suspecti sint; ita habet communis; idemque est de testificando, modo alias testes sint idonei; imo si impedimentum probare possunt, & alia via sponsos a matrimonio contrahendo dimovere nequeunt, sub gravi peccato denunciare obligantur, etiam jure divino ac naturali ob grave peccatum proximi, & Sacramenti irreverentiam avertendam, juxta dicta *tit.* 3. *de cland. despons.*

2. Resp. secundo: Dum agitur de matrimonio jam contracto, sive quo ad separationem thori, sive ad dissolutionem vinculi, non omnes promiscue admittuntur ad illud accusandum; sic enim primo, dum agitur ad separationem thori & cohabitationis ob commissum adulterium, nimiam sævitiam &c. ad accusandum admittitur solus conjux innocens, utpote cujus solius interest, & cujus favore principaliter jus illud petendi & separandi se a conjuge nocente inductum est. Innoc. Abb. *ad hanc rubr. num.* 15. Nav. *in manual. cap.* 22. *n.* 22. Sanch. *de matr. lib* 10. *d.* 13. *num.* 3. Pirh. *h.t. num.* 1. Wiestn. *numer.* 12. Arg. *cap.* 5. *de procurat. cap.* 4. *de adult. & stup.* secus est, si non ad divortium, sed ad canonicam & legalem pœnalem de adulterio, dum illud publicum est, sumendam tenderet accusatio; tunc enim a quolibet, modo mas sit & 25. annis major, juxta *l. palam* §. 10. *ff. de ritu nupt.* fieri posset, juxta §. *item lex Julia Instit. de publ. judic.* Harprecht *ibid. num.* 38. Wiestn. *loc. cit.* dum vero agitur ad dissolutionem matrimonii ob impedimentum dirimens, illudque sit impotentiæ, soli conjuges accusare possunt; quia horum solorum interest dissolvi matrimonium, & hi in hoc casu juxta *cap. requisivisti* 33. *quæst.* 1. *cap. consultationi, & cap. laudabilem de frigid. & maleficiat.* sibi cohabitare possunt soluto matrimonio ut frater & soror, ita Pirh. *h.t. num.* 1. Canis. *num.* 2. Reiffenst. *num.* 3. Wiestn. *num.* 12. Item si impedimentum sit gravis metus vel error circa personam, solis conjugibus permissum est accusare matrimonium de nullitate; quia non tantum hos solos concernit, & hi impedimentum tollere possunt consentiendo in tale matrimonium, & id ipsum facere præsumuntur, si conscii talis impedimenti cohabitent, multoque magis, si se cognoscerent, & quidem in secundo casu ne quidem ipsi conjuges; adeoque in hoc casu frustra foret accusatio ab aliis facta. Gonzal. *h.t. num.* 3. Pirh. *num.* 1. Wiestn. *num.* 13. Reiffenst. *num.* 4. si impedimentum est consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, primo omnium ad accusandum admittuntur parentes, dein fratres & sorores, alii consanguinei, & his deficientibus extranei antiquiores viciniores, utpote quibus genealogia & propinquitas conjugum magis nota est. AA. iidem juxta *cap.* 1. & *cap. notificamus* 35. *quæst.* 6. *cap. videtur hoc tit.* Ac demum si impedimentum est aliud, V.G. defectus parochi, professio religiosa, præter ipsos conjuges & consanguineos admittuntur etiam extranei veraces, & non suspectæ fidei, maxime, si inter se interesse habeant. Gonzal. *h. t. num* 3. Reiff. *num.* 7. Wiestner *num.* 15. Arg. *cap.* 1. *de his quæ vi metusve cauf.* ubi matrimonium irritum ob professionem religiosam impugnarunt monasterii Priorissa & sorores.

3. Resp. tertio: Omnes idonei ad accusandum matrimonium etiam admittuntur ad testificandum contra matrimonium vel pro illo, modo alias apti ad testificandum, sive agatur de matrimonio conjungendo, sive de eo dissolvendo. Pirhing *num* 3. Wiestn. *num.* 17. Reiffenst. *num.* 14. cum communi. Arg. *cap. licet de testib. & attestat.* Unde licet pater testis in aliis causis filii tam civilibus, quam criminalibus esse nequeat, *l. testis ff. de test. cap. testis idoneus* 4. *quæst.* 3. tamen is, uti & fratres aliique consanguinei testes esse possunt in causis matrimonialibus filii & consanguinei. AA. iidem juxta *cap. videtur h. t.* idque quia non solum præ aliis majorem consanguinitatis, & affinitatis ejusdemque distantiæ quo ad gradus notitiam habere, sed &, ut cum Engels *h. tit. numer.* 8. Wiestner *loc. cit.* incestarum nuptiarum probrum in sua familia non toleraturi credantur. Limitat id ipsum Pirh. *loc. cit. not.* 3. ita ut pater non censeatur testis idoneus sed suspectus, ubi sponsa filium sponsum, aut contra sponsus sponsam nobilitate, & divitiis multum superat. Unde Abb. *h. tit. numer.* 6. *in fine*, dicit non posse dari certam regulam, an & quando credendum sit testimonio parentum in causis matrimonialibus filiorum, sed id relinquendum arbitrio Judicis, ut ex circumstantiis dignoscat, quandonam hoc testimonium sit suspectum. Item licet idem esse non possit testis & accusator in causis propriis aut etiam aliis, potest tamen esse in causis matrimonialibus, saltem quando agitur de consanguinitate & affinitate. Pirh. *loc. cit. not.* 4. Reiffenst. *h. t. numer.* 15. Wiestn. *num.* 18. juxta *cap.* 5. & 7. *cauf.* 36. *quæst.* 5. qui tamen id cum Abb. *in hanc rub. in fine.* Arg. *cap. in tua, de sponsal.* intelligendum in eo solum casu censent, quo accusator non est proprie talis matrimonii, sed solum denunciator impedimenti, ita ut, si Judex ex officio ad denunciationem factam inquirat, is, qui denunciavit, simul esse possit testis impedimenti denunciati. Porro in Germaniæ provinciis ex privilegio vel consuetudine nobiles & illustres personas ad personaliter testificandum compelli non posse, sed posse id facere per literas scriptas consignatas & transmissas, ex Gail. *lib.* 1. *observ.* 101. *num.* 4. asserit Wiestner *numer.* 19. *in fine.*

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXXI.

Quinam in specie repellantur ab accusatione matrimonii, & consequenter a testificando contra illud vel pro eo.

RESp. Ab utroque (uti & in omni alia accusatione) repelluntur. Primo qui turpis quæstus gratia accusant (idem est de testificantibus, utpote qui etiam in causis matrimonialibus debent esse omni exceptione majores, ut Gloss. *in cap. 1. de consang. & affinitat. v. majores*. Alex. *in cap. insuper h. t. num. 4.* Pirb. *h. t. num. 15. in fine*, (sive qui pecunia ad accusandum inducuntur, eamque exigunt, ut ab accusatione desistant, quia falso & malitiose accusare præsumuntur juxta *cap. significante h. t.* & Gloss. *ibid. v. eod.* Abb. *num. 4.* Pirh. *loc. cit.* qui etiam *num. 5.* cum Abb. quod Judex in hoc casu ex officio suo parte non opponente possit accusatores tales repellere. Secundo repelluntur, qui, dum denunciationes seu proclamationes fierent, impedimentum non manifestarunt; eo quod manifestationem differendo in tempus matrimonii jam contracti, illud calumniose accusare præsumantur. Pirb. *h. t. num. 6.* Wiestn. *num. 16.* juxta *cap. in tui h. t.* nisi tamen propter absentiam, infirmitatem, aliamve justam causam ignorassent denunciationes factas, vel impedimenti eo tempore ignorati notitiam postea prius se habuisse fidem facerent juramento interposito, Wiestn. *loc. cit.* cum Barb. *in cap. ult. h. t.* cujus de cætero ignorantiæ proclamationum (uti & aliorum, quæ publice fiunt in civitate) justæque de ea præsumptionis sequentes casus ponit Pirb. *h. t. num. 7. not. 3.* nimirum dum quis tum temporis existebat extra diœcesin, vel quia tunc erat in ea ætate, aut etiam in eo defectu usus rationis, ut gesta non intelligeret; vel etiam alia de causa tum temporis non admittebatur ad accusandum, verb. g. quia erat excommunicatus. Tertio secundum jam dicta, quæ quidem ab initio gravi metu coacta contraxit, postea tamen copulam carnalem admisit, juxta *cap. insuper de testib.* & Barb. *ibid. num. 3.* Gonz. *num. 3.* Pirh. *num. 14.* quarto, qui personaliter absentes per literas accusant, *cap. per scripta 2. quæst. 8. cap. nobis h. t.* idque ita dispositum ex ea ratione, ut excludatur occasio facilius calumniandi, dum accusatores liberius possent calumniari, si absentes per literas possent accusare, ita Pirh. *num. 11.* qui tamen addit, quod licet talis accusatio, & testificatio facta in scriptis seu per literas non sit sufficiens sine aliis adminiculis ad ferendam sententiam, pariat tamen aliquam præsumptionem; quin etiam in se valere & sustineri posse ex privilegio & longa consuetudine, qualiter, ut dictum, competit id in Bohemia & Austria nobilibus, Baronibus &c. ut non cogantur personaliter accedere Judicem ad testificandum, sed satis sit per scripturam sub sua fide sive juramento corporali depositionem manu propria subscriptam & obsignatam Judici transmittere; quinto repellitur testis de auditu, si is, a quo audivit, & in cujus testimonio se fundat, tanquam inhabilis ad tale testimonium repellatur. Pirh. *num. 8. in fine* cum Abb. *in cap. ult. h. t. num. 10.* & Canisio *ibid. numer. 2.* Cujus contrarium est in accusatore, qui admittitur ad accusandum, etiamsi author, a quo audivit impedimentum, admitti nequeat; Pirh. *loc. cit.* juxta *cap. licet 47. de testib.*

QUÆSTIO CCLXXII.

In causa matrimonii quis sit Judex.

1. RESp. primo in genere: Causarum matrimonialium cognitionem & definitionem spectare ad forum & Judices ecclesiasticos solos, est unanimis DD. Catholicorum consensus juxta *cap. tuam de ordine cognit. cap. later & cap. causam qui fil. sint legit.* decisumque in Trident. *sess. 24. can. 12.* hisce expressis: *si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit*, estque ratio, quod matrimonium sit unum ex septem Sacramentis, adeoque res spiritualis; de rebus autem & juribus spiritualibus controversias in judicium adductas pertractare est solius potestatis Ecclesiasticæ juxta *cap. quanto de judiciis*, & *cap. si Judex de sent. excom.* Porro idem est de quæstionibus ortis super sponsalibus de futuro, cum tangant matrimonium; illud autem tangentium idem, quod illius, est judicium, Arg. *cap. translato de constitut.* & *Clem. dispendiosam, de judic.* & ita tenent Gloss. *in cit. Clem. v. matrimonii*. Anchar. *ibid. num. 2.* Card. *num. 30.* Oliv. *for. eccles. part. 3. quæst. 37. numer. 3.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 3.* de cætero nomine causarum matrimonialium veniunt controversiæ, & quæstiones de matrimonii & sponsalium natura, qualitatibus, contractu, indeque ortis juribus & obligationibus; deque eorum valore, impedimentis horumque dispensationibus, deque matrimonii dissolutione, redintegratione, divortiis, non tamen veniunt quæstiones de dote, donatione propter nuptias, successione hæreditaria, alimentis & similibus, tales enim quæstiones, utpote de re temporali & politica, pertinere ad forum, & Judices sæculares de communi docere Bellarm. *lib. 2. de matrim. cap. 32.* Tanner. *Tom. 4. d. 8. num. 166.* testatur Wiestn. *num. 5.* & tenet Pirh. *h. t. num. 17.* nisi tamen, ut addit Wiestn. *num. 6.* tales quæstiones in quæstionem matrimonialem proprie talem (quales sunt jam enumeratæ) in judicium principaliter deductam incidant; tunc enim, sicut de illis principaliter motis, sic etiam his incidenter cognoscere & pronunciare pertinebit ad Judicem ecclesiasticum; sic quoque Judex sæcularis competens est in quæstionibus facti respicientis matrimonium, ut si agatur de punitione adulterii, incestus aliorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii; tum quia hujusmodi delicta sunt mixti fori, quæ proinde Judex, qui prævenerit, sive sit ecclesiasticus, sive sæcularis, punire potest; tum quia sunt quæstiones facti, non juris, nec ad ea punienda necesse est cognoscere de valore matrimonii aut sensu canonum, ita Pirh. *cit. num. 17.* citans Sanch. *de matr. lib. 3. d. 54. num. 3. & 6.* Item Judex sæcularis competens est, dum quæritur, an matrimonium sit contractum, an contractum in facie Ecclesiæ, an clam, ut ita constet, an filius sit legitimus, nisi incidat in quæstionem juris, v. g. quid sit matrimonium clandestinum, Pirh. *num. 18.* cum Tanner. *loc. cit. quæst. 8. dub. 9. num. 164.*

2. Resp. secundo in specie: de jure communi in causis proprie matrimonialibus Judex competens est solus Episcopus, juxta *cap. accedentibus, de excess. prælat.* & expressam decisionem Trident. *sess. 24. de reform. matr. cap. 20.* ubi: *ubi causa matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquimus &c.* Nihilominus in iis quoque (jure ordinario, adeoque citra commissionem & delegationem, aut etiam privilegium) Judex competens est Prælatus alius Episcopo non subjectus, jurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio, & in ejus populum exercens. Rota apud Mantic. *decis.* 502 *num. 7.* Riccius *in decision. Curiæ Neapol. decis.* 184. Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg. 84. num. 3.* Wiestn. *h. t. nu. 7.* Reiffenst. *num. 21.* Unde, dum Trident. aliis Episcopo inferioribus negat hanc jurisdictionem, intelligit illos inferiores, qui certæ diœcesis Episcopo saltem in causis aliquibus subjecti sunt. Item Judex competens est capitulum sede vacante, utpote in quod transit ordinaria jurisdictio Episcopi, juxta *cap. his quæ, & cap. cum olim de majorit. & obed.* Item non tantum Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus, & quidem sine mandato speciali, juxta *cap. fin. de signat. Spirit. & cap. 5. de frigid. & malef.* sed & Vicarius capituli sede vacante, ut Barb. *loc. cit. num. 3.* Covar. *de sponsal. part. 2. cap. 8. § 12. nu. 1.* Quarant. *in summ. Bullar. v. sede vac.* de quo vide me in *Vicar. Episc. quæst. 582.* De cætero ex commissione & privilegio, quin & ex consuetudine præscripta legitime (non sufficere tamen quadragenariam, sed requiri immemorialem, juxta quod declaratum a S. Congr. Card. Interp. Trid. testantur Fagnan. & Barb. asserit Wiestn. *h. t. num. 10.*) causarum matrimonialium cognitio, & definitio officiali minus principali competere potest, & competit, præsertim in diœcesibus amplioribus, uti & Archidiaconis, Decanis & Vicariis foraneis, quos commissarios vocant, aliisque Prælatis ecclesiasticis, ut patet ex communi praxi Ecclesiæ, & juxta hanc docent Gloss. *fin. in cap. accedentibus, de excess. prælat.* Butr. *ibid. num. 2.* Abb. *num. 3.* Fagnan. *num. 3.* apud Wiestn. *num. 9.*

TITU-

TITULUS XIX.

De divortiis .

QUÆSTIO CCLXXIII.

Divortium quid & quotuplex.

1. RESp. ad primum : Divortiom est viri ab uxore , & hujus a viro separario legitima , nimirum non facta sine lege vel ratione vel etiam authoritate Judicis . *Sylv. v. divortium.*

2. Resp. ad secundum : Est tam apud Theologos quam apud Jurisconsultos duplex ; oimirum prout importat dissolutionem matrimonii tantum quo ad thorum & habitationem , & prout importat dissolutionem quo ad ipsum vinculum . Porro separatio , quæ non est perpetua , sive ex causa per se duratura semper , minus proprie divortium appellatur , qualis est illa , quæ in jure friviculum dicitur , quod juxta Ulpianum *in l. cum §. divortium ff. de don. inter vir. & uxor.* est levis seu frivola offensa inter conjuges, quam ob levis quandoque momenti causam, & inde nascentem iram subitam sequitur temporalis quædam secessio seu separatio , dum postliminio quiescente ira & animo sedato , cessat . Verum de hac separatione hic nihil , de cæteris duabus speciebus divortii in præsente , capitibus duobus sequentibus .

CAPUT PRIMUM.

De divortio conjugum quo ad vinculum ipsum matrimonii .

QUÆSTIO CCLXXIV.

Matrimonium ratum quod dicatur .

1. RESp. ad primum : Matrimoniom ratum dicitur , quod post Baptismum susceptum mutuo contrahentium consensu perficitur , nulla carnali copula subsecuta , unde etsi infidelium seu non baptizatorum matrimonium sit legitimum , non est tamen ratum , *cap. quanto* *&. r.* Porro matrimonium manet ratum , & non efficitur consummatum , quamdiu vir non seminaverit intra vas fæmineum , etsi illud penetraverit ; quamdiu enim non præcessit copula apta ad generandum , non fiunt una caro . Et desinit esse tale , si intra illud seminavit , etsi non penetravit ; quia talis cupula sufficit ad generandum . Sanch. *L. 2. de matr. d.* 21. *num.* 2. Gutt. *de matr. cap.* 54. *numer.* 21. Castrop. *de sponsal. d.* 3. *part.* 2. *§.* 1. *num.* 1. Adhæc qui tenent semen fæmineum necessarium esse ad generandum , consequenter requirunt ad consummationem , seminationem fæminæ , qui negaot illud esse necessarium , ut Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* negant & alterum . De cætero per copulam vi vel metu extortam extra vel post bimestre datum ad deliberandum de ingressu religionis consummari matrimonium , conveniunt fere omnes , ut Sanch. *d.* 22. *num.* 1. Gutt. *loc. cit. num.* 16. Per copulam talem extortam intra dictum bimestre consummari quoque matrimonium, etsi negent aliqui , sentiunt tamen com communi Sanch. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *num.* 2. eo quod sit accessio ad suam , & per eam efficiantur una caro , & si ex parte unius libere habentis copulam consummatum censetur matrimonium , necesse est etiam ex parte alterius coacti illud consummari ; quia est unicum vinculum . Nihilominus non impediri per hoc partem coactam ingredi religionem , eo quod æquum non sit , ut ea licentia a jure concessa per injuriam sibi ab altero illatam privetur . Nequaquam tamen eum , qui copulam extorsit , posse ingredi religionem , parte , quæ vim passa , renuente , tenent Sanch. *loc. cit. num.* 5. 6. & 8. Castrop. *n.* 3.

QUÆSTIO CCLXXV.

An & qualiter matrimonium sit indissolubile .

1. RESp. primo : Matrimonium etiam non consummatum, tam fidelium quam infidelium , quo ad vinculum de se est indissolubile . Castrop. *loc. cit.* 5. & 6. *in fine* , cum communi , prout hanc indissolubilitatem statim ab initio creationis asseruit Adamus *Genes.* 2. dicente Trid. *Sess.* 24. *de matrim.* *Matrimonii perpetuum indissolubilem nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit , cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis , & caro de carne mea ; quamobrem propter hanc relinquet homo patrem & matrem , & adhærebit uxori suæ .* Item Christus apud Matth. *Quod Deus conjunxit , homo non separet .* Et Apost. *ad Rom.* 7. *Mulier vivente viro alligata est legi .*

2. Resp. secundo : Hæc indissolubilitas intrinseca omni matrimonio non est pure a jure divino positivo ; ab initio enim , dum institutum ab authore naturæ matrimonium indissolubile , oon exstabat præceptum ullum divinum positivum aliud , quam de abstinentia ab arbore vetita . Pirh. *loc. cit. num.* 138. sed est ex jure divino naturali . Matrimonium siquidem ex natura sua ordinatur , tum ad conjugum amorem mutuum fovendum , tum ad generandam non solum , sed & ad bene educandam prolem , quod commode fieri nequit , si matrimonium esset solubile ; foret enim proles incerta & male educaretur . Hinc Deus omnium Dominus Authorque naturæ qua talis ad hos fines in conjugio intentos a principio aliter non instituit illud , concessitque mutuam corporum traditionem & usum , quam indissolubiliter , prout dicitur *cap. unic. de voto in* 6. ubi : *Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite , rerum omnium conditore illud in Paradiso , & in statu innocentiæ instituente indissolubilitatem accceperit &c.* Ac ita sentit Pirh. *loc. cit.* Castrop. *num.* 6. citans Bellarm. *L.* 1. *de matr. cap.* 12. Azor. *L.* 6. *quæst.* 3. Rebell. *de oblig. just. lib.* 2. *quæst.* 15. *sect* 1. Vasq. *d.* 1. *de matrim cap.* 2. Covar. 2. *part. decret. cap.* 7. *§.* 3. *num* 5. & plurimos alios . Huic tamen concessioni & institutioni naturæ matrimonii congruenter factæ non obstat , quod quandoque Deus ob gravem aliquam causam permiserit vinculum matrimonii solvi ; in Lege quidem Evangelica, non tantum matrimonii rati in favorem status religiosi , sed & consummati inter infideles in favorem fidei . In lege scripta permittendo Judæis libellum repudii , ut docent plures apud Sanch *lib.* 10. *d* 1. *num* 7. sentientibus tamen aliis contrarium cum Magistr. sentent. S. Bonav. Richard. permissum nimirum , hoc est , non punitum repudium uxoris tanquam minus malum ad vitandum majus , nempe uxoricidium . De quo plura infra . Matrimonii vero rati in lege Evangelica permittendo illud solvi ; cum hæ , ut inquit Castrop. sint solubilitates extrinsecæ, naturam matrimonii non mutantes; sicut non mutat perpetuitatem status religiosi , quod is aliquando solvi possit . Undo

3. Resp. tertio : Non est ista indissolubilitas ita essentialis matrimonio , ut ea repugnet proprie juri naturæ , sitque intrinsece mala . Ita Pirh. *cit. num.* 138. & Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. remittens ad D. Thom. *in* 4. *d.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. Bellarm. *de matr. lib* 1. *cap.* 4. Sanch. *lib.* 2. *d.* 13. nulla siquidem , ut inquit Laym. ratio est , cur non etiam matrimonii contractus ad modum aliorum contractuum , spectato præcise jure naturali , mutuo consensu dissolvi possit . Juxta illud : *Obligationes , quæ mutuo consensu contrahuntur , contraria voluntate dissolvuntur* , *§. fin. Inst. quib. mod. toll. obligat.* nisi quod talis dissolutio primario fini matrimonii , qui est generatio & educatio prolis , repugnare videatur . Illa autem ratione non ostenditur matrimonii solutionem esse per se & intrinsece malam , sed solum ratione adjuncti , quod sæpissime abest, ut si proles jam perfecte educata sit , vel ob uxoris sterilitatem , senium &c. nulla sit spes generandæ prolis , quo casu dissolutio matrimonii magis confert ad generationem prolis cum alio conjuge , quam ut repugnet . Probatur quoque idem a posteriore . Deus siquidem absoluta potentia in lege proprie natu-

naturali dispensare nequit, ut cum D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. & quæst. 100. art. 8. AA. communiter. Jam vero Deus olim, tam in lege scripta, quam Evangelica dispensavit, ut dictum, tam in matrimoniis consummatis, quam ratis, permittendo ea solvi.

4. Resp. quarto: Indissolubilitas omnimoda (intellige respectu potestatis humanæ) inter fideles non provenit ex eo, quod matrimonium sit Sacramentum; quia etiam matrimonium ratum est Sacramentum, & tamen est solubile etiam potestate humana Papæ in sententia valde probabili. De quo paulo post. Neque ex eo, quod sit Sacramentum perfecte significans unionem Verbi cum natura humana, seu cum Ecclesia per Incarnationem, quæ perpetua est, & nunquam solvenda, ut Pirh. num. 40. Laym. loc. cit. num. 2. & 3. nam ex eo tanquam a posteriore convincitur esse indissolubile omnimode, ut Castrop. §. 2. num. 4. ergo non ideo, quia dictam unionem Christi significat, est indissolubile, quasi hæc esset ratio a priore, & in qua fundaretur dicta indissolubilitas; sed quia indissolubile omnino est, ideo dictam unionem Christi significat; adeoque illam indissolubilitatem habet aliunde, nempe a præcepto divino juri naturali superaddito, quod nimirum Christus in lege Evangelica tulit. Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; tulitque hoc ipsum præceptum Christus, seu illam illius indissolubilitatem omnimodam voluit, ut aptius dictam unionem cum humanitate vel Ecclesia significaret. Unde etiam, ut bene ait Castrop. cit. §. 2. num. 1. non congruebat (stante nimirum illa Christi voluntate sineque ab eo intento) concedi Papæ ulli ve alteri homini potestatem solvendi illud, etsi de cætero absolute loquendo potuisset delegari dicta potestas; cum in eo ipse Christus dispensare poterat. Neque hucusque dictis de indissolubilitate matrimonii opponas illud Christi *Matth. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: Unde sequi videtur, posse uxorem ob fornicationem vel adulterium ab ea commissum dimitti, ac ita solvi matrimonium & aliam duci. Nec responderi solet, Christum tantum loqui de dimissione uxoris quo ad thorum & cohabitationem, ita ut sensus sit, fornicationem esse justam causam dimittendi uxorem, seu separandi se ab ea quo ad locum. Pirh num. 41. citato Sanch. lib. 10. d. 1. numer. 3. ac ita congruit cum illo *Marc* 10. & *Luc.* 16. v. 18. ubi absolute dicitur: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro* (intellige etiam ob fornicationem) *duxerit, mœchatur*. De quo plura infra.

QUÆSTIO CCLXXVI.

An de facto Pontifex saltem ob causam gravissimam dissolvere possit matrimonium ratum fidelium, ita ut utrique parti relinquatur liberum inire aliud matrimonium.

1. Resp. non convenire in hoc AA. sententia id affirmans est communior, quam tenent Abb. in cap. ex publico de convers. conjugator. num. 14. Nav. in man. num. 22. n. 21. Suar. Tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 17. num. 21. Pirh. n. 142. Cajet. Tom. 1. opusc. tract. 18. quæst. unic. Vasq. 1. 2. d. 265. cap. 7. Less. lib. 2. cap. 40. num 146. Gutt. de matr. cap. 53. num. 3. Sanch. lib. 2. d. 14. num. 2. Hurt. d. 8. de matr. diff. 3 num. 11. Laym. loc. cit. cap 6. num. 4. dicens, hanc esse Canonistarum in cap. ex publico. Gobat in Theol. experim. tr. 10. num. 691. dicens, contrarium sine Sedis Apostolicæ contumelia defendi non posse. Rationes hujus sententiæ sunt, quod Pontifices dispensarint quandoque in matrimonio rato; puta Paul. III. Pius IV. ter quaterve Gregor. XIII. una die undecies teste Henriq. lib. 11. cap. 8. numer. 11. in Gl. lit. F. Innoc. X. cum homine plebejo sine causa bonum publicum spectante apud Gobat. loc. cit. & alii apud Dian. part. 8. tr. 1. resol. 62. illos autem in hoc errasse & invalide egisse, & juris divini ignaros fuisse, dici nequeat sine temeritate, ut inquit Valent. 3. p. d. 10. quæst. 1. p. 7. quin &, ut Veracrux in specul. part. 2. art. 27. de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est; esset enim quasi improbrare Christo, quod non satis providisset Ecclesiæ. Item ex eo; quod Papa relaxare possit votum & juramentum, dispensare in professione religiosa, ut Theologi & Canonistæ passim. Et pluribus exemplis ostendit Barb. in cap. cum ad monasterium de statu Monach. num. 13. qua professione infirmius est matrimonium ratum, cum per eam dissolvatur. Quod matrimonium non sit omnino indissolubile, nec in ratione contractus, nec ob rationem Sacramenti, aut significationem, qua significat conjunctionem Christi cum anima per caritatem & gratiam, quæ dissolubilis est. Ac denique, quod potestas ligandi & solvendi Ecclesiæ concessa, utpote favorabilis saluti animarum, sit extendenda, quantum licet, nisi obstet jus divinum, quale hic non est, in quo proprie ac directe sit dispensandum a Papa solvente matrimonium ratum; siquidem sicut in voto & juramento, quod relaxando non tollitur, aut remittitur jus Deo quæsitum, sed tollitur ipsum votum & juramentum, seu vinculum obligationis illius erga Deum per potestatem concessam a Deo Ecclesiæ solvitur; ac ita indirecte aufertur lex illa divina de voto observando; ita in præsente Papa directe dispensando in contractu illo humano matrimonii, seu tollente ejus vinculum, quod est fundamentum obligationis juris illius divini & naturalis, tollitur indirecte lex illa divina, jubens vinculum matrimonii, etiam nondum consummati, perpetuo subsistere, præterquam si Ecclesiæ dissolventis authoritas accedat. Ita Laym. Verum licet hanc sententiam probabilissimam dicat Castrop. loc. cit. §. 2. num. 3. ipse tamen contrarium censet verius & doceri fere ab omnibus Theologis astruit, citans Sotum in 4. d. 32. q. 1. Bonavent. d. 27. art. 3. quæst. 2. Pont. lib. 9. cap. 3. num. 3. Valent. &c. ad quos ex Canonistis accedunt Turrecrem. in cap. sunt qui dicant 27. quæst. 2. art. 3. num. 5. Alex. in cap. mat. de sponsa duor. num. 14. Covar. Gutt. apud Krimer. in 4. decret. n. 1621. Potissima ejus ratio est, quod, cum matrimonium, sive ratum, sive consummatum, jure divino & naturali sit insolubile; nequeat, nisi Deo concedente dissolvi, prout dicitur in cap. ex parte de convers. conjug. il 2. ubi Joannes III. *Ex quo matrimonium inter legitimas personas contrahitur, in nullo casu illis viventibus dissolvi potest, nisi forte factum fuerit ex revelatione divina &c.* ex nulla autem traditione aut ullo textu constet, Deum Pontifici concessisse hanc facultatem. Dici autem non possit, quod ibi Papa loquatur de matrimonio consummato, cum nullum verbulum hoc indicet, sed omnino contrarium clare indicetur, dum dicitur: ex quo matrimonium contrahatur. Quod autem ad diluendum hoc dicitur ab Adversariis de dispensatione indirecta, quæ fit per sublationem directam vinculi, idem applicari posse videtur ad dispensandum pariter in matrimonio consummato, quod Adversarii non admittunt. Addunt & aliam rationem Castrop. & Pont. nimirum, quod si ob aliqua inconvenientia solvi a Papa possit matrimonium ratum, posset etiam ob eadem occurrentia in matrimonio consummato & illud solvi; cum matrimonium consummatum in substantia, essentia, vel integritate superaddat matrimonio tantum rato, nisi quod nihil dicat copulam & usum matrimonii, quæ non pertinet ad matrimonii substantiam & integritatem, & usus rei non faciat in utente majus & fortius jus, quam in non utente re sua, adeoque matrimonium non reddat magis indissolubile. Sed nec ideo magis indissolubile, quia significat unionem Verbi cum natura humana vel Christi cum Ecclesia; cum, ut dictum, non habeat indissolubilitatem ab hac significatione. Quanquam, ut Pont. lib. 1. cap. 11. a num. in fatis dubium, an non etiam matrimonia rata fidelium ad hanc unionem significandam assumpta; cum etiam in plurium sententia matrimonium consummatum infidelium hanc significet; quin imo matrimonium in primæva sua institutione. Ac denique esto, matrimonium ratum assumptum non sit ad illam unionem significandam, sed solum unionem Christi cum anima per gratiam; ad summum enim inde inferre licet quasi a posteriore, solvi illud quandoque posse, scilicet per ingressum in religionem, Deique dispensatione, non tamen ex dispensatione Papæ.

2. Ad primam autem rationem Adversariorum respondet Castrop. ex eo, quod Pontifices adhærentes priori sententiæ dispensarint quandoque in matrimonio rato, non convinci, certum esse, Pontificem habere hanc potestatem; sed solum esse valde probabile, sufficereque probabilitatem oppositæ sententiæ, ut Pontifices dispensando secure, tutaque conscientia procedant, nullumque errorem in praxi committant, tametsi speculative loquendo errent, quod non est inconveniens, cum error non sit de jure, sed de facto, & non communi, sed particulari, veruntamen non video, cur reipsa non intercedat hic error juris, quæstio enim juris est, an Papa habeat a Christo potestatem solvendi matrimonia rata, circa quam utique errant, judicando se eam habere, si reipsa non haberent. Adde quod error ille practicus esset valde nocivus, & traheret secum maxima inconvenientia, dum Pontifices carentes ea potestate invalide dispensando existerent occasio adulteriorum materialium, quæ committerentur a talibus ineuntibus alia matrimonia, utpote invalida. Ad argumentum desumptum a relaxatione voti & juramenti respondent negando paritatem, eo quod per dissolutionem illam matrimonii directe relaxetur lex illa divina: quod Deus conjunxit, homo non separet: quæ gratis dicitur intelligenda de matrimonio consummato; cum juncta testimonio Papæ in cit. cap. ex parte, quod matrimonia, ex quo contracta, solvi non possint sine revelatione Dei, satis probat,

divina

divina lege prohiberi dissolutionem matrimonii etiam rati tantum ab homine, nisi id habeat Dei revelatione, quæ sane revelatio non includitur in potestate ligandi ac solvendi concessa a Christo Pontifici. Econtra a Papa relaxando votum vel juramentum directe non mutetur aut relaxetur lex divina; eo quod qui remittit debitum justitiç non relaxat aut solvit jus naturale, dictans, jure debitum esse persolvendum, quamdiu non est solutum vel remissum, cum remisso debito jus naturale persistat ut ante, & solum indirecte tollitur ejus applicatio ad hoc subjectum, sita in debito nondum soluto vel remisso. Pari modo lex divina præcipiens reddi Deo, quod ei voto promissum est, remisso voti debitu salva persistat, & solum hic & nunc eum, qui votum emisit, & ex eo contraxit debitum, non obligat, quia hoc ei remissum. Posse autem Papam ejusmodi debita, quæ homo contraxit promissione Deo facta remittere potestate vicaris, ex ipsa potestate, qua Christus eum suum in terris constituit Vicarium, recte infertur. Ad argumentum desumptum a professione religiosa dicunt eorum aliqui, Castrop. sentiente contrarium, cum Barb. *in cap. ex publico num.* 10. citatisque ab eo Scoto, Soto, Victoria, Corduba &c. non solu jure Pontificio per professionem solvi matrimonium ratum, sed, quod ea dirimat matrimonium, esse ea Christi privilegio, adeoque ex jure divino positivo. Sed de hoc paulo post. Ad hæc dicunt, non recta argui a potestate solvendi professionem religiosam, seu votum solenne ad potestatem solvendi matrimonium ratum. Rationem disparitatis dant; quod in professione fiat traditio religioni, quam acceptat Prælatus religionis, quo non acceptante, ista vota non obligant; Papa autem sit ordinarius, cui tanquam superiori religionis fit quoque illa traditio, qui proinde potest eam rejicere, vel etiam acceptatam semel remittere, qua rejectione vel remissione posita, cessat obligatio status religiosi. Ad illud, quod dicunt, pro licito & valido semper præsumi factum superioris etiam in dubio positivo, respondent, plus hinc non inferri, quam quod sententia affirmans sit probabilissima, & in praxi, ut Pontifices bona fide possint dispensare, omnino tutam, non tamen quod sit omnino certa; cum præsumptio juris de jure reipsa possit esse falsa. Ad illud denique, quod ex Matth. de Moya *tr.* 1. *de opin. prob. cap.* 9. *num.* 25. & Sylv. *v. votum* 4. *numer.* 5. & aliis affertur, nimirum quod quando circa rem, quæ est juris divini duæ dantur sententiæ probabiles, una negans, altera concedens Papæ potestatem valide dispensandi, Papa post adhibitam maturam utriusque sententiæ considerationem, præviumque Theologorum examen diligens & accuratum, auditis etiam Cardinalium votis se ad unam partem determinaret, hæc Pontificis determinatio canonizata maneret, & ad eum certitudinis gradum ascenderet sententia, quam amplectitus, ut contraria nullam amplius haberet probabilitatem; haberetque tunc dispensatio a Papa facta vim statuti; adeoque sicut post maturum consilium Pontifex statueret, ac vere definiret, licere sibi, seu posse se in hoc dispensare, necessario standum esset hujusmodi statuto, sic etiam tali ejus facto. Ad hoc, inquam, respondent Castrop. & Pont. negando ipsum, nimirum illud factum Pontificium, toties etiam repetitum, adducere sententiam illam ad tantam certitudinem, quantam ipsi adversarii ei tribuunt, multoque minus æquivalere statuto, seu definitioni Papali qua tali, seu qualem faceret Papa loquens ex Cathedra. De quo vide Pont. *lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 4. ubi ostendit, ab Alexand. III. *in append. Concil. Lateran. p.* 6. *cap.* 8. reprobatum quorumdam prædecessorum judicium de potentia dissolvendi matrimonium ratum. Nihilominus relatis his utriusque sententiæ fundamentis, spectata praxi, standum esse pro summorum Pontificum potestate, reverentia exigit.

QUÆSTIO CCLXXVII.

Num posito, Papam posse dissolvere matrimonium ratum, possit idipsum quoque licite & valide, ubi non adest causa rationabilis & justa.

RESP. Non tantum ad hoc, ut licite dispenset, sed etiam ad valorem talis dispensationis seu dissolutionis matrimonii requiritur causa justa. Sanch. *lib.* 2. *d.* 15. *num.* 6. Pirh. *ad tit. de despons. & matr. num.* 145. dicens sic docere communiter Theologos & Canonistas apud Tanner. *d.* 8. *dub.* 4. *nu.* 68. eo quod in jure naturali ac divino, ex quo oritur indissolubilitas matrimonii, etiam rati tantum, nec licite nec valide, uti nec in voto simplici, nisi adsit causa justa, dispensare potest; cum in his non sit dominus, sed dispensator. Porro causæ justæ dissolvendi matrimonium ratum sunt gravis timor scandalorum magnorum futurorum, lepra superveniens uni conjugum, & similes, quas vide apud Sanch. *lib.* 2. *d.* 16.

QUÆSTIO CCLXXVIII.

An dissolvatur matrimonium ratum fidelium per susceptionem ordinum sacrorum.

RESP. negative. Sanch. *lib.* 2 *d.* 18. Castrop. *de sponsal. d.* 3. *part.* 2. *§.* 4. *num.* 1. cum communi omnium juxta expressam decisionem *extrav. antiqua*. Joan. XXII. de voto.

QUÆSTIO CCLXXIX.

An & qualiter dissolvatur matrimonium ratum per vota simplicia, & professionem religiosam.

1. RESP. ad primum: Per emissionem votorum, quibus nec solennis professio constat, nec verum religiosum constituunt, matrimonium ratum non dissolvitur. Sanch. *loc. cit. num.* 9. Castrop. *loc. cit.* Gutt. *de matr. cap.* 54. *num.* 6. uti id constat ex *cit. Extrav.* Hinc vota emissa a quibusdam tertiæ regulæ S. Francisci, & S. Dominici, quæ solennia non sunt, nec religiosum proprie constituunt, matrimonium ratum non dissolvunt. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *num.* 4. Gutt. *nu.* 2. Ponc. *lib.* 9. *cap.* 8. Secus est de votis simplicibus emitti solitis in Societate post biennium novitiatus, quæ verum religiosum constituunt, prout definit Gregor. XIII. in sua Bulla, quæ incipit: *Quanto fructuosius edita anno* 1582. hæc enim non tantum matrimonium contrahendum tanquam impedimentum dirimens impediunt, prout idem Gregor. in Bulla. *Ascendente Domino*; sed & matrimonium contractum ratum tantum dirimunt; cum sint professio religiosa, etsi non solennis, constituantque verum religiosum, quantum est ex parte illius, perpetuo adstrictum ordini. Ac ita supponit Castrop. cum aliis, dum ait, emissione votorum, quibus nec solennis professio constat, nec verus religiosus constituitur, non solvitur matrimonium ratum; hinc etiam a contrario infertur: ergo emissione votorum, quibus constituitur vel solennis professio, vel saltem verus religiosus, dirimunt matrimonium. Quod autem quædam jura non nisi professionis solennis meminerint quoad efficaciam illam solvendi matrimonium, inde est, quod illo tempore, nulla professio seu nulla vota constituebant verum religiosum nisi solennia. Quodque etiam alii Pontifices non meminerint nisi professionis regularis non expresso verbo *solennis*, inde est, non quod votis simplicibus tribuant eam efficaciam, sed quod eo tempore nulla vota nisi solennia constituebant professionem.

2. Resp. ad secundum: Matrimonium ratum dissolvi per professionem religiosam solennem, tenent Catholici omnes, prout decisum est in *cit. Extrav. & in cap. ex parte tua de convers. conjug.* ac novissime per Trid. *Sess.* 24. *can.* 6. ubi: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solennem professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Unde jam, ut tenent Sanch. *loc. cit. num.* 8. Pont. *lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 3. Azor. *Tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæst.* 4. Nav. *lib.* 3. *cons. de convers. conjugat. consil.* 1. Cum equites S. Joannis seu Melitenses sint veri religiosi, per factam ab iis professionem solvitur matrimonium ratum eorum. AA. idem.

3. Resp. ad secundum secundo: Professio solennis hanc efficaciam solvendi matrimonium ratum non haberet ex se, sive seclusa Christi & Ecclesiæ institutione: ita AA. paulo post citandi contra D. Thomam in 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in corp.* Rich. *eod. dist. art.* 2. *quæst.* 2. Covar. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 7. *§.* 4. *num.* 7. Bellarm. *lib.* 2. *de monach. cap.* 38. & alios apud Sanch. *lib.* 2. *d.* 19. *num.* 1. hac ductos ratione, quod dicta professio constituat statum perfectiorem & repugnantem cum matrimonio, sitque mora spiritualis. Quæ ratio si valeret, haberet quoque professio religiosa vim dirimendi matrimonium consummatum, inessetque statui clericorum majorum ordinum, & vel maxime Episcopali, utpote statui perfectiori. Ad hæc (quæ est ratio a priori responsionis) professio religiosa consistere potest cum matrimonio non solum rato, sed & consummato, ut patet, dum ex consensu conjugis vel facto divortio, alter conjugum profitetur, minime per hoc soluto matrimonio: ergo professio ex se, seu natura rei illud non dirimit.

4. Resp. ad secundum tertio: Neque videtur habere vim hanc ex jure divino positivo a Christo immediate statui religioso eam concedente, ut docent Sanch. *de matrim. lib.* 2. *d.* 19. *num.* 3. Gutt. *de matrim. cap.* 54. *num.* 8. Pont. *lib.* 9. *capit.* 5. hac nixi ratione, quod dissolutio matrimonii rati esse non

possit

possit nisi a Christo, vel immediate, vel mediante ejus authoritate immediate a Papa. Jam vero nullibi seu ex nullo jure positivo ecclesiastico constat, Christum hanc authoritatem dissolvendi matrimonium per professionem religiosam potius, quam per statum clericalem aut cælibatum concessisse Papæ: ergo. Ad quam tamen rationem respondent AA. citandi pro *seq. resp.* cur potius concessa Papæ potestas dissolvendi matrimonium per professionem, quam per statum ordinis sacri, aliumve perfectiorem, id quidem ex jure scripto colligi non posse, colligi tamen satis posse ex facto ipso juncta traditione Ecclesiæ, hanc virtutem restrictam ad solam professionem religiosam. Ita Castrop. *cit. part.* 2. §. 4. *num.* 4. Verumtamen nec hæc responsio omnino sufficit, aut probat intentum; cum etsi bene ex ista traditione, adjunctis tamen etiam variis juribus colligatur, & probetur, inesse hanc efficaciam professioni religiosæ præ aliis statibus, non tamen exinde colligi potest, inesse illam ei immediate a Christo. Unde

5. Resp. ad secundum quarto; Probabilius docere videntur Castrop. *loc. cit. num.* 5. Laym. *lib.* 5. *sum. tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *a num.* 5. citatique ab iis Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8. *nu.* 69. ConincK *d.* 26. *dub.* 3. *concl.* 4. *num.* 37. Hurt. *d.* 8. *diff.* 4. *num.* 17. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 9. *cap.* 6. *per tot.* maxime *a num.* 10. Medin. *de sacror. hom. continent. lib.* 5. *cap.* 86. *& seq.* Host. *in cap. ex publico de convers. conjug. v. consummatum*. Jo. And. *ibid. n.* 9. *&c.* vim illam dissolvendi matrimonium ratum professioni religiosæ provenire immediate ex Jure Pontificio, seu authoritate Papæ ei communicata a Christo, colligique idipsum ex traditione Ecclesiæ, eaque ratione, quod docuerit Christum relinquere Vicario suo potestatem instituendi statum aliquem perfectionis, indita ei virtute dissolvendi matrimonium ratum. Quod ipsum etiam hac ratione probat Laym. Si matrimonium ratum solveretur jure naturali, aut divino per vota solennia, etiam jure naturali aut divino solveretur per vota simplicia; cum votorum solennium & simplicium discrimen solo Jure Pontificio sit introductum, sed vota simplicia non dirimunt matrimonium, ut constat ex *cap. unic. de voto in* 6. Confirmat idem Castrop. hac ratione: Professio religiosa, quod dirimat seu impediat matrimonium contrahendum habet mere ex Jure Pontificio (unde aliquando in Societate professio religiosa votorum simplicium non fuit impedimentum dirimens, sed talem effectum a tempore Gregor. XIII. per Bullam: *Ascendente Domino*) ergo etiam quod dirimat matrimonium contractum, habet a Jure Pontificio. Ad quæ tamen non incongrue responderi potest; imprimis ex eo, quod Christus concesserit Papæ potestatem instituendi statum, per quem solveretur matrimonium, non bene argui, quod etiam concesserit illi potestatem indendi eidem vim illam solvendi matrimonium; sicut ex eo, quod Christus reliquerit Ecclesiæ potestatem designandi & determinandi aliquorum Sacramentorum materiam, non bene infertur, concessisse etiam eidem potestatem indendi illi materiæ vim practice significandi gratiam; sed sicut ipse Christus per se elevavit ad hoc designatam materiam illam, sic etiam institutam statum illum per se elevavit ad efficaciam illam solvendi matrimonium; dein ab efficacia illa dirimendi matrimonium contrahendum ad efficaciam dirimendi matrimonium contractum non recte infertur, non tantum ex eo, quod posterius, nimirum dissolvere matrimonium contractum sit quid majus, quam impedire ne contrahatur; sed vel ex eo, quod professio religiosa non secus ac clandestinitas, quod sit impedimentum dirimens, non habeat ab intrinseco sive ab efficacia sibi indita, sive immediate a Christo, sive ab Ecclesia seu Papa, sed veluti ab extrinseco, nimirum ab *Ecclesia* inhabilitante tales personas, nempe professos ad contrahendum valide matrimonium, ipsumque talem contractum irritante; professio vero vim solvendi matrimonium habeat sibi intrinsecam; denique non multum ad rem facere videtur, quod solennitas votorum sit immediate a Jure Pontificio; cum vota solennia, non quia solennia sunt, sed quia constituunt statum religiosum solvunt matrimonium, ut patet in votis simplicibus Societatis, quæ etsi solennia non sint, quia tamen constituunt verum religiosum, solvunt matrimonium ratum; quibus proinde, quam primum a Papa elevata sunt, ad constituendum verum religiosum, dicta efficacia indita censetur, ab eo, qui illam statui religioso indidit; non secus ac accidit in contractu civili matrimoniali, cui, quam primum elevatus est ad rationem Sacramenti, indita est vis causandi gratiam.

QUÆSTIO CCLXXX.

Quantum tempus & qualiter concessum conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu.

1. RESP. Post matrimonium contractum, & non consummatum conceduntur conjugibus duo menses ad deliberandum de ingressu religionis, ita ut intra tempus illud non teneantur reddere debitum, ut constat ex *cap. ex publico, de convers. conjug.* circa quæ plura notanda. Primo, duos illos menses concessos non ad ingressum religionis cum effectu seu ad professionem, ut Abb. *in cit. cap. ex publico num.* 2. Nav. *cap.* 16. *num* 27 & alii; sed ad ingressum in novitiatum seu assumptionem habitus; ita ut conjux manens in sæculo, antequam ad aliud matrimonium transire possit, exspectare debeat toto novitiatus tempore, adeoque anno uno, vel etiam duobus, prout ordo unum tantummodo annum vel biennium habet, novitiatus, ita ut tempus hoc ex voluntate conjugis arctari seu abbreviari non debeat nec possit. Sanch. *lib.* 2. *de matrimon. d.* 24. *num.* 4. Gutt. *cap.* 54. *num.* 11. Pont. *lib.* 9 *capit.* 9. *num.* 2. Castrop. *cit. part.* 2. §. 5. *num.* 2. Layman *loc. cit. sub num.* 3. Unde etiam infertur, quod, si conjux mox, ut attigit annos pubertatis, ingrediatur, debere alterum exspectare usque ad annum 16. ætatis, ante quem is professionem emittere nequit. Sanch. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Item quod si conjux accipiat & admittat monasterium in commendam, in quo casu tenetur post sex menses ibidem profiteri, juxta præscriptum Trident. *sess.* 25. *cap.* 21. debere alterum exspectare per dictos sex menses.

2. Secundo, bimestre hoc computandum a die contracti matrimonii duobus mensibus communiter occurrentibus completis, Sanch. *num.* 3. Castrop. *num* 4. Pont. *num.* 3. cum communi; quod autem *cit. cap. ex publico*, bimestre illud computatum non fuerit a die contracti matrimonii, sed a die per Judicem designato, ideo factum, quia mulier illa prætendebat matrimonium esse nullum, adeoque a die, quo illud declaratum validum, designatum illi bimestre.

3. Tertio, posse hoc bimestre authoritate Judicis abbreviari vel prorogari, cum communi, ut Castrop. *num.* 5. affirmant Sanch. *num.* 12. Gutt. *num* 16. Pont. *n.* 8. *& seq.* eo quod bimestre hoc licet a lege præscribatur, ministerio Judicis imponendum; tempus tamen a lege præscriptum & vel maxime imponendum per Judicem, ab eo ex causa urgente coarctari vel prolongari potest. Pont. *num.* 8. Mol. *de primog. lib.* 2. *cap.* 14. *num* 19. juxta *l. qui pro tribunali, de sent. & re judic.* & *ibi* Bart. *num.* 4.

4. Quarto; Quamvis transacto illo bimestri vel alio tempore a Judice præfinito, teneatur conjux conjugi reddere debitum (potestas enim conjugi per matrimonium acquisita in corpus conjugis restringi non debet ultra, quod restrictio talis legitimo jure fundata est) non tamen ita arctari conjugem ad reddendum debitum, consummandumque mox ab elapso tempore matrimonium, quin possit adhuc, si velit, ingredi religionem, eo quod, quamdiu consummatum non est matrimonium, electio status religiosi concedatur, docet Castrop. *num.* 6. citatis Sanch. *lib.* 2. *cap* 24. *num.* 27. Gutt. *c.* 54. *num.* 19. ConincK *d.* 16. *dub.* 94. *num.* 49. Hurt. *d.* 8. *diff.* 8. *numer.* 30. *&c.* quod tamen ita intelligendum crederem, si intra illud bimestre seu tempus præfinitum resolvisset se plane ad ineundam religionem, & mox ab illo occuparetur in ea petenda; si enim ultra illud tempus pro deliberatione statutum prætextu ulterioris deliberationis differri posset pro libitu consummatio, sane crearetur per hoc alteri conjugi magnum præjudicium; unde etiam sicut ingrediens religionem, si ibidem profiteri renuat, & aliam amplecti velit, ne conjugi relicto præjudicium creetur, potest Judex compellere præfixo termino, ut in una religione profiteatur, vel ad conjugem redeat, ut Castrop. *num.* 3. Con. *d.* 26. *dub.* 4. *num.* 45. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 8. Sanch. *d.* 24. *num.* 9. Pont. *cit. cap.* 9. *num.* 10. *&c.* ita quoque Judex poterit compellere præfixo termino, ut novitiatum ingrediatur vel maneat cum conjuge, eique petenti debitum reddat, quare illud, quamdiu consummatum non est matrimonium, conceditur electio status religiosi; verum est, dum alter conjux non petiit & voluit; quod si tamen, ut expresse Layman *loc. cit.* citatis Gloss. *in cit. cap. ex publico vers. intra duorum*. Sylv. *vers. votum* 5. *quæstion.* 3. *dicto* 3. Sanchez *loc. citat. num.* 27. vel sic injuste negato debito, transeat ad religionem, revocari non poterit.

5. Quinto, quod si intra hoc tempus a jure vel Judice concessum maritus conjugem deliberantem de ingressu religionis per vim opprimat, matrimonium quidem reddi indisso-

lubile

lubile quo ad vinculum, quippe per veram copulam consummatum, posse nihilominus uxorem invito etiam marito ingredi religionem & in ea profiteri, nisi, forte aliunde V. G. propter educationem prolis, prohibeatur, probabile esse, affirmat Laym. *loc. cit.* & sic doceri testatur a Sanch. *d. 22. numer.* 26 ConinK *loc. cit. dub. 4. concl. 7.* Rodriq. *in sum. Tom. 1. cap.* 239 *concl. 2.* Sylv. *loc. cit.* & aliis apud Abb. *in capit. 2. de convers. conjug. in fine*, aliia tamen apud Sanch. *num. 5.* docentibus contrarium; eo quod nemo sine culpa privari debeat jure suo quæsito, quale habet uxor, ut libera a reddendo debito intra bimestre ingredi possit religionem, nemo item ex sua iniquitate commodum referre potest, aut dolus ei patrocinari.

6 Sexto, dictum bimestre concedi omnibus conjugatis, tametsi de religione ineunda non cogitent, aut etiam propositum eam non ingrediendi habeant; adeoque non teneri ad reddendum intra illud debitum, tenent Sylv. *v. debitum quæst. 1. cauf.* 4. Rosel. *ibid num* 2. Pont. *lib. 9. cap. 9. numer. 7.* Sanch *lib. 2. d.* 24. *num.* 25. & apud hunc plures; eo quod etsi illud propositum non habeant, possent tamen illud interea habere, & ut, dum desideria dilata crescunt, postmodum cum majore affectu conjungantur; ob quas rationes hoc bimestre concessum esse, ajunt cum Gloss. *in cap. conjugis 27. quæstion. 1. v. primum.* Contrarium tamen probabilius & verius sentiunt Laym *loc. cit.* Castrop *loc. cit. num 7.* citatis Angel. *v. debitum num.* 14. Con. *loc. cit. num* 43. Hurt. *loc. cit.* eo quod e puncto contracti matrimonii conjuges teneantur sibi invicem reddere debitum, nisi Jure Pontificio ob bonum aliquod religionis aliquo tempore suspendatur hæc obligatio, jam vero nullis aliis conjugibus invenitur suspensa, nisi iis, qui de religionis ingressu cogitant seu deliberant; cum nullibi, nisi in *cit. cap. ex publico*, illud bimestre concedatur, & ibi id solum concedatur conjugi, si ad religionem transire voluerit,

QUÆSTIO CCLXXXI.

An matrimonium ratum infidelium durante utriusque infidelitate solvi possit.

RESp. Negative, Castrop. *cit. part. 2. §. 3. num. 1.* Pirhing *ad tit de sponsal. num* 146. cum communi, imprimis enim non magis solvi potest mutua conjugum volnntate, quam matrimonium ratum fidelium, ut constat ex dictis; dein neque authoritate Principum, quibus subsunt infideles, cum hi nullam ad hanc dissolutionem a Deo potestatem acceperint; neque denique authoritate Papæ; cum hæc dissolutio sit actus aliquis jurisdictionis; jurisdictio autem & potestas Papæ se non extendat extra Ecclesiam, juxta illud Pauli 1. *ad Cor. 5 quid mihi de iis qui foris sunt, judicare*, contrarium est de matrimoniis hæreticorum, vide Tanner. *loc. c. dub. 4. num. 72.*

QUÆSTIO CCLXXXII.

An matrimonium infidelium etiam consummatum, dum utrque ad fidem convertitur, possit solvi authoritate Pontificis, intercedente justa causa.

RESp. affirmativam teneri a Sanch. *lib. 2. d. 17. num. 2.* Nav. *lib. 3. de consi. de convers. infidel. consil. 1. alias 3. in solut. ad 2. dub. num. 12.* Pirh. *loc. cit.* eo quod matrimonium infidelium, etiam consummatum, cum non sit Sacramentum, nequidem habeat eandem firmitatem, quam matrimonium ratum fidelium, quod in sententia probabili solvi potest a Papa. Sed neque obstante, quod post susceptum Baptismum ab iis fiat Sacramentum; cum, nisi post Baptismum denuo habita copula fuerit consummatum, reputetur adhuc tanquam matrimonium ratum fidelium, non attenta illa consummatione facta ante Baptismum, ita Pirh. Negativam tanquam probabiliorem & veriorem tenent Castrop. *loc. cit. num. 2.* ConincK *d. 26 dub. 5. num.*66. Pont. *lib. 9. cap. 4. numer. 15.* Azor. *part. 2. lib. 5. cap. 2. §. his positis &c.* eo quod jam sit matrimonium fidelium consummatum (etsi consummatio tantum contigerit ante Baptismum) quod in nullo casu est solubile a Papa. Et esto non sit, seu efficiatur post Baptismum Sacramentum, quod plures probabiliter negant cum D. Thom. *in 4. d 29. quæst. 1. art. 1. ad 1.* ubi dicit matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habitu. Sanchez *lib. 2. d. 9. numer. 5.* Tanner. *Tom. 4. d. 8. quæst. 2. dub. 3. num. 51.* quos citat & sequitur Pirh. *de divort. numer. 41.* censentes effici Sacramentum, etiam non accedente novo consensu explicito, sed sufficiente consensu virtuali & implicito, quem actu habent, dum intendunt baptizari; adeoque virtualiter, & implicite volunt, ut matrimonium prius contractum significet unionem Christi cum Ecclesia, ita ut hic consensus eo signo Baptismi expressus sit nova materia, & forma hujus Sacramenti, & quamvis alias ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui nunquam fuerunt conjuges, non sufficiat istiusmodi consensus implicitus & interpretativus, sufficiat tamen ad matrimonium illud, quod non est omnino novum, quo ad substantiam, sed solum quasi novum in ratione Sacramenti. Esto, inquam, non sit, aut efficiatur post Baptismum Sacramentum, adeoque nec aptum ad significandam illam Christi unionem cum Ecclesia per assumptionem carnis, nullus tamen adhuc est casus, in quo a Christo concedatur potestas dissolvendi matrimonium consummatum qualecunque, ad hæc tale matrimonium a priori, ut dictum in antecedentibus, non desumit illam suam indissolubilitatem a ratione Sacramenti, aut dictæ significationis.

QUÆSTIO CCLXXXIII.

An & qualiter solubile aut solvatur matrimonium infidelium, uno eorum converso ad fidem.

1. RESp primo: Solvitur matrimonium infidelium etiam consummatum quo ad vinculum conjugale, uno eorum converso ad fidem, altero renuente converti, non nisi in triplici hoc casu; primo dum infidelis discedit, respuens omnino convictum & cohabitationem cum conjuge fideli, adeoque facit discessionem physicam; idque non ob aliam causam legitimam, quam quia conjux ad fidem conversus est, *cap. quanto cap. gaudemus h. t. il cap. simili modo cap. si uxor. 28. quæst. 1.* secundo; dum quidem non facit discessionem physicam, quia vult cohabitare; facit tamen discessionem moralem, quia non vult ei cohabitare sine contumelia creatori irrogata, quod facit, si Deum vel Christum blasphemat, ejus nomen despicit, ejus laudes prohibet, conversionem domesticorum impedit, prout deciditur in citatis textibus & *cap. infidelis 28. quæst. 2.* Tertio, si conjugem factam fidelem, inducit ad peccandum mortaliter, aut ejus convictus cedit in perniciem animæ fidelis; irrogatur enim & tunc indirecte injuria creatori. Tunc autem, ut Pirh. *h. t. num. 35.* ex Sanchez *lib. 7. de matrimon. d. 74. num. 6.* censetur a fideli pertrahi ad peccandum, quando fidelis, attenta sua fragilitate, exponitur periculo lapsus in peccatum, sive levi suasione, sive violenta & importuna suggestione infidelis. In his tribus eventibus solvitur tale matrimonium ex Christi dispensatione promulgata ab Apost. 1. *ad Cor. 7.* his verbis: *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti* (id est, conjugii vinculo, ut Castrop.) *subjectus est frater, aut soror, convergit*, quin possit ad alia vota transire &c. de utraque autem discessione, tam physica, quam morali loqui Apostolum, satis constat ex citatis textibus.

2. Resp. secundo: Extra hos tres casus, dum nimirum infidelis manens in sua infidelitate, non vult discedere a fideli converso, neque tamen etiam ejus cohabitatio cedit in contumeliam creatoris, aut est fideli occasio, & incitamentum ad peccandum, non solvi matrimonium tale, ut fidelis inire possit aliud matrimonium, probabiliter tenent Castrop. *loc. cit. num. 9.* citatis Sylv. *v. matrimonium 8. quæst. 10. dicto 6.* Navar. *cap. 22. num. 49.* Tolet. *lib. 7. sum cap. 7. num. 7.* Valent. *de matrimon. d. 10. quæst. 1. part. 2.* & alii apud Sanch. *lib. 7. d. 74. num. 8.* prout colligi putant ex illo Pauli *loc. cit.* ubi consulit, ne fidelis infidelem dimittat, si infidelis velit cum eo pacifice & sine injuria creatoris habitare, quinimmo dicat, mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem, & e contra, unde etiam asserit Pirh. *h. t. num. 46.* quod si infidelis repudiata uxore (intellige tempore infidelitatis) duxerit aliam, etiam post Baptismum, debeat hanc dimittere, & adhærere repudiatæ, nisi hæc renuerit habitare cum eo; quia per tale repudium non fuit solutum vinculum matrimonii, utpote gentibus non concessum, etsi concedatur, concessum Judæis; cujus contrarium, dum defendunt Sanchez *loc. cit.* Henriq. *lib. 11. cap. 8.* Rebell. *de oblig. just. part. 2. lib. 3. quæst. 10. sect. 2.* Con. *d. 26 d. 5. num. 62. &c.* ex eo, quod etsi primis Ecclesiæ temporibus posset infidelis cum fideli habitare absque contumelia creatoris vel pertractione ad peccandum, imo cum probabili spe conversionis, modo tamen, dum infidelium animi ita obstinati sunt, ut vix sit spes conversionis eorum, cum fideli habitatio cedit in contumeliam creatoris, & moraliter incitat exemplo suo conjugem & domesticos ad peccandum, fidelis possit matrimonium aliud inire;

inire; dum, inquam, ex hoc fundamento procedunt suppositionem, ut video, nostram destruunt, adeoque nihil a nobis diversum docent; de cætero asserit Castrop. *loc. citat.* nempe cessante illa contumelia Creatoris, & periculo perversionis, etsi non solvatur vinculum matrimonii, non teneri tamen fidelem infideli cohabitare, quin & consuetudine Ecclesiæ receptum, imo præceptum, ne conjux ad fidem conversus permittatur simul habitare cum infideli, *cap. Judæi 28. quæst. 1.* idque etiamsi spes subesset conversionis, ait Pirh. *h. t. num. 42.* cit. Sanchez *lib. 7. d. 73. num. 12. & 13.* Barbos. *in cap. gaudemus, h. t. num. 6.* fundato hoc præcepto in præsumptione & experientia, quæ docuit, succedentibus temporibus ordinarie non modicum perversionis periculum ex hac cohabitatione creari fideli converso; adeoque obligante hoc præcepto, si forte hic & nunc cesset tale periculum in particulari aliquo casu.

3. Resp. tertio; Tale matrimonium non statim a puncto, quo infidelis renuit converti, & cohabitare fideli sine contumelia Creatoris, sed tum prius solvitur, cum fidelis secundum matrimonium contrahit. D. Thom. *in 4. d. 39. qu. 2. art. 5.* Valent. Rebell. *LL. cit.* Castrop. *num. 5.* Coninck *numer. 63.* Sanchez *lib. 7. d. 75 num. 4.* Pont. *lib. 9. cap. 4. numer. 7.* Pirh. *h. t. num. 35.* Hurt *d. 8. de matrimon. diff. 13. num. 48* Sylv. Palud. &c. contra Gloss. *in cap. quanto h. t.* & Abb. *ibid num. 6. & 7.* Richard. *in 4. d. 39. art. 2. quæst. 2.* Rodriq. *Tom. 1. sum. capit. 250.* Angel. & alios; si enim, prout statuit & jubet Innoc. III. *in cap. gaudemus h. t.* fidelis seu conversus ad fidem compellendus est recipere uxorem ex post conversam, antequam fidelis prius conversus matrimonium aliud contraxit, manifeste infertur, vinculum prioris matrimonii solutum non esse; neque dici potest cum Gloss. *in cit. capit.* in favorem fidei matrimonium dissolutum restitui jure postliminii; cum matrimonium non nisi consenso mutuo libero perficiatur, at conversus ad fidem absque novo consensu compellitur uxorem ex post conversam recipere; si necdum ab ea contractum aliud matrimonium; neque obstant verba Apost. *loc. cit.* *si infidelis discedit, discedat, neque enim servituti* (hoc est vinculo matrimonii) *subjectus est frater conversus*, nam non vult, quod eo ipso solutum sit vinculum matrimonii, sed eo ipso illum solutum vinculo matrimonii, in quantum eo ipso non impeditur contrahere aliud matrimonium, quo contracto prius desinit, quemadmodum introductione novæ formæ præcedens expellitur.

4. Resp. quarto; ut conversus fidelis possit licite inire matrimonium aliud, debere ei constare, infidelem nolle converti; eo quod alia via illud privilegium ei non concedatur, nisi quatenus infidelis ab eo discedit; adeoque si fieri commode possit, debere eum prius moneri, consultumque esse, ut hæc monitio fiat coram testibus authoritate Judicis, ut etiam in foro externo constet de obstinata infidelis voluntate tradit Castrop. *loc. cit. num. 7.* cum Sanchez *cit. d. 74. a numer. 81.* Pont. *cit. cap. 4. num. 22.* Coninck *d. 26. dub. 5. num. 62.* sicque colligi ex literis Pii V. relatis a Sanchez, & literis Gregor. XIII. relatis a Poncio, verum tamen debere illi non tantum constare de voluntate infidelis remanendi in infidelitate sua, sed & voluntate non cohabitandi, & quidem sine contumelia creatoris & periculo peccandi, in quo consistit discessus ille physicus, & moralis, & non pure in illa voluntate remanendi in infidelitate, quæ volontas mutari potest, sequitur ex doctrina ejusdem Castrop. proposita responsione 2.

5. Resp. quinto: Dissoluto matrimonio primo per aliud matrimonium initum a fideli converso, infidelis non tantum valide (quod certum est apud omnes) sed & licite inire poterit & ipse aliud matrimonium, non secus, ac si fidelis conversus mortuus esset; cum nullo textu aut firma ratione ostendi possit, id illi prohibitum; ita tenent aliis relatis Sanchez *lib. 7. d. 77. num. 6.* Gasp. Hurtad. *d. 8. diff. 13. in fine.* Castrop. *loc. cit. num. 14.* Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 15.* cum Gl. *in cap. fin. 28. quæst. 2. v. & in matrimonium*, contra D. Thom. *in 4. d. 37. quæst. 2. art. 5. ad 3.* S. Bonav. *ibid. art. 2. quæst. 2.* Ponc. *loc. cit. num. 25.* & alios motos hac ratione non satis firma: quia jure divino arcetur a novo conjugio contrahendo, eo quod renuens peccet in Deum & matrimonium, posse tamen eum id ipsum, postquam & ipse conversus ad fidem, docent horum AA. aliqui; & ut horum alii, egere & tunc ad hoc dispensatione.

QUÆSTIO CCLXXXIV.

An matrimonium illud contractum in infidelitate solvatur quoque per susceptionem Ordinum vel per emissam professionem religiosam a fideli converso.

1. RESp. primo supponendo cum Sanchez *lib 7 d. 76. a numer. 1.* Castrop. *loc. cit. numer. 11.* & communi, non posse fidelem conversum hos status cum matrimonio incompatibiles assumere, antequam infidelis discedat physice vel etiam moraliter; post discessionem autem illam fideli cognitam, posse illum suscipere Ordines & religionem intrare, non secus ac alius fidelis innocens celebrato divortio quo ad thorum, etiam reclamante altera parte; & ita quidem, ut post susceptos Ordines, aut ingressum in religionem non sit restituendus infideli jam etiam converso ad fidem, ut Coninck *loc. citat.* Sanchez *num. 6.* Castrop. *loc. cit.* quamvis duo postremi velint, fidelem ingressum religionem, si tempore conversionis conjugis infidelis necdum emiserit professionem, restituendum illi; eo quod necdum assumpserit statum incompatibilem, & causa divortii omnino cesset.

2. Resp. secundo directe: Vinculum talis matrimonii (intellige etiam in infideli discedente physice vel moraliter) non solvi imprimis per susceptos Ordines a fideli; cum nullibi id privilegium concessum huic susceptioni, & nequidem per eos solvatur matrimonium ratum fidelium. Sanch. Castrop. cum communi, ut ajunt; quamvis dicant, contrarium teneri ab aliquibus non infimæ notæ AA. dein neque per professionem religiosam; cum nullibi quoque reperiatur professioni concessum privilegium illud solvendi matrimonium consummatum (quod non nisi ex divina concessione solvi potest) etiam infidelium, cessatque hic omnino ratio, ob quam per matrimonium contractum a fideli solvatur prius contractum ex divina concessione, nimirum ne conjux conversus cogatur vel cælibem vitam ducere, vel habitare cum infideli obstinato, orto inde periculo perversionis, aut aliter peccandi, ac ita reddatur conversio odiosa, cum jam ipse per professionem liberet se ab ista cohabitatione eligendo vitam cælibem, ita docent Hurtad. *loc. cit. diff. 14. numer. 52.* Castrop. *loc. cit. num. 12.* Ponc. *numer. 19.* Coninck *numer. 65.* cum Abul. *1. Reg. cap. 8. quæst. 68. & 74.* contra Sanch. *d. 76. numer. 9.*

QUÆSTIO CCLXXXV.

An quoque solvatur matrimonium fidelium per hoc, quod unus conjugum labatur in hæresin, aut transeat ad errores gentilium, ita ut innocens transire possit ad aliud matrimonium.

RESp. Negative, tametsi alias in hoc casu major videri posset contumelia Creatoris, sic enim expresse deciditur in *cap. quanto h. t.* ab Innoc. III. quam sententiam, ait Pirh. *h. t. num. 36.* hodie relatam esse inter decreta fidei authoritate Trident. *sess. 24. can. 5. de matrim.* ubi: *si quis dixerit propter hæresin dissolvi posse matrimonium, anathema sit*; neque obstat, ut habent verba *cit. cap. quanto*, quod forte opponi posset, fidelem relictum non debere jure suo sine culpa privari; cum in multis casibus id contingat, ut si alter incidatur, hoc est, castretur, per quam responsionem quorundam malitiæ occurritur, qui si in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si in tali casu uxores dimittere possent, simularent hæresin; & sic is, qui remanet in fide cogitur ad eum redire, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur; & per hoc ipsum solvitur quæstio, hucusque verba *cit. cap.* Porro dum *eod. c.* dicitur ab Innocent. quendam ex Prædecessoribus suis (fuit is Cælestio. III. ut Gloss. *hic v. prædecessor.* & Host. qui in quadam decretali epistola sua, quam dicunt olim insertam fuisse corpori Juris, *tit. de convers. infidel* definivit, matrimonium dissolvi, dum alter conjugum labitur in hæresin vel ad gentilium errorem transit) visum sensisse contrarium, male infertur ab hæreticis, Romanum Pontificem, dum aliquid ut Ecclesiæ universalis Rector & pastor definit, errare posse, cum imprimis Cælestin hac de re nihil definiverit, ut constat ex verbis *cit. cap. quanto*, ubi dicitur *sensisse* non definivisse censeatur; sed solum antequam res illa examinaretur, propendebat in illam sententiam, & respondet, quod sibi probabilius videbatur, quin & ipse Innoc. in *cit. cap.* ait: *non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero conjuge possit ad secundas nuptias transire*. Sed neque ex eo,

quod

quod aliquid in corpore juris contineatur, sequitur, quod sit a Pontifice definitum, cum multa habeantur in corpore juris, quæ Pontifices non definiunt tanquam fidei articulum, sed tantum dicunt & referunt suam sententiam, respondentque, quod sibi probabilius videtur, Azor. *part. 2. lib. 5. cap. 4. quæst. 3. in object. 2.* & ex eo Pirh. *num. 34.*

QUÆSTIO CCLXXXVI.

Ut matrimonium dissolvatur, seu potius nullum declaretur, quæ probatio requiratur.

1. RESp primo: Tametsi in foro conscientiæ probatio nulla alia requiri videatur, quam ipsorum contrahentium testimonium, quippe cum in hoc foro sola eorum salus spectetur, iis fides adhibenda est, nisi aliunde colligatur manifesta deceptio. Sanch. *lib. 2. d. 45. numer. 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 77. num. 16.* Covar. *in 4. decret. part. 1. cap. 4. §. 1. num 9.* Coninck *loc. cit. dub. 6. in pr.* Castrop. *cit. part. 2. § 6. num. 1.* in foro tamen externo insufficiens ad hoc est testimonium illud contrahentium, tametsi causa dissolutionis allegata sit fictio; eo quod licet hæc causa, utpote interna, solum ei, qui illam opponit, nota esse possit, ejus tamen probatio allidirur matrimonio exterius contracto, Arg. *cap. per tuas de prob.* ubi: *nimis indignum est juxta legitimas sanctiones, ut quod quisque sua voce lucide protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare*; unde nisi adsint conjecturæ aliæ, quæ moraliter certo persuadeant, standum est pro valore matrimonii. Ita Sanch. *loc. cit. num. 3. & seq.* Castrop. *num. 2.* Nav. *cap. 22. num. 8.* Porro plures hujus ficti consensus conjecturas proponit Castrop. *num. 3.* Prima, si vir, mox ut verba consensus significativa protulit, in continente revocet; eo quod tunc præsumi possit, protulisse per inadvertentiam & inconsiderationem, juxta *cap. præterea de testib. cogend.* Sanch. *cit. d. 45. num. 6.* quod tamen stante Trident. vix locum habere posse; cum Parochus teneatur consensum contrahentium diligenter explorare, ait Castrop. cum ConincK. Secunda, si paulo post contractum matrimonium affirmet, se ficte consensisse, & matrimonium aliud ineat, multoque magis, si Ordines suscipiat, aut religionem ingrediantur, eo quod præsumendus non sit, tam cito revocaturus consensum, & cum damno prioris uxoris ducturus aliam, aut etiam status tam perfectos peccando mortaliter assumpturus. Sanchez *loc. cit. numer. 7.* Navar. *numer. 77.* Sylv. *v. matrimonium 4. quæst. 9. dicto 1. & 2.* negat tamen Castrop. hanc conjecturam facere plenam probationem; quin & cum ConincK *num. 71.* insufficientem reputat; eo quod mirum non sit, quod, qui ausus est Sacramentum matrimonii eludere, & conjugem decipere; ordinem & religionem peccando recipiat. Tertia, si conjux fictum consensum allegans sit disparis ab alio conditionis in divitiis, nobilitate &c. Menoch. *lib. 3. præsumpt. 1. num. 35.* Covarr. *loc. cit. cap. 2. num 4. & c.* Sed hanc conjecturam ut insufficientem rejiciunt Sanch. *numer. 8.* Sylv. Nav. Castrop. *ll. cit.* eo quod sæpe viri cæco amore ducti conjuges pauperes & ignobiles assumunt. Unde etiam Castrop. cum Con. asserit, quod etsi fœminæ permitti possit, ex vi hujus testimonii in foro conscientiæ nubere alteri, id tamen viro in foro externo nequaquam permittendum. Quarta, si allegationem ficti consensus comitetur metus gravis, etsi insufficiens ad irritandum matrimonium; tunc enim citissimam talem manifestationem consensus ficti inducere moralem certitudinem, verum animum contrahendi non adfuisse, censent ConincK *loc. cit.* Sanch. *num. 12.* Castrop. dicens, id verum esse, maxime si id ex parte puellæ contingit. Quinta, si uterque conjux fateatur, se ficte consensisse. Quod tamen rejiciunt Castrop. Con. *ll. cit.* eo quod sæpe contingat, utrumque conjugem pænitere, & facilius credi possit tunc eos mentiri, quam ante ficte contraxisse, maxime, dum matrimonium publice contractum vel consummatum. Sexta, si allegans fictum consensum protestatus fuerit antecedenter ad matrimonium, se ficte consensurum, Jo. Andr. Calder. Rodriq. & alii relati a Sanch. *d. 44. num. 19.* rejicientibus hoc ipsum aliis, cum Gloss. *in cap. tua de sponsal. v. mulierem*, eo quod ab ea protestatione recessum sit facto contrario, nempe contracto matrimonio. Distinguentibus hoc ipsum cum communi Sanch. *loc. cit.* Mascard. *de probat. concl. 1243.* Gutt. *de matrimon. cap. 52. num. 2.* nimirum ut id procedat, si protestatio facta, altero conjuge sciente & consentiente; Secus, si eo ignorante vel repudiante. Verum & hanc distinctionem cum Con. rejicit Castrop. eo quod alterius conjugis scientia non infert recessum a protestatione; cum consensum non magis inducat quam ignorantia, sed solum faciat, ne contractus factus sit injuriosus alteri contrahenti. Quare dicunt, diligenter perquirendas causas talis protestationis, quæ si moraliter inducant dissensum, & hæ tempore contractus matrimonii perseverant, contractus judicandus sit invalidus, ut si ad illum cogaris metu cadente in constantem virum, & clam coram testibus protesteris, te non consensurum, censendus sit, non recessisse a protestatione. Quam doctrinam ait comprobari a Sanch. *d. 45. num 22.* Mascard. *loc. cit. num. 13.* Gutt. *num. 2.* Quod si tamen causa protestationis cessasset tempore contractus, præsumendum sit, recessum esse a protestatione. Item si post contractum libere habita est copula, censetur matrimonium denuo contractum, & si prior contractus invalidus in locis, ubi valent matrimonia clandestina ob non receptum Trid. secus in aliis. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *d. 45. n. 21. & 23.* Gutt. *num. 10.* Nav. *num. 78.*

Resp. secundo: Dum agitur de dissolvendo matrimonio ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis &c. unicus testis non sufficit ad dissolvendum matrimonium, aut negandum debitum; cum jura matrimonii possidentis minui non debeant ob probabilem tantum probationem, juxta *cap. cum a nobis de testib.* Sufficit tamen ad inducendam obligationem diligenter inquirendi in veritatem, qua diligentia facta, & nova non accedente probatione, dubium deponendum, & in matrimonio, ejusque usu perseverandum. Sanchez *a num. 24.* Castrop. *num. 4.* cum communi. Proinde jam ad probationem impedimenti pro dissolvendo matrimonio requiruntur duo testes omni exceptione majores, *cap. super eo, & cap. cum a nobis de testib.* Castrop. cum communi. Tales censentur etiam consanguinei, si sint probatæ vitæ, & matrimonium illis expediens. Ita ut tunc nulla exceptione repelli possint, uti alias repelluntur domestici, *cap. in literis de testib.* Castrop. *loc. cit.* Gutt. *cap. 44. a num. 39.* Item ipsi contrahentes, vel etiam alter eorum, dum constat, eos matrimonium cupere, maxime, si cum eorum depositione concurreret fama. Sanch. *num. 34.* ConincK *cit. dub. 6. concl. 3.* Castrop. *loc. cit.*

QUÆSTIO CCLXXXVII.

An, dum adsint istæ conjecturæ, quæ fictum fuisse consensum, vel illæ probationes, quæ impedimentum adesse concludunt, liceat conjugibus propria authoritate dissolvere matrimonium.

RESp. Negative, dum matrimonium est publicum, sed requiritur authoritas Judicis, ne generetur scandalum; secus dicendum videtur, si matrimonium est clandestinum; vel si publicum est, testes abierunt, nec adest ullum magis periculum; nullum enim tunc est scandali periculum, ob quod alias requiritur Judicis authoritas. Castrop. *cit. §. 6. num. 5.* Sanch. *lib. 2. d. 45. num. 13.*

CAPUT SECUNDUM.

De dissolutione matrimonii quo ad thorum & cohabitationem.

QUÆSTIO CCLXXXVIII.

Quid hac in parte dicendum de libello repudii concesso Judæis, & num licita eis separatio talis, superinducta alia uxore.

1. RESP. primo: Libellus repudii sic dictus a parvo libro, quia fiebat hæc repudiatio in scripto, hac vel simili forma: Conditione tua non utor: vel res tuas tibi habeto. Pereyra *in elucidar. l. 3. nu. 1713.* erat dimissio prioris uxoris, non tantum quo ad thorum, sed etiam quo ad solutionem vinculi matrimonii; quia fiebat, ut repudiata prima, aliam uxorem superinducere posset, si vellet, maritus. Permissus erat Judæis in lege veteri hic libellus, seu hæc dimissio uxoris, etiam post consummatum matrimonium, *Deuteron.* 24. & *Malach.* 2. ob duritiam cordis eorum, ut inquit Christus. *Matth.* 19. adeoque jam Deo dispensante vere dissolvebatur prius matrimonium, & valide contrahebatur novum; Nequaquam tamen id permissum gentibus, ita ut hæ nec libere nec valide dare possent repudium tale uxoribus suis.

2. Resp. secundo: Non tamen in lege Mosaica fuisse licitum tale repudium, sed tantum permissum tanquam minus malum ad vitanda majora, tenent aliqui. Probabilius tamen censent alii, ut Azor. *p. 1. l. 6 c. 1. q 8.* Pirh. *h. t. n. 49.* cum communiore, id licitum fuisse, si enim id licitum non fuisset Judæis, sive si sine peccato id fieri non potuisset, vix credibile est, non aliquando saltem in Scriptura, vel a Prophetis iste usus repudii fuisset correptus.

3. Resp. tertio: Modo post legem Evangelicam certum est, nec Judæis, nec infidelibus aliis permissum amplius tale repudium, ita ut neque fiat licite, neque valide, hoc est, matrimonium per illud non dissolvatur; quia Christus *Matth.* 19. reprobavit illud, & ad statum legis naturalis, in quo matrimonium erat absolute indissolubile, reduxit, & hanc dispensationem in hac lege naturæ Judæis concessam revocavit. Sanch *de matrim l. 10 d. 1. n. 7. & 8.* unde, ut dictum supra, infideles ad fidem conversi uxore tempore infidelitatis repudiatas tenentur recipere, repudiatis illis, quas forte superinduxerunt, uxoribus, excepto casu, quo per conversionem alterius conjugis solvitur prius matrimonium tempore infidelitatis contractum, prout deciditur *c. gaudemus hoc tit.* Sed neque his obstat dictum Christi: *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & alteram duxerit mœchatur*, nam juxta dicta superius his verbis dissolutionem cohabitationis induxit, nisi intercesserit fornicatio, nulla facta mentione de dissolutione vinculi matrimonialis, uti illum textum explicant D. August. *l. 2. de adult. conjug. c. 9.* Abul. *in c. 19. Matth. q. 76.* Maldon & Jansen. *ibid.* & in illis Sanch *d. 1. n. 3.* ubi quoque textus innuentes contrarium explicat. Ad hæc, ut Cajet. apud Castrop. *d. 3 p. 6. nu. 1.* Christus solum dixit, mœchari eum, qui uxorem dimittit extra causam fornicationis; de dimittente vero eam intercedente fornicatione, nihil dicit; tametsi Pharisæi interrogantes Christum, quæstionem faciebant de dimissione quo ad vinculum. Et hæc ex constante sensu Ecclesiæ juxta mentem Apostol. *1. ad Cor. 7.* ubi: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, nisi causa fornicationis, & si discesserit, aut innupta maneat, aut viro reconcilietur.* Quare *c. si quis uxor 32. q. 7.* ubi ex illo Apostoli texto infertur, quod, quia ibi non idem dicitur de viro, quod de uxore, huic licere intercedente fornicatione uxoris discedere, & ducere aliam, merito, utpote desumptum ex concilio apud Vermerias apocrypho. Maldon. *in c. 19. Matth.* ostendit non curandum. Uti & *c. uxor. 32. qu. 1.* ubi quod vir uxorem probatam necam de machinata sibi morte possit dimittere & aliam ducere ab Hæreticis falso affingi Sancto Ambrosio, ostendit Abul. *in c. 19 Matth q. 76. ad 1.* Sed & concesso, dictos textus vere desumptos ex S. Ambrosio, aliisque Patribus loqui de legibus tempore sui sæculi usitatissimis, quæ aliter de viris, aliter de fœminis hac in parte disponebant, ostendit Ponc. *l. 7. c. 52. a n. 1.*

QUÆSTIO CCLXXXIX.

An infideles, qui in secundo vel tertio ulteriore gradu lineæ collateralis, si convertuntur ad fidem, debeant separari quo ad thorum.

RESP. Cum tales contraxerint valide, quippe qui non obligabantur constitutionibus Canonicis, vi quarum tantum annullatur matrimonium contractum in dictis gradibus; adeoque etiam post conversionem illorum ad fidem hoc eorum matrimonium subsistat indissolubiliter quoad vinculum, non sunt separandi etiam quoad cohabitationem, dum ambo sunt conversi. Dum vero unus eorum conversus, & alter renuit converti, vult tamen fideli cohabitare sine contumelia creatoris & periculo perversionis, ad summum ex præcepto ecclesiastico quo ad thorum separandi videntur, non quia contraxerunt in gradu prohibito, sed quia ex cohabitatione regulariter præsumitur periculum perversionis, juxta dicta supra. Quod si autem contraxissent in gradibus consanguinitatis jure divino ac naturali prohibitis, quales sunt gradus primus lineæ rectæ, & gradus primus lineæ collateralis, in qua sunt frater & soror, cum tale matrimonium etiam gentilium & Judæorum fuerit semper nullum, conversi ad fidem omnino sunt separandi. Azor. *par. 2. l. 5. c. 13. q. 2.* Sanch. *l. 7. d. 52. n. 12.* Barb. *in c. gaudemus h. t. nu. 2.* Pirh. *num. 40.*

QUÆSTIO CCXC.

An & qualiter periculum animæ sit causa sufficiens divortii seu separationis quo ad cohabitationem.

1. RESP. primo: Quotiescunque grave periculum animæ seu salutis imminet alteri conjugum ex cohabitatione, ut dum unus nititur alterum pertrahere ad gravia peccata, est causa sufficiens divortii; cum jure naturali ac divino cuique permissum declinare periculum animæ, & nemo teneatur cum eo satisfacere aliis obligationibus gravibus de cætero; adeoque nec matrimoniali, juxta illud Christi *Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice a te.* In quem locum D. Hieron. inquit sententiam Christi esse, ut hi, qui nobis conjuncti sunt, & instar oculorum, ut parentes, filii, uxor causa sint ruinæ, ab illis recedamus. Sanch. *L. 10 d. 17. a n. 5.* Ponc. *L. 9. c. 23. n. 1.* Castrop. *d. 3. p. 6. §. 9.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 16.* cum communi juxta *c. 2. h. t.* aliosque textus, in quibus licet sermo sit de inductione ad infidelitatem, eadem tamen est ratio de quolibet alio peccato. Castrop. *l. c.* Sic itaque sufficiens causa divortii est, si vir sit leno incitetque uxorem ad adulterium, Sanch. *loc. citat. distinct. 18. numer. 6.* Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. num. 60.* Item si introducat viros procales, qui ipsam sollicitent, aut etiam vult, ut pellicem foveat. Castrop. Item si sollicitet ad concubitum Sodomiticum. Laym. *l. c.* vel etiam ad furta committenda vel tegenda & his similia. A A. iidem. Si conatur directe vel indirecte inducere ad latrocinia. Laym. *l. c.* Item si conjux sit veneficus, quia ob societatem dæmonis grave malum animæ, quin & corporis timeri potest. Laym. Castrop. *ll. cit.* Sanch. *l. c. n. 12.* Coninck. *d. 35. du. 5. n. 13.* &c. De cætero ubi cessat illa ad peccatum inductio, quantumcunque conjux sit deditus vitiis, exceptis adulterio & hæresi (de quibus paulo post) licitum non est divortium. Arg. *c. 2. h. t.* & ibi Gl. communiter recepta D. Thom. *in 4. d. 39 q. uni. a. 6. in corp.* Sanch. *d. 17. n. 4.* Ponc. *c. 23. n. 5.* Castrop. *n. 4.* Pirh. *num. 59* quamvis D. Thom Sanch. Laym. Castrop. & alii passim tradant, posse conjugem, præsertim maritum, titulo correctionis, & causa emendandi & reducendi uxorem a gravi, cui implicita est, scelere, ad tempus se separare, dum ex eo secessu speratur fructus. In quo tamen majore opus judicio & diligentia; cum ex hoc plerumque sequi soleant majora mala. Ut monens Castrop. Ponc. &c. Dixi *maritum*; quia is caput est mulieris, & ei competit corrigere uxorem. Quo tamen non obstante, habere tamen etiam quandoque locum talem separationem in uxore ad emendandum virum.

2. Respond. ad secundum; Ad hoc divortium faciendum conjux innocens non eget Judicis sententia; quia ipso jure naturali conceditur, & non est perpetuum, sed temporale; ad tempus usque cessantis periculi; tum quia ob moram est periculum lapsus in peccatum. Sanch. *L.* 10. *disp.* 17. *numer.* 10. Castropal. *loc. cit.* Pirh. *num.* 58. Laym. *loc. cit. nu.* 18. qui tamen hoc limitat, nempe si periculum animæ vel corporis est notorium, licere facere talem separationem authoritate propria. Imo addit, remittens ad Guttier. *cap.* 24. *nu.* 28. Sanch. *disp.* 18 *num.* 3 ratione scandali vitandi plerumque necessarium esse Judicis ecclesiastici officium implorare, nisi periculum sit in mora. De cætero, an & qualiter authoritate propria possit innocens a conjuge adultera recedere ante sententiam, dicetur infra.

QUÆSTIO CCXCI.

An & qualiter periculum corporis sit causa sufficiens divortii.

1. RESp. primo: Periculum vitæ vel salutis corporalis grave (intellige tale, quod virum prudentem & constantem, attenta personæ qualitate, terrere posset: & quale est non tantum mutilationis membrorum, sed etiam gravium & atrocium verberum; qualia uxori etiam delinquenti potestatem inferendi vir non habet, ut Laym.) imminens ex cohabitatione, si alia via averti nequit, est causa sufficiens divortii duraturi, usque dum periculum cesset, & sufficiens cautio præstetur de malo imposterum non inferendo. Ratio est; quia nemo tenetur cum tanto suo detrimento debito alterius aut obligationibus suis satisfacere. Sanch. *disp.* 18. *num.* 2. Laym. *loc. cit. num.* 16. Pirh. *hoc tit. num.* 60 Castrop. *num.* 5. cum communi. Argum. *cap. ex transmissa cap. literas de restit. spol.* Sic itaque in particulari causa sufficiens divortii est Primo lepra, similisque gravis morbus contagiosus, intellige, habitualis seu diu durans. Castrop Laym. *LL. cit.* Con. *d.* 35. *dub.* 4. *nu.* 22. secundo furor continuus, si inde tale grave malum immineat, Castrop. Laym. Pirh. *LL. cit.* Sanch. *disp.* 18. *num.* 18. Si vero hujusmodi periculum abest, etsi molestum sit amenti cohabitare, molestia tamen hæc toleranda. Sanchez, Pirh. *LL. cit.* idem est de ebrietate. Laym. *loc. cit.* Tertio lenocinatio viri, dum nimirum mulier prudenter timet, se tanquam illius criminis sociam puniendam vel saltem reputandam; adeoque incursuram vitæ & honoris detrimentum. Castropal. *loc. cit.* Sanch. *num.* 21. Navar. *cit. cap.* 22. *num.* 22. Barbos. *rub. ff. soluto matrim. part.* 2. *num.* 29. & alii. Quarto sævitia viri undecunque proveniens, dum is atrocia & gravia verbera inferre solet *cit. c. ex transmissa & cap. literas*. Castrop. *num.* 6. Pirh. *num.* 61. Laym. *num* 16 idque etiam, si uxor culpa sua occasionem det. Pirh. *loc. cit. tit. l. nec timorem ff. de eo quod met. caus.* Secus, si non sit immoderata verberatio, sed solum moderata castigatio, quam vir uxori inferre potest. Pirh. *loc. cit.* Sanch. *disp.* 18. *num.* 5. Secus item si semel aut iterum, etiam atrox præter consuetudinem viri ex insolito & ingenti motu iræ accideret, nisi istiusmodi verberationis sæpius imposterum exercendæ probabilis timor adesset. Laym. *num.* 17. Pirh. *loc. cit.* Sanch. *num.* 26. non enim in genere, ut notat Castropal. *num* 7. citatis Guttier. *l.* 1. *qq. can. cap.* 24. *num.* 9. Barbos. *rub. ff. solut. matrim. par.* 2. *n.* 32. Sanch. &c. damnum seu malum illatum causam sufficientem præbet divortii, nisi inde sumatur præsumptio sufficiens de iterando illo: Tametsi autem citati textus *cap. ex transmissa & cap. literas*. Loquantur de uxore timente sævitiam viri (quia frequentius viri in uxores sæviunt, quam econtra) locum tamen etiam habet divortium in viro prudenter timente sævitiam uxoris ob easdem rationes. Sanch *nu.* 8. Guttier. *loc. cit. num.* 8. Ponc. *num.* 8. Castrop. *num.* 6 Quinto machinatio mortis alteriusque gravis mali, seu insidiæ structæ a conjuge. Castropal *loc. cit.* juxta textus *cit.* Denique causa divortii sunt graves & frequentes rixæ, cum omnis duram ac molestam reddunt cohabitationem, graveque malum reputetur, habere semper offensum, & a se alienatum illum, cum quo vivere semper quis cogitur, ex quo res alterius pendent. Sanch. *l.* 4. *d* 6. *num.* 14. & *L.* 10 *disp.* 18. *a numer.* 11. Henriq. *L.* 11. *cap.* 17. *num.* 7. Laym. *loc. cit. num.* 17. Pirh. *loc. cit.* Castrop. *numer.* 8. ubi etiam cum Bald. *in cap.* 5. *ut lite non contest. num.* 3. Decio *consil.* 130. *num.* 4. *vol.* 4. & aliis. Huc refert retentionem concubinæ domi vel extra, quæ præbeat causam sufficientem divortii, non solum titulo adulterii, sed & sævitiæ, cum sit causa perpetuæ discordiæ, & sæpe repetitorum verberum, adeoque molestissimæ cohabitationis. Circa quæ notandum, in his casibus non referre, utrum malum ab ipso conjuge timeatur, an vero a parentibus ejus, modo conjux non sit sine culpa, ut dum posset removere malum, *v. g.* recedendo a parentibus, intermittit. Laym. *l. c.* citans Sanch. *cit. d.* 6. *numer.* 23. Arg. *c. ex transmissa*.

2. Resp. secundo: Quamvis & hic locum habeat, quod dictum *quæst. præced. resp.* 2. nimirum quod, ubi causa divortii ob grave periculum est notoria, fieri possit authoritate propria, tutius esse & plerumque necessarium ratione scandali implorare officium Judicis, nisi sit periculum in mora. Laym. *loc. cit. num.* 18. Porro causa hæc tractanda coram Judice ecclesiastico; quia agitur de obligationis Sacramenti matrimonii dissolutione, in qua utpote spirituali solus Ecclesiasticus Judex est. Castrop. *nu.* 9. citato Covarruv. *in* 5. *decret.* 2. *p. cap.* 7. *§.* 6. *num.* 14.

QUÆSTIO CCXCII.

An & qualiter cautio interposita impediat divortium, præcipue faciendum ratione sævitiæ.

1. RESp. primo: Dum cautio sufficiens præstari potest de malo imposterum non inferendo, locus non est divortio; malum siquidem, quod timetur, ut sufficiens sit ad faciendum divortium, debet esse inevitabile; ergo si hac via cautionis sit evitabile, divortium faciendum non est. Laym. *loc. cit. num.* 17. citans *cap. ex transmissa & cap. literas*. Distinguunt hoc ipsum alii. Asserit enim Castrop. *l. c. p.* 9. *num.* 10. ex Ponc. *L.* 4. *c.* 23. *num* 6. cum Riccio *in pr. decis.* 235. & juxta *decis. Rotæ* 250. apud Farinac. *vol* 2 *consil.* probata plene sævitia (probationes siquidem, ut sequatur divortium, concludentes esse debent; cum sub dubio nemo jure suo certo spoliandus sit. Castrop. *n.* 10. Paris. *cons.* 54. *nu.* 16. *vol.* 4. Barbos. *rub. ff. solut. matr. p.* 2. *nu.* 27.) non esse uxorem tradendam viro, quamvis cautionem de non offendendo offerat; quia non decet uxorem juste trepidantem fragilitati cautionis committere; cum cautio non immutet malevolum animum *§. fin. Inst. de suspect. tutor.* Sanch. *cit. d.* 18. *n.* 33. esse vero locum cautioni de non offendendo, ubi probationes sævitiæ non sunt integræ. Castrop. *n.* 11. tradit.

2. Resp. secundo: Sufficiens autem cautio censetur, per quam boni viri arbitrio satis consultum est incolumitati conjugis. Laym. *loc. cit.* ubi etiam, quod talis plerumque sit cautio fidejussoria aut pignoratitia, & interdum optimam esse juratoriam, si vir probus videatur quam maxime revereri religionem juramenti, ut Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 24. *n.* 3. Quin & debere esse in hoc casu pignoratitiam vel fidejussoriam (eo quod quoties exigitur cautio ob suspicionem personæ, semper esse debeat cum pignore vel fidejussore, juxta *L. si fidejussor. §. fin. ff. qui satisdare coguntur*) asserit Castrop. *n.* 10. cum Sanch. *l. c. n.* 36. idque usque adeo requiri, Ricc. *in prax. decis.* 254. *n.* 2. Ponc. &c. ut neque it Judex esse contentus cautione juratoria viri, tametsi is impotens sit pignoratitiam vel fidejussoriam cautionem præstare, quod tamen postremum negat Castrop. cum Sanch. *num.* 42. eo quod *cit. c. literas de restit. spol.* dicatur, dandam uxori cautionem pignoratitiam vel fidejussoriam, quantum fieri potest, & ad impossibilia nemo obligetur. Item regula generalis sit, non habentem pignora vel fidejussorem, quia pauper vel advena est, satisfacere præstando cautionem juratoriam *auth. generaliter c. de Episcop. & cler.* Roland. *cons.* 43. *n.* 21. Sanch. *num* 38. Barbos. *in l. divortio §. interdum ff. solut. matr.* quinimo existimat Castrop. cum Laym. Sanch. *n.* 43. Gl. & Innoc. *in cap. ex transmissa*. Sufficere juratoriam, dum vir est alias bonæ vitæ & famæ, etsi pignoratitia vel fidejussoria haberi possit. Unde concludit Castrop. cum Sanch. *n.* 33. & 41. arbitrio Judicis deferendum, qualis hic & nunc præstanda cautio.

QUÆSTIO CCXCIII.

Quæ praxis concedendi divortium ob sævitiam, & qualiter pronunciata sententia, conjuges statum mutare possint.

1. RESp. ad primum: Petito divortio ob mariti sævitiam, Judex solet petere informationes per testes, qui de sævitia deponant (testes vero singulares in hac materia probant, modo omnes in genere testentur sævitiam. Castrop. *l. c. num.* 10. cum Ponc. *cit. nu.* 6. Canis. *in cap.* 2. *hoc tit.*) & habita sufficiente informatione, interlocutoriam sententiam pronunciat, ut uxor in loco tuto statuatur, subministratis ei a viro alimentis, donec lis decidatur *cap. ex transmissa*. Quin &, ut Castrop. *n.* 9 cum Ponc. *cap.* 23. *n.* 7 Ricc. *in pr. decis.* 235. *n.* 6. Gutt. *q.* 3. *can. cap.* 24. *num.* 7. & Rota *dec.* 250. apud Fari-

Farinac. *vol. 2. consil.* expensis ad litem sustinendam & promovendam, ne his destituta cadat causa. De quo postremo enucleato magis infra. Ac denique ejus arbitrio committitur, utrum, præstita sufficiente cautiono securitati mulieris prospici possit; an vero non sit satis tutum, sed divortium fieri debeat. Etenim hæc omnia Judicis examini & arbitrio committuntur, ubi & arbitrari, an malum, quod timetur, sit grave & inevitabile. Laym. *num.* 17. ex Sanch. *num.* 20. & Guttier. *cit. cap.* 24. *num.* 5. & sequitur fere ex dictis.

2. Resp. ad secundum: Dum sententia divortii ob sævitiam pronunciata restricta est ad tempus, scilicet quousque vir signa dederit emendationis vel cautionem obtulerit, certum est, neutrum statum mutaro posso, v. g. ingrediendo religionem, aut suscipiendo Ordines. Si vero sententia est absoluta; eo quod desperetur vir corrigendus a sævitia, quamvis cautionem dederit, conjux innocens ad religionem vel Ordines transire potest, non secus, ac si divortium factum ob adulterium. Econtra vero id non licet nocenti invito innocente, exceptis casibus, in quibus id licet adultero. Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 12. Sanch. *L.* 10. *d.* 18. *n.* 48. Ponc. *cit. c.* 23. *num.* 9. Porro innocente post divortium absolute factum ad sui consortium virum sævum admittente, censetur eo ipso irrogatam injuriam remittere, ac habere securitatem in ejus cohabitatione, ac proinde, nisi se novæ offerant causæ, ex præteritis ub eo separari nequit. Castrop. *l. c.* Ponc. *n.* 9. Farinac. *l.* 2. *cons.* 156. *in fine*.

Q U Æ S T I O CCXCIV.

An & qualiter adulterium sit causa sufficiens divortii.

1. RESp. ad primum: Adulterium est causa sufficiens divortii perpetui, utpote per se & directe fidei conjugali & contractui matrimoniali repugnans, dum interim alia crimina præstantia sufficientem causam divortii, ut Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 7. cum Bellarm. *L.* 1. *de matrim. cap.* 14. *resp.* 2. habeant se per accidens ad matrimonii substantialem obligationem, adeoquo iis cessantibus recipi debeat conjux. Hanc esse sententiam constantem omnium Catholicorum, ait Castrop. *disp.* 3. *p.* 6. *§.* 1. propter illud Christi *Matth.* 5. & 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.* Quæ verba Christi intelligenda esse de divortio tantum, quo ad thorum & cohabitationem, dictum est supra, & prout explicat S. Hieron. *ad cit. cap.* 19. *Matth.* & *in Epist. ad Amandum*. D. August. *L.* 2. *de adulter. conjug. cap.* 9. Innoc. 1. *Epist. ad Exuperium*. Trid. *sess.* 24. *de matrim. can.* 7. & prout colligitur ex Apostol. 1. *ad Cor.* 7. *præcipio non ego, sed Dominus &c.* Tametsi autem verba illa Christi, uti & textus Juris can. *cap. ex literis cap. significasti cap. gaudemus hoc tit.* faciant mentionem solum de adulterio uxoris, utpote graviori; adeoque Cajet. in illud *Matth.* 19. censuit solis viris concedi potestatem faciendi divortium ob adulterium uxoris; verissima tamen sententia defendit, in hoc utrumque conjugem esse paris conditionis; cum jus divortii faciendi oriatur ex violatione fidei conjugalis (non enim censentur conjuges obligati ad mutuam cohabitationem & redditionem debiti, nisi quatenus sibi invicem fidum servaverunt) ob quam conjuges æquali jure obligantur. D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. unic. art.* 4. Sanch. *l.* 10. *dist.* 3. *num.* 6. Ponc. *l.* 9. *cap.* 16. *a num.* 4. Laym. *loc. cit. nu.* 8. Castrop. *loc. cit.*

2. Resp. ad secundum: Nomine fornicationis mœchiæ, adulterii sufficientis ad divortium venit copula completa seu perfecta, quæ fit cum effusione seminis, & sine qua non dividitur perfecte caro in alienam carnem, habita cum alieno viro vel fœmina; adeoque non venit copula imperfecta multoque minus tactus impudici, aut etiam pollutio habita secum aut cum alio. Sanch. *l.* 10 *d.* 4. *n.* 3. Ponc. *l.* 9. *cap.* 16. *num.* 3. Laym. *loc. cit. num.* 7. Castrop *loc. cit. num.* 2. Neque solum copula perfecta naturalis, sed & sodomitica, bestialis; quia & per hanc dividitur caro in carnem alienam contra fidem datam matrimonii & pacti matrimonialis naturam. AA. iidem & alii passim, cum Abb. *in cap. maritus de adulterio num.* 3. & communi.

3. Resp. ad secundum secundo: adulterium præbens sufficientem causam divortii debet esse formale, seu continere malitiam formalem adulterii, ita ut, si ab ea aliquo modo excusetur. V. g. per violentiam commissum, vel etiam ignoranter, ut dum conjux bona fide accessit adulterum putans esse suum maritum, aut si probabiliter credens maritum suum mortuum, transit ad secundas nuptias, vel etiam fornicetur cum alio; cum talis fornicatio non habeat rationem formalis adulterii; non sufficiat ad faciendum divortium; cum jam alteri conjugi non sit injuriosum. Sanch. *L.* 10. *distinct.* 5 *a num.* 11. Laym. *num.* 13. Ponc. *L.* 9 *cap.* 17. *num.* 8. Castropal. *numer.* 3. cum communi. Quin & adulterium commissum ex metu cadente in virum constantem, non concedere innocenti jus faciendi divortium; eo quod non sit commissum ea malitia & dolo, quod requiri videtur *L. penult. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* docent cum Abb. *consil.* 4. *num.* 3. *vol.* 1. Rosell. *vers. adulterium num.* 9. Sylv. *ibidem quæst. ultim.* Tabien. & alii, quorum sententiam probabilem censet Sanch. *num.* 13. Verum contrarium sentit Sanch. *num.* 16 Castrop. *num.* 3. Covarruv. *in* 4 *decret.* 1. *part. cap.* 5. *num.* 3. Henriq. *L.* 11. *cap.* 17. *nu.* 5. Coninck. *disp.* 35. *dub.* 2. *numer.* 10. Laym. *loc citat.* citans plures alios; eo quod, cum metus non excuset a culpa adulterii, & fidei datæ violatione, quibus divortium jure naturæ innititur; non possit a divortio dotisque amissione excusare, licet excuset a pœna legibus inducta; ut AA. iidem.

Q U Æ S T I O CCXCV.

Quandonam non liceat facere divortium ob adulterium.

1. RESp. in sequentibus casibus. Primo ubi uterque conjugum commisit adulterium; æquum enim non est, unius delictum puniri, æquali alterius delicto manente impunito; & paria delicta mutua compensatione delentur; prout statuitur, & dicitur expresse; *cap. penult.* & *ultim. de adulter. cap. significasti cap. ex literis eodem L. si uxor. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* item a S. August. *L.* 1. *de sermon. dom. in monte cap.* 28. *relato in cap.* 1. 32. *quæst.* 2. ubi: *Nihil iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud: in quo alterum judicas, te ipsum condemnas. Rom.* 2. *&c.* Nihilque refert, quod adulterium uxoris sit gravius & notorium, mariti minus grave & secretum, unum prius; alterum posterius; cum per utrumque fides data in matrimonium violetur, & jus separandi se soli innocenti concedatur. Sanch. *L.* 10. *distinct.* 5 *a numer.* 2. Ponc. *loc. citat. cap.* 17. *num.* 5. Guttier. *de matrimon cap.* 129. *nu.* 15. Laym. *loc. cit.* Castropal. *part.* 6. *§.* 2. *num.* 1. cum communi. Nihilominus compensatio hæc mutua est solum, quo ad divortium & dotis amissionem, non vero quo ad accusationem criminalem & vindictam publicam; cum liberum sit marito accusare criminaliter uxorem de adulterio; uxori autem non permittitur hæc accusatio; *L.* 1. *c. ad Leg. Jul. de adulter.* Sanch. *L.* 10. *dist.* 8. *numer.* 46. Laym. Castropal. *LL. cit.*

2. Secundo, si maritus adulterii uxoris fuit author; cum tunc æque sit culpabilis ac uxor. Sanch. *L.* 10. *dist.* 5. *a numer.* 5. Ponc. *num.* 7. Guttier. *num.* 16. Farinac. *Tom.* 1. *q.* 143. *§. separatio thori*. Castropal. *num.* 2. Laym. *cit. numer.* 13. cum communi. Procedit idipsum, sive uxor invita, sive lubens prostitutioni consentiat. Castropal. *loc. citat.* Argum. *cap. discretionem §. quod si forsan de eo, qui cognov. consanguin.* Item si adulterio uxoris consentiat (in quo casu vir consentiens etiam punitur pœna lenonis; *L.* 2. *c. ad Leg. Jul. de adulter.*) expresse vel tacite; eo quod v. g. potens facile impedire, non impedivit, nulla intercedente legitima causa hujus non-impeditionis, de quo paulo post; cum tacito illo consensu censendus sit remittere jus divertendi, quod ex illata sibi injuria conceditur. Castropal. Laym. *LL. citat.* Henriq. *L.* 11. *cap.* 17. *numer.* 4. Sanch. *loc. cit. num.* 3. Qui etiam ibi notat, mulierem consciam de mariti adulterio, neque impedientem, non esse censendam consentire; cum raro ipsa illud impedire possit, neque ejus dissimulatio, utpote quæ est viro subjecta, censenda est delicti approbatio. Quemadmodum etiam, si vir suspicionem habens de uxoris adulterio, dissimulet se in longinquum proficisci, animo statim redeundi, vel testes apponat absconditos, ut certus de adulterio, possit uxorem dimittere, vel in futurum emendare, nullatenus censendus est adulterio consentire, sed illud permittere ob honestum finem; Sanch. *l.* 10. *d.* 12. *num.* 52. & cum eo Castrop. *cit. num.* 2. Pari modo censendus non est adulterio consentire, adeoque prohiberi a faciendo divortio, quod causam remotam dederit uxori ad illud: V. G. negando debitum, non suppeditando alimenta, expellendo illam e domo & a cohabitatione sua. Ponc. *num.* 7. Castrop. *numer.* 3. Gutt. *num.* 8. Sanch. *d.* 5. *num.* 6. Argum. *c. significasti, hoc tit.* & ibi Gl. *v. materiam.* Neque enim mulier ulla ratione ad fornicationem adduci debebat; neque, ut Ulpian. *in l. palam, ff. de rit. nuptiar. numer.* 43. ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam

agitur. Secus tamen foret, ut Sanch. Gutt. Castrop. &c. si vir eu intentione repulisset, alimentisve privasset &c. ut necessitate compulsa adulterium committeret; cum tunc adulterium uxoris visu sit voluntarium.

3. Tertio, si conjus innocens nocenti jam condonasset adulterium; hac ipsa enim condonatione cessisset juri acquisito faciendi divortium. Castropal. *numer.* 4. dicens, sic docere omnes. Idque sive hæc condonatio sit expressa, uti si verbia expressis remittat injuriam sibi factam, & inde jus acquisitum divertendi; sive tacita, ut si conscius adulterii, adeoque poteus facere divortium conjugi adulteræ copuletur, vel illam ita familiariter tractet ac ante; cum enim his signis satis præsumitur habuisse animum reconciliationis, ad intentandum divortium accusandumque adulterum non admittitur. Castropal. citans decisionem Rotæ apud Farinac. 193. *volum.* 2. *consil.* censensque cum Sanch. *L.* 10. *disp.* 14 a *numer.* 2 ad hanc condonationem non requiri adulteri acceptationem, eo quod hæc condonatio sit quædam juris cessio & remissio, qua signis exterioribus manifestata tollitur ab adultero impedimentum petendi debitum, quod ex adulterio contraxerat. Quod si tamen innocens adultero extrinsecus exhiberet dicta signa remissionis, absque animo tamen remittendi jus, quod habet, accusandi illum criminaliter & civiliter, etsi in foro externo nec divortium, nec accusationem intentare possit, probabile tamen censet Castropal. *numer.* 5. cum Sanch. *disp.* 24. *num.* 21. in foro conscientiæ jus divertendi & accusandi integrum remanere, eo quod istiusmodi facta non sint ipso jure remissio; & certe si ex imperio Judicis facta, eo quod adulterium non plene probatum, remissionem non inducerent, sed essent solum signa aliqua animi remittentis, sive ex quibus præsumeretur iste animus, adeoque remissio; unde hoc animo non existente, nulla est remissio; Argum. *L. quæsitum §. item quæritur ff. ad Leg. Jul. de adult.* ubi dicitur, destitisse videri. An vero ea sit tacita reconciliatio ex parte utriusque, dum conjux adulter emendatus alterum de emendatione monet, non convenit inter AA. affirmant Laym. *tit. numer.* 14. Sanch. *L.* 10. *disp.* 7. *numer.* 4. Con. *disp.* 25. *dub.* 2. *num.* 1. *conclus.* 6. eo quod monitus; also, non admittat reconciliationem, eam tamen admittere teneatur; cum sit æque nocens ac alter. Negant Castropal. *num.* 7. Ponc. *L.* 10 *cap.* 17. *in fine*. Hurt. *disp.* 11. *diff.* 3. *num.* 10. censentque monitum ex sola admonitione sibi facta & reconciliatione sibi oblata, sed non acceptata, non cessisse jus divertendi, & consequenter si sibi facta remissione, post hanc non delinqueret, posse adhuc intentare divortium, cum nihil impediat; emendatus vero seu monens intentare non poterit divortium, quod sibi non fuerit delictum remissum. Porro si reconciliatus post reconciliationem commisit denuo adulterium, potest ei denuo ab innocente, non ob delictum condonatum, sed ob de novo commissum intentari accusatio, tam criminalis quo ad punitionem, quam civilis, quo ad divortium & amissionem dotis. Unde etiam, si uterque nocens sibi mutuo injuriam cesserunt, alteruter iterum lapsus in adulterium, divortio subjectus est absque eo, quod innocenti divortium intentanti objicere possit adulterium ante reconciliationem commissum *capit. de his de accusat.* & *L. transfuere cap. de transact.* cum remittentibus actiones non concedatur regressus; *L. quæritur ff. de ædilitio edicto*. Ita ex communi sententia Sanch. *disp.* 5. *numer.* 21. Laym. *loc. cit. numer.* 14. Castropal. *num.* 6. Ponc. *cap.* 12. *in fine*. Mol. *tractat.* 3. *disp.* 95.

QUÆSTIO CCXCVI.

An & qualiter conjus innocens possit propria authoritate divertere a conjuge adultera an vero necessaria exspectanda sententia Judicis.

1. RESp. primo: Dum adulterium notorium est per evidentiam facti, vel etiam per confessionem rei in judicio etiam civili, licet innocenti citra sententiam facere divortium, tam quo ad debiti redditionem, quam quo ad mutuæ cohabitationis separationem. Sanch. *L.* 10. *disp.* 12. *num* 31. *juncto num.* 13. Surd. *de aliment. tit.* 7. *quæst.* 16. Abb. *in cap. constitutus de convers. conjug. num* 4. Castrop. *cit. part.* 6. *§.* 4. *num.* 3. Argum. *cap. ex parte de sponsal.* ubi: *Nemini licet uxorem dimittere sine manifesta causa fornicationis*: unde recte infertur: ergo stante manifesta causa fornicationis licet eam dimittere. Siquidem cum delictum notorium est, perinde est, ac si publica sententia & judicio reus damnatus esset. Quin & nequidem Ecclesia in hoc casu adulterii notorii compellere potest innocentem ad adulterum recipiendum, prout decidi videtur *in cap. significasti hoc tit.* ubi: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet &c.* Quam doctrinam verissimam esse ait Castropal. *numer.* 9. sive adulterium factum sit post spolium (hoc est, post separationem) sive ante; eo quod quocunque tempore notorie commissum sit, restitutio neganda est. Neque decisio *cit. cap. significasti* (esto, in ea solum fiat mentio adulterii commissi post spolium) ad hoc restringenda sit; cum commissum ante spolium sit gravius commisso post spolium, utpote ad quod illa separatio potuisset extitisse aliqualis occasio.

2. Resp. secundo: Pari modo ob adulterium quoque occultum, secluso scandalo, potest innocens se separare a nocente, nulla exspectata sententia. Castropal. *loc. citat. num.* 2. *juncto num.* 5. citatis Sanch. *ubi ante a num.* 5. & 14. Rebell. *L.* 2. *quæst.* 12. Coninck. *disp.* 35. *num.* 2. Hurtad. *disp.* 11. *diff.* 6. *numer.* 21. *&c.* cum enim matrimonii natura ea sit, ut conjuges sibi invicem obligentur ad mutuam cohabitationem & debiti redditionem, dum carnem suam non diviserint in alienam, facta hac divisione carnis ab adultero, cessat hæc obligatio in innocente; adeoque innocens faciens divortium, non sibi ipsi jus dicit, sed jure a matrimonii natura concesso utitur. Potestque hoc ipsum dici divortium authoritate Ecclesiæ celebratum, ad hæc, si ob adulterium notorium (vel etiam, ut Ponc. ob adulterium, quod in continenti fieri potest notorium) licet innocenti propria authoritate a nocente divertere, licebit quoque id ipsum ei in foro conscientiæ ob adulterium secretum; jus enim separandi se ab eo non nascitur ex publicitate delicti, sed ex ipso delicto, cum publicitas requiratur solum ad evitandum scandalum, & consequenter scandalo cessante, quomodocunque constet de adulterio, innocens possidet jus faciendi divortium. Exprimitur hoc ipsum quoque ab Hieron. *in cap. dixit dominus* 32. *quæst.* 1. ubi: *Ubicunque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor &c.* ubi, ut bene asserit Castropal. diligenter notandum verbum illud *libere*, utpote quod nullam requirit licentiam vel sententiam; quia ipsummet indicat latam esse sententiam, ut pluribus comprobat Tiraq. *in l. si unquam verf. revertatur ff. de revocat. donat.* Sed neque ullibi in jure exstat præceptum positivum, quod non obstante illa jam explicata natura matrimonii, ad vitandas nihilominus hominum fraudes & malitias prohibeat separationem illam factam sine declaratione Ecclesiæ. Nam imprimis textus *cap. sæcularis* 33. *qu.* 2. vetans talem separationem non loquitur de dimissione ex causa adulterii, sed sævitiæ; quæ causa cum Ecclesiæ authoritate introducta sit, & latitudinem habeat, æquum non erat, cujusvis judicio relinqui separationem ob eam factam; in adulterio autem, quod indivisibile est, jus naturale divortio causam præstat. Dein *cap. porro hoc tit.* ubi dicitur: *Etiamsi parentela esset publica & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit &c.* non agit de divortio quo ad thorum seu cohabitationem, sed de dissolutione matrimonii, quo ad vinculum (nempe ob consanguinitatem) & libertatem copulandi alteri, quæ res, cum sit gravissima, & longe gravioribus exposita periculis, merito judicium Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici sententiam requirit.

3. Resp tertio, ut tamen innocens propria authoritate possit, hoc divortium facere, debet esse moraliter certus de adulterio conjugis; cum ob dubium vel suspicionem probabilem, nequeat in conjugem suam ferre quasi sententiam, & eum jure, quod habet, privare. Castropal. *cit. §.* 4. *numer.* 7. dicens, sic notare omnes DD. & colligi ex *cit. cap. ex parte de sponsal.* ubi: *Nemini licet uxorem absque manifesta fornicationis causa dimittere.* Licet autem *in cit. cap. dixit Dominus*, dicatur: *Ubicunque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor*: Nomine suspicionis non quælibet suspicio, sed violenta, quæque certitudini morali æquivalet, intelligitur; ut Castrop. Porro certitudinem moralem ea solum præstant, quæ in judicio externo probata sufficerent, ut Judex sententiam proferret, Sanch. *L.* 10. *disp.* 12. *nu.* 40. Guttier. *de matrim. cap.* 129. *num.* 12. In particulari vero talia sunt. Primo dubium non est, esse sufficiens indicium adulterii, ut deciditur *in cap. literis de præsumpt.* si solus quis cum conjuge sola, nudus cum nuda in eodem lecto deprehenderetur; oscula vero & amplexus præcise neque ex se sufficiunt ad separationem, ut verius cum Sanch. *numer.* 47. Castropal. *numer.* 8. contra alios. Neque etiam

plene

plene adulterium probant. Si tamen contingerent in loco abdito & secreto, ubi facile copula haberi posset, vel aliis conjecturis adjuvarentur, si non ad condemnationem criminalem pœnæ ordinariæ, bene tamen ad separationem thori & cohabitationis. Castropal. citans Bursat. *vol.* 2. *consil.* 218. *numer.* 3. Mascard. *de probat. conclus.* 57. *num* 5. *& concl.* 64. *a numer.* 1. Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap* 7. §. 6. *num.* 3. Navar. *Rub. de Judic. num.* 10. non contradicente Sanch. si bene legatur *loc. cit. num.* 45. Secundo literæ amatoriæ ipsius mulieris, in quibus adulterium præteritum fateretur, eo quod licet illa confessio, utpote extraiudicialis, non plene probet delictum, facta tamen in iudicio plene illud probaret; adeoque una cum dictis literis amasio missis valens movere Judicem ad sententiam de adulterio; Castropal. *loc. cit.* citatis Menoch. *de præsumpt. L.* 5. *præsumpt.* 41. Paris. *consil.* 54. *volum.* 4. Mascard. *loc. citat. num.* 18. ac consequenter iam sufficiens ad sententiam de divortio ferendam, & quod hinc sequitur ad illud faciendum authoritate propria. Et sane, ut Sanch. *num.* 51. Guttier. *num.* 18. si satis est ad illud faciendum, quod de coniugis adulterio seu de eius violento indicio innocens certior factus a persona fide dignissima, cui merito prudentissimus quisque fidem haberet, cum illud dictum moralem certitudinem præstet, a fortiore ipsius coniugis adulterantis in literis amatoriis facta confessio certitudinem moralem præstare censenda est; illud quoque addendum, quod satis probabile esse ait Castropal. & pluribus firmari a Guttier. *num.* 18 Ferret. *consil.* 168. *num.* 4. *&* 5. Farinac. *Tom.* 4. *quæst.* 136. *num.* 18. nimirum ad divortium celebrandum non requiri ea indicia adulterii, quæ violentam, sed sufficere ea, quæ probabilem & vehementem suspicionem generant. Ac notandum denique cum eodem Castropal. *nu.* 9. Riccin *in prax. decis.* 232. Ponc. *L.* 10. *cap.* 18. *numer.* 4. tanquam certum, quod, si orta controversia in ordine ad dissolvendum matrimonium super impotentia viri, ipse fateatur adulterium se commisisse, ex hac confessione, etiam facta in iudicio, uxorem non posse intentare divortium, eo quod illa confessio præsumi debeat fraudulenta ad elidendam uxoris intentionem, factaque sit contra formam præscriptam *in cap. ex literis hoc titul.*

4. Resp. quarto: Tametsi igitur nulla exspectata sententia, innocens secluso scandalo se a coniuge adultero separare possit, si tamen coniux spoliatus querelam interponat de iniuria sibi facta, petatque restitutionem, statim restituendus est; & quidem quo ad omnia, in quibus spoliatus est; nimirum tam quo ad cohabitationem, quam redditionem debiti (non enim adest in hac restitutione ad debitum coniugale in hoc casu periculum peccati, sicut illum adest, dum spoliatus ob matrimonii nullitatem restituitur, qui & propterea oblatis in continente probationibus, non restituitur nisi ad cohabitationem, *cap. literas de restit. spoliat.*) neque separatio permittenda, quousque adulterium plene probatum sit, iuxta quod deciditur *in cit. cap. ex literis cap. in quæstione c. item cum quis de restit. spol.* ita Sanch. *cit. disp.* 12. *num.* 15. Castropal. *num.* 10. Sylvest. *vers. matrimon.* 1. *quæst.* 5. *&c.* Neque enim æquum est, coniugem publice privari iure suo & possessione, quin publice constet de causa, ob quam & iure privatus est. Nihilominus tamen spoliantem certum moraliter de adulterio, præcepto superioris iubentis spoliato reddi debitum, non teneri obedire, tradit Castropal. *num.* 11. eo quod hoc præceptum latum ex falsa præsumptione obligationem non inducat; & vel maxime, cum ex eius observatione spolianti proveniat damnum irreparabile, nempe bigamiæ, si velit ad ordines transire, & uxorem virginem accepit, & post adulterium illius non cognovit. Unde & Sanch. *num.* 22. cum Alex. *in L. naturaliter §. nihil commune ff. de acquirend. possess. num.* 20. & Menoch. *de recuper. possess. remed.* 1. *num.* 215. & aliis censet, virum spoliantem in hoc casu, offerentem probationes in continenti, id est, intra breve tempus arbitrio Judicis, cogendum non esse uxorem spoliatam admittere ad coniugale debitum, tametsi ad omnia alia restituatur; argum. *cap. literas, de restit. spol.* quemadmodum etiam in casu, in quo coniex certus est, etiam compulsus per excommunicationem non debere, ad alium coniugem quo ad thorum redire iuxta *citat. cap. literas*, unde etiam in hoc casu non reddi licitam redditionem debiti, etiam dum Papa compelleret redire ad consortium thori, & iam dum impedimentum esset iure humano dispensabile, nisi prius in eo dispensasset, & de novo contractum matrimonium, docetur communiter contra Henriq. *l.* 12. *de mat. cap.* 3. *num.* 2. apud Krimer. *de matrimon. num.* 1665. docentem hoc casu, urgente præcepto Judicis ecclesiastici, evadere honestam & licitam redditionem debiti. Unde iam etiam illud colligendum, quod dum uxor a viro, reiecta, vel contra, agit possessorio ad restitutionem, quando certum est eam prius fuisse in possessione juris, quo spoliata est, & vir opponit exceptionem consanguinitatis inter se & ipsam, virum quidem esse ei restituendum, non tamen plene, nimirum, quo ad tectum & lectum, esto vir habeat probationem parentelæ seu consanguinitatis, quæ spatio paucorum dierum terminari posset, ne conjuges exponantur periculo incestus, quod non imminet ex restitutione ad solum tectum. Si autem probationes habet paratas, sed longa opus est processus dilatione, spoliata plene restituenda. His non obstante *cap.* 1. *de ordin. cognit.* ubi dicitur vir ad uxoris spoliatæ receptionem antequam compellatur, prævie discuti debeat quæstio exceptionis oppositæ super consanguinitate; quia hæc est exceptio præjudicialis, nam id verum non est, si agatur in judicio possessorio recuperandæ; quia in eo judicio non agitur principaliter de valore matrimonii, sed supponitur, quando ejus possessio antecedens constat, ut habetur *c. ex conquestione, c. literas de restit. spoliat.* sed tantum, quando agitur in judicio petitorio; in eo enim, si agatur causa matrimonialis, & actori opponitur exceptio consanguinitatis, ea non tantum admittitur, sed etiam prius cognoscenda quam causa principalis, dum hæc illa probata perimitur. Atque *in cit. cap. de ordin. cognit.* agebatur petitorio; quia non agebat mulier, ut vir, cum fuerat in possessione matrimonii, sibi restitueretur tantum, sed etiam, ut is sibi adjudicaretur tanquam verus maritus.

QUÆSTIO CCXCVI.

An maritus teneatur dimittere uxorem adulteram.

RESp. Per se nulla est ad hoc obligatio. Sanch. *l.* 10. *d.* 13. *a num.* 6. Laym. *loc. cit. num.* 15. Hurtad. *d.* 11. *diff.* 4. *a num.* 15. Castrop. *cit. part.* 6 §. 3. *nu.* 2. cum communi. Christus siquidem *Matth* 5. & 19. a præcepto non dimittendi uxorem excipiens fornicationis causam, satis indicat, stante hac causa, maritum neque adstringi ad retinendam uxorem, neque ad dimittendam, sed utrumque ei liberum esse, juxta quod ait D. August. relatus *in cap. idololatria* 28. *quæst.* 2. *permisit dominus, non jussit*; uti & ipsum confirmatur ratione: cum enim divortium jure ipso naturæ inductum sit in pœnam delinquentis, & innocentis favorem, æquum erat, ne innocens ad illius executionem astringeretur, sed illo pro suo libitu uti posset, ne alias in ejus pœnam verteretur. Sed neque ullus est textus, ex quo leviter colligatur illa adulteram expellendi obligatio; nam textus illi *Proverb* 18. *qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens*, quia ea retentione suis hæredibus injuriam irrogat debita hæreditate fraudando, suæque famæ notam lænonis imponit, juxta textum *cap. sicut crudelis* 32. *quæst.* 2. ubi: *Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, ita fatuus & injustus est, qui retinet meretricem, patronus enim turpitudinis est*; textus illi, inquam, loquuntur de marito retinente uxorem adulteram, non pœnitentem seu non emendatam, nulla adhibita correctione; is enim ejus turpitudinis particeps & patronus censeri debet; juxta quod dicitur *cap. si vir de adult.* ubi: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus criminis particeps.* Tenebitur tamen quandoque, etsi rarissime, per accidens lege caritatis ad eam dimittendam maritus, dum nimirum credit eam corrigendam, scandalumque sedandum, si ad tempus eam dimittat, idque sine gravi incommodo facere possit. Quamvis recte dicat Castrop. *num.* 3. id fere impossibile; eo quod uxor, quæ in domo mariti eam reprehendentis & punientis delinquit, inde dimissa liberius sit peccatura. Quin & ad utendum istiusmodi remedio dubio non tenetur; neque ratione suspicionis & scandali, quod patrocinetur delicto uxoris; cum illi suspicioni aliis remediis occurri possit. Unde jam etiam infert Castrop. *num.* 4. cum Sanch. *d.* 13. *num. ult.* Henriq. *l.* 11. *c.* 17 *num.* 3. Hurtad. Con. &c. a fortiori, raro vel nunquam uxorem obligatam esse separare se a marito adultero; eo quod ipsi, utpote subditæ viro, permissum non sit virum corrigere puniendo, sed tantum monendo & exhortando; neque dimissio censenda sit remedium aptum ad corrigendum; cum dimissus fiat liberior; ad hæc uxori incommodissimum sit cœlibem vitam ducere, ac carere viri consortio regulariter sibi utilissimo.

QUÆSTIO CCXCVIII.

An & qualiter ob hæresin liceat facere divortium.

1. RESp. primo: Hæresis non quæconque, sed pertinax (qualis est, quæ post unam alteramve correptionem persistit) est causa sufficiens divortii. Laym. *loc. cit. num.* 16. Castropal. *loc. cit. num.* 2. Sanch. *l.* 10. *disp.* 15. *nu.* 9. cum communi juxta illud Apost. *ad Titum* 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*; & prout colligitor ex *cap. fin. de convers. conjug. cap. quanto hoc tit. cap. non solum cap. idololatria* 28. *quæst.* 1. plerumque enim ex cohabitationo, cum hæretico pertinaci imminet periculum perversionis conjugi Catholicu ejusque proli; & licet de facto in aliquo casu hoc periculum cessaret, non tamen impediretur propterea Catholicus facere divortium; cum satis sit, periculum ut plurimum adesse, Sanch. Castropal. *LL. cit.* Con. *d.* 35. *du.* 4. *num.* 24.

2. Resp. Secundo: Præmissa admonitione & correptione (uti ea præmitti debet divortio *cit. cap. non solum*) cognitaque obstinatione conjugis in hæresi, etiam propria authoritate se separare poterit conjux Catholicus. Laym. *loc. cit.* quin & animadverso perversionis periculo, jure naturali ac divino obligatur se separare. Sanch. *num.* 5. Ponc. *l.* 9. *cap.* 22. *nu.* 2. Laym. *loc. cit.* quod tamen Castrop. *loc. cit.* credit intelligendum, dum conjux niteretur conjugem Catholicum pervertere, adessetque periculum gravissimum assentiendi; cum alias nemo teneatur pericula communia peccandi cum gravi damno suo fugere; esset autem grave separare se a cohabitatione, & obsequiis conjugis carere, cælibemque esse; quin &, cum ex tali separatione conjugi imminet periculum grave incontinentiæ, quod obligatus potius est fugere, quam periculum perversionis non graviter urgens. Porro propria authoritate separans se Catholicus nequit sacris initiari, aut religionem ingredi; cum cedat id in præjudicium conjugis hæretici, utpote qui conversus repetere potest conjugem Catholicum; neque is tueri se potest hæresi etiam notorie commissa a suo conjuge; hæc enim, seclusa declaratione Ecclesiæ, præbet causam divortii solum temporalis, ita, ut cessante hæresi, teneatur Catholicus ei reconciliari; in quo maxime differt hoc adulterium spirituale a carnali adulterio. Castropal. Laym. Ponc. Con. *LL. cit.* Sanch *L.* 10. *disp.* 15. *num.* 20. *& seq.*

3. Resp. Tertio: Hæreticum judicio Ecclesiæ declaratum resipiscentem ab hæresi non tenetur Catholicus conjux ad sui consortium recipere. Sanch. *disp.* 15. *num.* 19. Laym. *loc. cit.* Castrop *num.* 5. Ponc. *num.* 3. Covar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 5. Hurtad. *d.* 11. *disp.* 3. *num.* 20. Barbos. *h. rub.* 2. *part. n.* 10. *ff. solut. matrim. &c.* contra Gloss. *in cap. de illa hoc tit. in fin.* Jul. Clar. *l.* 5. *recept.* §. *hæresis num.* 15. Surdum *de alim. tit.* 7. *quæst.* 21. *num.* 7. Sotum *in* 4. *dist.* 39. *quæst. unic. art.* 4. *ad* 3. & alios censentes, Catholicum non eximi ab hac obligatione, nisi religionis ingressu. Argum. *c. fin. de convers. conjug.* ubi: *mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad religionem libere convolare.* Ratio responsionis est, quod Ecclesia in pœnam hæresis possit privare, & privet hæreticum jure, quod habebat conjux in conjugem exigendi conjugale debitum, mutuamque cohabitationem in perpetuum, non secus, ac aliis juribus, dominiis, & bonis &c. constatque id ipsum ex *c. de illa hoc tit.* ubi: *Si vero judicio Ecclesiæ ab eo* (nimirum a viro lapso in hæresin) *cessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam*, *cap.* vero *quanto tit. eodem* compellitur mulier ad virum hæreticum pœnitentem redire, ideo, quia judicio proprio, & non Ecclesiæ se ab eo separarat; & *cap. fin. de convers. conjug.* licet mulieri, quæ in fide remansit, concedatur, ut etiam nolente viro resipiscente ab hæresi, possit ad religionem convolare, nullo tamen modo ad id arctatur, sed eo ingressu libere concesso, declaratur plena ejus exemptio a cohabitatione viri. Castropal. *num.* 5. Porro censeri Catholicum judicio Ecclesiæ ab hæretico separari, eo ipso, quo hæreticus ut talis declaratur, licet privatim & in secreto ab Inquisitoribus hoc judicium fiat, quia est pœna, quæ declarationem delicti sequitur, censet Sanch. *disp.* 15. *num.* 20. & cum eo Castrop. De cætero notandum hic cum Laym. *cit. num.* 16. nimirum Ecclesiam, si id necessarium judicet ad occurrendum periculo animæ (non enim leviter juvat pœnitentem hæreticum ad perseverandum in fide, & ad vitandum incontinentiæ, nimiæque tristitiæ & desperationis periculum, eundem recipi ad consortium Catholici) præcipere posse Catholico, ut conjugem hæreticum ad fidem conversum ad cohabitationem recipiat, tum ob authoritatem DD. docentium, inesse illam Catholico obligationem; tum quia Ecclesia in tali casu ad salutem animæ multum pertinente, nunquam ita hæreticum damnare censeatur, quin postea, si serio resipiscat, eundem restituere possit, modo res integra sit, & innocens statum non mutarit ingrediendo religionem, vel ordines suscipiendo.

4. Resp. Quarto: Hæreticus damnatus, resipiscens ab hæresi non potest invito Catholico, a quo separatus, mutare statum, sed teneri ad consortium Catholici redire, si is velit; cum hæc pœna ob hæresin imposita, non debeat cedere in detrimentum innocentis; unde etiam censet Castropal. *numer.* 6. citatis Sylv. *vers. divortium quæst.* 10. Sanch. *d.* 15. *nu.* 4. Ponc. *L.* 9. *cap.* 22. *num.* 4. quod licet probabile sit, sententia divortii lata ob adulterium & acceptata ab innocente, nocentem obligatum non esse ad consortium innocentis redire, in præsente tamen id nullo modo probabile censendum esse; eo quod separatio ob adulterium integre fiat in favorem innocentis, & ob injuriam ei factam; separatio autem ob hæresin fiat præcipue ob injuriam fidei & religioni factam, & in ejus satisfactionem, neque egeat innocentis acceptatione.

5. Resp. Quinto: Catholicum habentem copulam cum conjuge hæretico ante sententiam de hæresi, non censeri per hoc remittere jus divertendi; quia nequit renunciare juri, quod ex perseverantia hæresis nascitur, (cum, ut dictum, debeat se ab eo pertinaciter in hæresi perseverante separare) ait Castropal. *num.* 7. quod idem videtur de hæretico non pertinace, sed volente corrigere hæresin; quia ob admissam hæresin in hoc casu nullum adhuc jus acquisierat faciendi divortium. Si vero habita copula post sententiam (intellige cum hæretico resipiscente, utpote respectu cujus jam acquisierat jus se ab eo separandi) renunciare Catholicum hoc ipso dicto juri, si habendo copulam habeat expressum animum condonandi; secus, si adesset animus non condonandi, vel etiam, si neuter animus expresse adesset; secus, ac accidit in divortio ob adulterium carnale, ubi (quia per talem copulam redintegratur caro, quæ fuerat divisa in alienam) censetur facta per eam copulam cessio juris, etsi uterque animus expressus desit, ut censet Sanch. *loc. cit. nu.* 26 contrarium tamen sen[tit] Castr. citato Ponc. *loc. n.* 5. nimirum habita dicta copula post sententiam, necessario præsumendam dictam juris remissionem; eo quod licet in pœnam injuriæ Deo irrogatæ absolvatur a debito conjugali conjux Catholicus, absolutio tamen ea cedat in ejus favorem, cui is renunciare possit; adeoque habens cum hæretico copulam, hoc ipso protestari censeatur, nolle se ab eo separari.

6. Resp. Denique in crimine hæresis non datur, sicut in adulterio, compensatio. Castropal. *nu.* 8. citatis Sanch. *l.* 10. *disp.* 16. *a num.* 1. Ponc. *num.* 6. non primo cum adulterio; cum hæresis ante sententiam non sit causa divortii perpetui, sicut est adulterium; adeoque conjux adulter, a quo conjux hæreticus discedit, non potest se tueri exceptione hæresis nondum damnatæ: Sed neque adulterii cum hæresi judicio Ecclesiæ declarata; eo quod etsi tam hæc, quam illud sit causa divortii perpetui, divortia tamen hæc contingant, ex diversa ratione, unum ob violationem fidei conjugio debitæ; alterum in pœnam ob violationem fidei DEO ejusque religioni debitæ; adeoque cum unum horum delictorum cum altero compensari nequeat, quilibet eorum habet jus discedendi ab altero, adulter ab hæretico, & hæreticus ab adultero. Non secundo hæresis unius cum hæresi alterius venit compensanda; cum pœna divortii ob hæresin non imponatur ob injuriam conjugio factam, sed DEO, unius autem hæresis alterius hæresis gravitatem non minuit, sicut contingit in adulterio, ubi unius injuria alterius injuria compensatur, utpote quæ eidem conjugio adversatur; ita fere Castropal. *tractat.* 28. *disp.* 3. *part.* 6. §. 8. *numer.* 8.

QUÆSTIO CCXCIX.

An quoque ob alias causas fieri possit divortium.

RESp. Affirmative; esseque hanc veritatem Catholicam, ait Castropal. *loc. cit num.* 1. juxta quod definitum a Trident. *sess.* 24. *can.* 8. his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges a quo ad thorum, seu quo ad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit*, constatque ex toto *tit. de divortiis & convers. conjugator.* sed neque obstat, quod Christus solam causam divortii assignaverit fornicationem; cum locutus tantum fuerit de causa perpetua separationis, & quæ contractui matrimonii obstat,
qualis

qualis est sola fornicatio; cum cæteræ causæ ex se perpetuam separationem non inferant, sed solum quamdiu eæ persistunt, neque matrimonio sint proprie & directe oppositæ.

QUÆSTIO CCC.

An & qualiter consummato matrimonio fieri possit divortium, quo ad thorum ob ingressum religionis, vel susceptionem Ordinum citra consensum alterius conjugis.

1. RESp. Primo: Conjux consummato matrimonio & seclusa omni alia causa, nec licite nec valide profitetur religionem sine licentia conjugis alterius, & consequenter hac ratione divortium, quo ad thorum facere non potest, uti hæc habentur expresse *cap. quidam cap. placuit de convers. conjug.* consummato enim matrimonio, non est sui juris, sed alterius, cui se tradidit in matrimonium; adeoque eo invito non secus ac servus invito domino invalide profitetur, & consequenter se illicite & invalide separat, quo ad thorum a conjuge; quod idem esse, si gravi metu injuste incusso aut dolo consensus, seu licentia ad hoc extorta fuerit, ait Laym. *loc. citat. num.* 3. & sic de facto se ex ea causa separat & profiteatur, ab altero conjuge repeti potest, utpote cui professio nulla, & exinde facta separatio præjudicare non potest. Castropal. *cit. part.* 6. §. 11. *num.* 1. Laym. *L.* 5. *tractat.* 10. *par.* 3. *cap.* 7. *numer.* 4. quin & conjuge etiam non revocante posse illum propria authoritate post talem professionem exire, & se oxori restituere, tradunt iidem cum Sanch. *L.* 7. *dist.* 34. *numer.* 10. Less. *de Justit. L.* 2. *cap.* 41. *num.* 25. juxta quod decisum *cap.* 2. 32. *quæst.* 5. *cap. accedens de convers. conjug.* imo teneri illum redire ad uxorem, tenent Laym. *l. c.* Sanch. *nu.* 15. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. eo quod dum uxor non consentit ingressui, est manifesta injuria, quippe retinet rem alienam invito domino. Neque dimittere habitum ex obligatione conjugii, est contra Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* damnans tanquam apostatam, qui quacunque ex causa habitum dimittit. Castrop. *num.* 4. Ponc. *L.* 9. *cap.* 20. *n.* 2. Neque etiam obstat, quod *in cap. placet de convers. conjug.* dicatur de ingressa in religionem, in ejus potestate non esse ad sæculum redire, sed in potestate mariti, & ideo, quantum ad ipsam, tenuerit votum, quod post mortem mariti tenere non desiit; nam dici potest cum Castrop. *loc. cit. num* 5. hunc textum sic intelligendum, quod non possit redire ad vitam conjugalem, ut ante, ratione voti castitatis, quo vi professionis factæ est & manet obstricta, quo impeditur petere debitum, & mortuo marito ad continendum. Teneri tamen talem nulliter professam ad castitatem, quantum cum matrimonio compati potest juxta textus *cit.* eo quod præsumatur emittendo professionem, voluisse se ad hanc obligare, quantum potuit; adeoque, cum potuerit se obligare ad non petendum debitum durante matrimonio, & illo soluto ad integram castitatem, illam servare obligatum esse; non tamen teneri ad illam, si expressam voluntatem habuisset, non obligandi se ad castitatem, nisi in statu religioso persisteret, vel ex suppositione, quod religiosus esset, censent AA. iidem Sanch. *n.* 3. Less. *n.* 29. Castrop. *n.* 2. Laym. *l. c.* quemadmodum certum est taliter professum sine licentia uxoris nullatenus teneri ad regressum in religionem soluto matrimonio per mortem uxoris; cum in illa professione (secus ac in illo voto castitatis accidit, utpote quod stante matrimonio vim suam habere potuit) non imbibatur votum ingrediendi religionem; quia est ipse ingressus, qui, cum nullus sit, nullam parit obligationem.

2. Resp. Secundo: Valide quidem, sed illicite conjux etiam matrimonio non consummato sine consensu alterius recipit Ordines; est communis definita *cap. conjugatus de convers. conjug.* & *Extravag. antiqua de voto* unde jam etiam ordinatus potest a conjuge revocari; cum ejus malitia non debeat conjugi præjudicare, nisi forte, dum matrimonium necdum consummatum, velit ingredi religionem, ut Castropal. *loc. cit. num.* 7. Quod si tamen tempore ordinationis oxor non reclamavit, censent quidem, eo ipso datam ei licentiam. Negant e contra Sanch. *dist.* 35. *num.* 15. Guttier. *de matrim. c.* 95. *n.* 26. Castrop. *cit. num.* 7. solam dissimulationem esse sufficientem; cum dissimulatio non sit licentia, & in re ita gravi & juri proprio præjudicanti expressa licentia requiratur, uti ad ingressum religionis. Argum. *cap. consuluit de convers. conjugat.* Porro ordinatum sine licentia conjugis non teneri ad conjugem redire, nisi ipsa petat, maxime, si matrimonium consummatum non sit, habet Castropal. *num.* 8. juxta *cit. Extrav. antiqua* imo non posse ad conjugem non petentem redire, secus ac accidit in professo, utpote cujus professio nulla fuit, censent plures apud Sanch. *L.* 7. *dist.* 38. *num.* 26. Contrarium tamen, sive idem dicendum de ordinato, quod de professo, verius censet Castrop. eo quod licet Ordo in casu hoc susceptus sit valido, non pugnet tamen cum matrimonio, nisi quatenus votum castitatis annexum habet, quo æque in hoc casu professus etiam nulliter obstringitur juxta dicta; adeoque sicut professus non repetitus de se redire potest, & conjugi petenti debitum reddere, non autem petere, sic & talis ordinatus.

QUÆSTIO CCCI.

An & qualiter divortium fieri possit consummato matrimonio ob ingressum religionis, vel Ordinum susceptionem de consensu alterius conjugis.

1. RESp. Primo: Licita & valida est professio, uti & susceptio Ordinum, & hinc separatio quo ad thorum, facta de licentia alterius conjugis etiam matrimonio consummato *cap. conjugatus cap. uxoratus de convers. conjugat.* & prout colligitur ex illo Christi *Matth.* 19. *Omnis qui reliquerit domum ... & uxorem, centuplum accipiet.* Tametsi autem ad valide (ut dicetur paulo post) non tamen ad licite profitendum sufficit illa conjugis licentia, sed insuper requiritur, ut dans licentiam, & ipse ingrediatur religionem, (intellige non solum, ut in ea reclusus a sæculari conversatione removeatur, ut vult Pallacius, sed ut in ea profiteatur, ut habet communis cum Abb. *in cap. uxoratus.* Sanch. *L.* 7. *dist.* 52. *numer.* 4. Gutt. *cap.* 95. *num.* 6. Castrop. *nu.* 12.) juxta *cap. cum sis & c.* 1. *de convers. conjugat.* ita ut satisfaciat ingrediendo religionem quamcunque veram & approbatam, v. g. profitendo in Ordine Equitum S. Joannis seu Melitensium, in qua, etsi extra claustrum vivat, virtute tamen professionis non est iisdem periculis expositus, quibus sæcularis; vel manens in sæculo votum edat perpetuæ continentiæ (quod tamen votum non evadit solenne, neque subsequens matrimonium mortuo conjuge professo, contrahendum dirimit; cum, ut habetur *cap. unic. de voto in* 6. nullum detur votum solenne, nisi in religione approbata, vel Ordinum sacrorum susceptione; ita Castropal. *num.* 13. Sanch. *L.* 7. *dist.* 32. *num.* 8. Guttier. *loc. cit. num.* 7. Ponc. *L.* 9. *cap.* 12. *num.* 3.) sitque ejus ætatis, ut sine incontinentiæ suspicione & probabili periculo valeat in sæculo manere, ut habetur *cap. uxor.* & *cap. ad Apostolica de convers. conjug.* circa quod notat Castrop. *n.* 9. cum Sanch. *num.* 9. & 10. Gutt. *n.* 8. & 10. requiri utrumque, nimirum & senilem ætatem & carentiam suspicionis de incontinentia. Item hanc dispositionem communem esse utrique conjugum; eo quod *cap. uxoratus* sola uxor excipiatur ab ingressu religionis, si ita senex est &c. *cap. Apostolica*, tamen uterque conjux excipiatur. Porro cum dicta dispositio non spectet communitatem (qualiter quia eam spectat v. gr. lex jejunandi, ætas excusans ab illius observatione, certa quadam regula definiri potest, v. gr. quod annus 60. ad hoc sufficiat) sed singulares personas, dicta ætas & carentia suspicionis de incontinentia excusans a religionis ingressu, Episcopi judicio relinquitur arbitranda, spectatis circumstantiis personarum, valetudine, robore & modo procedendi. Laym. *loc. citat. num.* 3. Sanch. *num.* 15. Guttier. *num.* 2. & 3. Castropal. *num.* 10. (qui etiam addit, plerumque in viris sexagenariam, in fœminis quinquagenariam deberi judicari sufficientem, utpote quæ spectato communi cursu insufficiens sit ad generandum, quod tamen quo ad viros frequentius fallit) Ponc. *L.* 9. *cap.* 12. *nu.* 3. & alii, juxta quod statuitur *cap. si vir & uxor.* 27. *quæst.* 2. & *cap.* 1. *de convers. conjugat.* De cætero ultra licentiam conjugis ad valorem professionis non requiri licentiam Episcopi, communius & rectius tenent Sanch. *a num.* 3. Guttier. *num.* 4. Ponc. *num.* 2. Laym. *num.* 3. quin etiam Episcopi licentiam non esse necessariam ad licite profitendum seu de præcepto, sed solum ex consilio & ad majorem securitatem; eo quod in citatis textibus nullum feratur de hoc præceptum, &, si forte fuerit latum, jam consuetudine sit abolitum. Contrarium tamen sentiente Castrop *n.* 11. eo quod dicitur *d. c. si vir & uxor*: *nullatenus sine conscientia Episcopi fiat*, *&* *nullatenus* necessitate præcepti importet, quod consuetudine abolitum non esse, constet ex eo, quod potius hodiedum soleat dicta Episcopi licentia exquiri.

2. Quod si tamen dans hanc licentiam ingrediendi, ipse non ingrediatur, ut obligatur, religionem, dum juvenis est, & de incontinentia suspectus, non exinde alterius conjugis professio est nulla. Sanch. *l.* 7. *d.* 33. *a n.* 2. Gutt. *num.* 11. Ponc. *n.* 4. Castrop. *n.* 14. Neque tamen etiam tali compellendus est ad profitendam religionem, aut votum emittendum. Castrop. *n.* 15. cum votum castitatis religionisque assumptio ex propria, & non ex aliena voluntate esse debeat, ut Less. *l.* 2. *cap.* 41. *num.* 26. quinimo si in tali casu qui postquam dedit li-

sentiam, ipse profiteri aut vovere non vult, debet Episcopus sic professum conjugi revocare, quousque is votum continentiæ, aut professionem religiosam emittat; eo quod usque tunc non cedat perfecte juri suo. Castrop. *l. c.* §. 11. *n.* 15. Ponc. *n.* 5. juxta quod expresse deciditur *cap. 1. de convers. conjug.* ubi: *dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuam castitatem promiserit, vir potest & debet de monasterio revocari, ipse tamen exire nequit*: mortua vero uxore (idem est, si votum emittat aut profiteatur) dictus professus ad monasterium redire debet; quia ejus professio valida fuit, & solum ejus executio ob conjugis incontinentiam suspensa fuit. Sanch. Less. Castrop. Gutt. Ponc. *LL. cit.*

3. Resp. Ad secundum: In susceptione Ordinum de licentia conjugis eadem observanda esse, quæ in professione religionis; cum eadem & efficacior sit ratio, siquidem graviori periculo incontinentiæ exposita est uxor juvenis in sæculo manens, viro ad Ordines promoto, quam in religione professo, cum communiore tenent Navar. *in man. cap.* 22. *num.* 52. Cuchus *L.* 5. *Instit. majer. tit.* 12. *num.* 223. Sanch. *l.* 7. *disp.* 39. *n.* 6. Gutt. *c.* 96. *num.* 1. Argum. *cap. Agathosa* 27. *q.* 2. *c. Episcopus dist.* 77. *cap. ex parte de convers. conjugat.* nihilominus spectato rigore juris, probabilius censet Castrop. *num* 17. citatis Sa *v. divortium num.* 4. Ponc. *l.* 7. *cap.* 25. *a num.* 5. conjugem dantem licentiam ordines suscipiendi, tametsi sit juvenis & de incontinentia suspecta, non esse obligatam profiteri religionem, sed satis esse, si votum continentiæ emittat, eo quod dicta obligatio ex nullo textu colligatur ex *cap.* autem *sane de convers. conjugat.* tantum inferatur, nullum conjugatum posse ad Episcopatum assumi, etiamsi ejus uxor prius religionem profiteatur; cum ibi nullum verbum de aliis Ordinibus fiat; quamvis tamen, ut ipse Castropal. & Ponc. spectata consuetudine, nullus permittitur initiari sacris Ordinibus, quin ejus uxor religionem profiteatur, aut, si senex, & de incontinentia non suspecta, votum castitatis emittat, in quo posteriore casu non permittitur ordinatus habitare cum conjuge, nisi in separato cubiculo. Abb. *in cap. conjugatus de convers. conjug. num.* 5. Castropal. *num.* 18. juxta *cap. Episcop.* consulunt tamen Sanch. *l.* 7 *d.* 39. *num* 8. Gutt. *c.* 95. *num.* 3. nequidem permittendos habitare in eadem domo ob malæ suspicionis occasionem.

4. Quod si conjux dans licentiam suscipiendi Ordines, dein nolit profiteri, aut votum emittere, petatque sibi restitui virum ordinatum, Sanch. *disp.* 39. *num.* 12. negat restituendum, sed ipsam compellendam, ut votum emittat, ad quod emittendum concedendo licentiam se obstrinxerat; contrarium censet Castropal. *num.* 19. Porro votum, quod in hoc casu emittit uxor, non dirimere matrimonium subsequens, uti illud non dirimit votum dantis licentiam ingrediendi religionem, quia solenne non est, censet Ponc. *cap.* 25. *num.* 10 Sotus *L.* 7. *de Just. & Jur. quæst.* 5. *art.* 3. *in solut. ad* 1. Contrarium, nempe per votum in tali casu emissum reddi emittentem inhabilem ad matrimonium aliud mortuo viro ordinato, tenent, & communem dicunt Azor. *Tom.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 11. Gutt. *cap.* 96. *num.* 5 Sanch. *l.* 7. *disp.* 40. *a num* 2. Castrop. *loc. cit. num.* 20. citantes *cap. ipso*, & *cap. quia sunt* 28. *dist.* eo quod Ordini sacro debitum erat, ne uxor dans veniam, ad aliud matrimonium transiret, quin & probabile esse, id procedere dicant Sanch. *num.* 7. Guttier. *cap.* 95. *num.* 8. tametsi uxor ignara sit hujus juris; eo quod ad hanc inhabilitatem inducendam spectetur sola Ordinis reverentia. Si tamen uxor conscia ordinationis nec consensisset, nec dissensisset, sed dissimulasset, non reddi inhabilem ad alium matrimonium mortuo marito; eo quod illa dissimulatio in re tam gravi non sit reputandus consensus; adeoque ei non magis præjudicari possit, quam si vir ea ignorante ordinatus fuisset. Contrarium tenet Castropal. *num.* 21. cum Gloss. *in cap. ea sunt d.* 28. *vers. fuisse* eo quod ea dissimulatio toto tempore vitæ mariti continuata inferat consensum verum & irrevocabilem; quod secus esse dicit Castropal. Si (intellige in hoc casu nec dati, nec negati consensus) vivonem conjugem, utpote ordinatum sine ejus consensu expresso ad suum consortium revocaret.

Observandum circa hæc; conjugatum suscipientem Ordines sacros (secus est de minoribus) sine licentia expresse conjugis incurrere suspensionem, seu irregularitatem juxta *Extravag. antiqua de voto* unde nec in Ordine suscepto ministrare possit, neque ad altiorem ascendere; neque beneficium aut officium ecclesiasticum obtinere, ordinatum vero de licentia uxoris, ea dein nolente ingredi religionem, aut vovere castitatem, dictam irregularitatem non incurrere, etsi censeant plures, Castrop. tamen *num.* 23. dicit, sibi id non placere; eo quod taliter ordinatus ab uxore tali voto castitatis non ligata possit repeti, ad quod evitandum dicta *Extrav.* lata; quin & in ea asseratur, conjugatum qui ad Ordines aliter ascenderit, quam SS. Canonibus noverit convenire, affici dicta pœna; qui autem ordinatur, quin ejus uxor professionem emittat, ascendit aliter ad Ordines, quam SS. Canonibus præscribitur, ergo. A dicta tamen pœna excusari ordinatum ex qualibet ignorantia, modo affectata non sit, eo quod *citat. Extrav.* utatur verbo *præsumere*, ait cum Sanch. Castrop. *l. c.* multoque magis, si matrimonium nullum fuisset, aut etiam Ordo susceptus, v. g. ab Episcopo non habente intentionem.

QUÆSTIO CCCII.

Qualiter conjux innocens intentans judicialiter, divortium procedere debeat.

1. RESP. Primo: Conjugi innocenti adversus conjugem adulterum conceditur actio duplex, civilis & criminalis. Castrop. *loc. cit.* §. 5. *num.* 1. cum communi. Civilis est, quæ ad separationem thori, mutuæque habitationis & amissionem dotis tendit. Criminalis, quæ ad pœnam sanguinis. Actio civilis utrique conjugi competit, & unius delictum alterius delicto compensatur. Criminalis actio solum competit marito adversus uxorem, non contra, ut expresse statuitur *l.* 1. *c. ad L. Jul. de adult.* adeoque marito criminaliter accusante uxorem de adulterio, uxori non licet opponere exceptionem adulterii mariti; quia in hac actione non sunt pares, neque in illis, quo ad dictam pœnam admittitur compensatio delicti juxta dicta supra; ita fere Castrop. *l. c.*

2. Resp. Secundo: Maritus ad pœnam sanguinis accusans uxorem, necessario actionem instituere debet coram Judice sæculari, qui solus est competens ad pœnam sanguinis irrogandam *c. sententiam ne clerici vel monachi* ab accusante vero ad alias pœnas coram Judice ecclesiastico vel sæculari actio intentari potest, locusque est præventioni, quia uterque competens est; siquidem adulterium est injuria irrogata Sacramento matrimonii, cujus punitio utrique huic Judici competit, ut Abb. *in c. tua de procur. n.* 6. Cov. *4. decret.* 2. *p. c.* 7. §. 7. *n.* 10. Clar. *l.* 5. *recept. sent.* §. *fin. qu.* 37. *nu.* 3 Sanch. *l.* 10. *d.* 8. *n.* 16. Castrop. *l. c. n.* 2. Procedens vero civiliter, quo ad divortium & amissionem dotis, necessario coram Judice ecclesiastico debet intentare actionem; eo quod, dum agitur de obligatione matrimonii dissolvenda, solus Judex ecclesiasticus est competens. Jul. Clar. *l. c.* Cov. *l. c. n.* 8. Germ. *de Sacrar. immun. c.* 12. *n.* 56. Sanch. *n.* 15. Castrop. *n.* 3.

3. Resp. Tertio: Intentata actione civili nequit conjux transire ad criminalem, non solum quando pendet unius actionis judicium, ut deciditur *L. unic. cap. quando civil. act. crim. præjud.* sed etiam eo judicio finito; eo quod in hac causa divortii utrumque judicium ad idem tendit, scilicet ad punitionem adulterii, vel privando illum potestate petendi debitum, dotisque amissione, vel pœnam mortis imponendo, quo casu una actio alteri præjudicat, ut Gloss. *in cit. L. unic. v. de re familiari.* Abb. *in c. tua de procur. num.* 5. Sanch. *loc. cit. num.* 9. Castrop. *num.* 4.

4. Resp. Lite sive criminali, sive civili pendente, alimenta & tales expensæ ministrandæ sunt, non tantum quando uxor divortium contra virum adulterum intentat, quod certum est. Gutt. *qq. can. c.* 24. *n.* 7. Sanch. *cit. d.* 8. *n.* 28. Castrop. *n.* 5. sed etiam, quando contra illam intentatur divortium a viro; cum lite pendente nihil sit innovandum, idque etiam si adulterium sit notorium. Castrop. citatis Cævall. *in qq. comm. q.* 734. *a n.* 8. Farin. *Tom.* 4. *qu.* 143. *n.* 43. Sanch. *ubi ante*. Addit tamen Castrop. cum Sanch. & Farin. *l. c.* in foro conscientiæ ad ea alimenta & impensas ministrandas non teneri virum, si certus sit de uxoris adulterio; quin neque in foro externo tenetur uxori fugitivæ e domo ob timorem se male a viro tractandam causa adulterii suspicati. Castrop. *cit. n.* 5. Farinac. *num.* 45.

QUÆSTIO CCCIII.

An lata sententia divortii, nocens obligetur reconciliari innocenti, quando ipse vult, vel liberum sit Ordines suscipere, vel religionem ingredi, vel votum castitatis emittere, innocente inconsulto, vel etiam invito.

RESP. Non convenire in hoc AA. plures apud Sanch. *l.* 10. *disp.* 10. *num.* 1. & 10. id negant; eo quod etsi sententia divortii feratur in favorem innocentis, quatenus ei concedit optionem discedendi a conjuge nocente, aut ei se reconciliandi, cedat tamen etiam indirecte in favorem nocentis,

dum

dum eo ipso, quod innocens eligat divortium, renuatque nocentis societatem, nocens excusetur & solvatur a debito conjugali, quo innocenti obstrictus erat. Affirmant econtra verius & probabilius Glоss. *in cap. ex literis hoc tit. v. redire.* Felin. *in cap. Later de sent. & re judic. declar.* 8. *num.* 9. Barbos. *Rub. ff. soluta matrim.* 2. *p. nu.* 22. *in fine.* D. Thom. *in* 4. *d.* 35. *quæst. unic. a.* 6. *ad* 3. S. Bonav. *ibid. a. unic. q.* 5. Sanch. *l. c. n.* 3. Ponc. *L.* 9. *cap.* 19. *a num.* 1. & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *tr.* 28. *d.* 3. *p.* 7. *§.* 7. *n.* 1. eo quod sententia divortii non plus juris concedat innocenti, vel nocenti, quam quod jure naturali eis competit ob adulterium commissum; cum sit illius juris naturalis declaratoria, adulterium autem non eximat nocentem ab obligatione reddendi debitum & cohabitandi innocenti, si is velit, ne alias ex suo delicto adulter reportaret commodum. Nihilominus quandoque per accidens excusari nocentem ad consortium innocentis redire, advertit cum Gutt. *de matrim. c.* 129. *num.* 14. Castrop. *loc. cit. num.* 3. sic v. gr. uxor separata a viro ob adulterium suum tara compelli potest ad consortium viri redire ob timorem, quem rationabiliter habere potest mortis sibi inferendæ, vel iniquæ tractationis & magnæ sævitiæ. Porro hæc obligatio nocentis non mutandi statum durat, quamdiu spes est reconciliationis; cessat, hac spe cessante; quia autem hæc spes deficere censetur in sequentibus casibus, poterit nocens in iis mutare statum. Sic primo poterit uxor, lata sententia de ejus adulterio, aut eo notorio detrusa in monasterium pœnitentiæ agendæ gratia profiteri, si vir eam intra biennium reclusionis non repetat, cum ea repetitionis omissione consentire censeatur vir ingressui, jure sic disponente *Auth. sed hodie Cod. ad Leg. Jul. de adult.* cujus dispositionem jura canonico correctam non esse, advertunt Abb. *in cap. gaudemus hoc tit. num.* 7. Host. *num.* 3. Jo. And. *numer.* 3. Ponc. *loc. cit. numer.* 3. Sanch. *loc. cit. num.* 8. Castropal. *nu.* 2. Secundo si conjux adulter emendatus sæpe reconciliationem petivit, & innocens negavit, poterit dicto modo mutare statum suum; cum ea denegatione innocens tacite dicat, se nolle ei unquam reconciliari; adeoque hac spe sublata, juste & rationabiliter velle non potest, ut nocens semper de suo statu suspensus existat. Sanch. *num.* 8. & 16. Ponc. *num.* 4. Castropal. *l. c.* Laym. *L.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 12. Tertio dum innocens Ordines suscepit, vel religionem professus; eo quod tunc elegerit statum usui matrimonii oppositum. Sanch. *num* 6. Ponc. *nu.* 2. Castrop. *loc. cit.* Sylv. *v. divortium quæst.* 10. Idemque esse, ait Palacius, *in* 4. *dist.* 35. *quæst. unic. dub.* 2. dum innocens emisit votum simplex castitatis; eo quod is tunc debitum petere impediatur, & inique petenti debitum nulla sit obligatio illud reddendi in plurium sententia. Verum id ipsum negant Sanch Ponc. Castropal. *LL. cit.* eo quod per hoc innocens non cesserit juri justitiæ, quod habet exigendi debitum ab alio conjuge, neque in illius favorem abstinere promisit a petitione debiti, sed tantum in honorem Dei. Ad hæc votum illud castitatis etsi excuset a petitione & redditione debiti, non tamen impediat extra thorum mutuam cohabitationem & obsequiorum communicationem, adeoque possit innocens voto castitatis obstrictus conjugem nocentem repetere, & compellere ad cohabitandum, sed neque in hoc casu, nimirum innocente recipiente ordines aut profitente in religione, nocens tenebitur quoque religionem profiteri, aut etiam in sæculo continentiam vovere; cum jura id requirentia loquantur in casu, quo matrimonium illæsum perseverat, non in casu divortii perpetui. Laym. *cit. n.* 12. Sot. *in* 4. *d.* 36. *q. unic. a.* 5. *ad* 3. Castrop. *n.* 4. Sanch. *cit. d.* 10. *concl.* 4. *nu.* 15. Con. *d.* 35. *du.* 5. *initio concl.* 1.

QUÆSTIO CCCIV.

An facto divortio propria authoritate, vel per sententiam pars innocens teneatur nocenti reconciliari; an vero possit pro libitu suscipere Ordines, aut religionem ingredi.

1. RESP. Ad primum: Innocentem recedentem a nocente posse, rebus in eodem statu permanentibus, eidem reconciliari, facto etiam divortio per sententiam; cum per sententiam innocens jure suo privari nequeat, ne alias exceptio rei judicatæ proficeret reo, contra quem lata fuit, quod iniquissimum dicit *L. evidenter ff. de except. rei judic.* Laym. *loc. cit. n.* 16. & AA. mox citandi; non tamen teneri ad hoc, etiamsi nocens sit emendatus, cum adulterium sit causa perpetui divortii. Sot. *d.* 39. *q. unic. art.* 3. *concl.* 3. S. Bonav. *in* 4. *dist.* 32. *a.* 1. *quæst.* 5. Laym. *loc. cit.* Ponc. *l. c. num.* 9. Castrop. *l. c. part.* 6. *§.* 6. *num.* 1. & apud hunc plures alii. Dum igitur *cap. ego dixi* 34. *quæst.* 1. dicitur: *Si vir non receperit uxorem suam pœnitentem, peccat, & magnum peccatum admittit*; intelligendum id est, si id faciat ex odio, non vero pure utendo jure divortii; vel etiam dum conjux versatur in periculo incontinentiæ, si non recipiatur; tenebitur enim tunc ex caritate eam recipere. Laym. Castropal. *LL. cit.* alii verò textus, ut *cap. si vir de adult.* ubi: *quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere pœnitentem*: loquuntur de debito honestatis & æquitatis, non vero legis & præcepti. Castropal. *ibidem* hinc infero, &

2. Resp. Secundo: Posse innocentem non reconciliatum nocenti assumere Ordines facto divortio per sententiam, vel religionem ingredi, vel votum castitatis emittere, absque eo, quod nocens emendatus possit eum repetere; amisso enim a nocente ob adulterium jure exigendi debitum & mutuam cohabitationem, innocens ab omni conjugali debito liber efficitur. D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. unic. art.* 5. *ad* 3. ab omnibus, ut inquit Castropal receptus, juxta quod expresse statuitur *cap. Agathosa* 27. *quæst.* 2. & *cap. constitutus cap. veniens de convers. conjug.* Dixi: *Facto divortio per sententiam*; nam si ob adulterium occultum discesserit, etsi valide nocente invito assumat ordines, vel profiteatur religionem, illicite tamen id præstat; cum possit a nocente petente restitutionem revocari, cedente hoc ipso in grave ordinis & religionis assumptæ detrimentum & proximorum scandalum; quin etiam adulterio notorio, non exspectata Judicis sententia id faceret, adultero invito, peccaturum illum graviter; eo quod probabile sit, ante sententiam divortii latam conjugem etiam ex causa notoria spoliatum restituendum; ita cum Sanch. *l.* 10. *d.* 11. *a n.* 12. tradit Castrop. *l. c.*

3. Resp. Tertio: Tenebitur innocens reconciliari nocenti, uti & dotem, omniaque alia restituere, si deprehendat sententiam divortii, utpote latam ex falsa præsumptione, fuisse nullam; cum ea non potuerit transire in rem judicatam. Castrop. *l. c. num.* 6. cum communi, qui idem esse affirmant de eo, qui ipse quoque ante sententiam divortii commisit adulterium; unde spoliatus, si de nullitate sententiæ aliunde constaret, posset nullo petito beneficio restitutionis contra illam reclamare, & Judex annullare debet. Si autem de errore sententiæ aliunde non constet, petito beneficio restitutionis ex clausula generali: *si quæ mihi justa causa subest* *L.* 1 *§. fin. ff. ex quibus caus. major.* quod beneficium ei necessario concedendum, ut Gutt. *de juram. part.* 3. *num.* 8. Cævall. *in qq. pract. quæst.* 542. *nu* 3. Extenditur responsio, ita ut procedat, licet is, in cujus favorem divortium celebratum, sit initiatus Ordinibus, aut professionem fecerit, cogendus adhuc sit, cum conjuge spoliato habitare, utpote cujus juri quæsito illa status mutatio præjudicare non potest. D. Thom. *l. c.* Sylv. *v. divortium q.* 21. *num.* 24. Sanch. *l.* 10. *d.* 9. *n.* 9. Ponc. *L.* 9. *c.* 20. *n.* 2. Castropal. *num.* 7. quin &, licet non repetatur a conjuge spoliato, poterit ipse secluso scandalo religionem deserere, utpote cujus professio fuit nulla, nimirum obstante debito conjugali, cui obstrictus erat. Sanch. Ponc. Castrop. *LL. cit.* His non obstante Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 19. damnante Apostatas, qui ex quacunque causa habitum dimittunt; cum intelligendum sit de iis, qui sponte habitum dimittunt, non de his, qui ex obligatione id faciunt, qualis est conjugatus, qui ex obligatione conjugii habitum dimittit. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Quamvis autem, dum uterque conjux credens, divortium esse legitime factum, mutavit statum, Sanch. *cit. d.* 9. *num.* 23. putet, neutrum posse alterum repetere; eo quod is, in cujus favorem factum divortium, ingrediens religionem, vel ordines assumens cessit, quantum in se est, juri exigendi debitum, qua cessione facta, alter quoque ingrediens religionem nullam ei facit injuriam, ac ita tenet professio. Contrarium tamen, nempe neutrius professionem valere, & quemlibet posse alterum repetere, sentit Castrop. *n.* 8. citans Rosell. *v. divortium n.* 2. Asterium *l.* 8. *p.* 2. *tit.* 34. *a.* 2. *q.* 3. eo quod spoliantis professio, utpote facta sine legitimo spoliati assensu, nulla est, ac si sententia divortii, utpote nulla, non fuisset lata; adeoque & professio spoliati nulla sit; quia facta in præjudicium spoliantis integrum jus conjugale retinentis, cui ex errore cessit, ideoque nec cedere potuit.

4. Resp. Quarto: Si post sententiam divortii latam, antequam tamen hæc transierit in rem judicatam, eo quod appellatum, vel necdum elapsum tempus alias concessum ad appellandum, vel etiamsi lata adversus minorem, qui beneficio restitutionis uti potest, innocens quoque incideret in adulterium, absque dubio debere illum reconciliari conjugi dimisso, nec posse, etiamsi adulterium sit occultissimum, prosequi divortium; cum æque reus sit, & delicta compensata sint, tenent Sanch. *cit. disp.* 9. *num.* 30. *in fine.* Ponc. *L.* 9. *c.* 20. *nu.* 3. Castropal. *num.* 9. Laym. *num.* 14. qui tamen hanc adjicit exceptionem: modo etiam alter paratus sit se emendare. Si vero admis-

admissum adulterium, postquam sententia divortii transit in judicatum, adeoque postquam plene absolutus fuerat a societate thori & habitationis, non esse adhuc obligatum in conscientia reconciliari dimisso, eumque reassumere, tradunt cum D. Thom. *l. c. a.* 6. *ad* 4. & Abb. *in c. tua fraternitas de adult. n.* 4. Henriq. *l.* 11. *c.* 17. *n.* 3. Sanch. *cit. d.* 9. *a nu.* 30. Laym. *l. c.* citans insuper Mol. *de J. & J. tr.* 3. *d.* 95. *num.* 5. Con. *d.* 35. *du.* 2. *num.* 13. aliique plures graves tam Theologi, quam Canonistæ. Quamvis dicant iidem AA: reconciliandos illos esse officio Judicis, si periculum incontinentiæ subsit. Fundamenta hujus sententiæ vide apud Castrop. *cit.* §. 6. *nu.* 10. Nihilominus contrarium sentit ipse Castrop. *num.* 11. citans Gl. *in c. ex literis hoc tit.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *c.* 21. §. 6. Nav. *L.* 1. *consil. conf.* 3. *de divort. num.* 2. Ponc. *L.* 9. *cap.* 20. & alii plures apud Sanch. *loc. cit. nu.* 17. censentem hanc quoque sententiam esse valde probabilem. Fundamentum illius est, quod sententia divortii ob adulterium ab altero conjuge commissum non concedit innocenti jus ab eo discedendi, sed jus naturale, quod ex adulterio acquisivit, declaret, ut eo publice uti possit; sed jus hoc innocenti acquiritur, dum innocens est; ergo facto eo jam etiam nocente, cessat illud jus; adeoque obligatus est ei reconciliari, sicut ad hoc obligaretur, si adulterium ante latam sententiam commisisset, redeunte nimirum ista obligatione, quæ desierat, quamdiu innocens remanebat; quemadmodum servitus semel extincta non redit, nisi ex nova causa denuo contrahatur, uti contingit, dum servus manumissus denuo justo bello capitur. Sed neque huic sententiæ obstare videtur, quod sententia lata divortii in odium rei, & in favorem innocentis jam semel transierit in rem judicatam; transiit enim in rem judicatam rebus in eodem statu permanentibus, secus, dum innocens factus quoque est reus; & hanc conditionem tacite in sententia divortii imbibi, ait Castropal. eo quod contractus matrimonialis jure naturali exigat, ut innocens a nocente discedat, nisi dum manserit innocens. Sic quoque, quod semel recte definitum est, etsi retractari nequeat, rebus & causis, ex quibus definitum, sic stantibus, potest tamen ex nova causa superveniente retractari. Quamvis dicat Castrop. hanc non tam esse dicendam prioris sententiæ retractationem, quam novam decisionem. Item licet exceptio rei judicatæ nocenti obstet, quo minus in dubium revocare possit sententiam latam; non tamen obstat, quo minus ob supervenientem novam causam litem intentet, & novam sententiam exigat. Ac denique sententia divortii lata impedire nequit, quo minus adulterium postmodum ab innocente commissum nocenti seu dimisso sit injuriosum; cum sententia lata licet eximat innocentem a redditione debiti, & mutua cohabitatione, non tamen eximat a debito, quo omnis conjugatus astringitur non commisceri aliis; foveret enim alias crimina. Quod si tamen post sententiam latam, quæ transiit in rem judicatam, innocens sacros Ordines suscepit, vel religionem ingressus est, & dein adulterium committat, uxori nequaquam reddendus est; eo quod jus, quod Ordo & Religio valide & legitime suscepti acquisiverunt, non possit proprio delicto infirmari. Castropal. *num.* 13. Ponc. *L.* 9. *cap.* 20. *num.* 7. Con. *dist.* 35. *dub* 2. *num* 16. Secus, si religionem ingressus, antequam sententia transiit in rem judicatam.

QUÆSTIO CCCV.

Apud quem conjugum manere debeant, & cujus expensis educandi filii facto divortio.

1. RESP. Primo: Jure antiquo codicis spectabat ad Judicem arbitrari, apud quem soboles dissoluto matrimonio alenda, regulariter autem arbitrabatur Judex, *L. nec filium cap. de patria potest.* primo triennio prolem alendam apud matrem, ac deinceps apud patrem. Jure vero civili novo authenticarum constitutum, ut, si pater causam dedisset divortio, proles communes utrique conjugum alantur expensis patris apud matrem, dum hæc ad secundas nuptias non transit; (ubi notandum, loqui illa jura de divortio facto etiam quo ad vinculum conjugale, quod permittebatur quandoque ex causa maxime adulterii; uti & hodiedum Græci ob eam causam permittunt transire ad secundas nuptias, teste Bellar. *de matrim. cap.* 15. *ad initium*, errore hoc correcto per Ecclesiam juraque ecclesiastica) & econtra, si causa divortii fuisset mater, apud patrem expensis matris, nisi forte pater minus idoneus esset ad alendas & educendas proles, tunc enim apud matrem locupletem educandæ. *Auth. si pater, divortio facto, apud quem liberi morari & educari debent.* Atque generale est illud, quod liberi apud patrem innocentem expensis partis nocentis ali & educari debeant; adeoque non minus apud patrem innocentem expensis matris nocentis, quam apud matrem innocentem expensis patris nocentis; eo quod, cum mater sit correlativum patris, & quod dispositum de uno correlativo, etiam dispositum censeatur de altero, dum eadem militat ratio, quæ in præsenti est culpa delinquentis inducens obligationem hanc alendi propriis expensis prolem, longe diversam ab obligatione, quæ alias jure communi inest parentibus, nempe ut mater solo triennio teneatur præbere alimenta filio, ac deinceps pater *L. Nesciennius L. si quis a liberis ff. de liber. agnosc.* hoc, inquam, prout *citat. Auth.* textus indicat, ternas patitur limitationes. Prima, quod etsi pater dederit causam divortii, dum tamen mater innocens transit ad secundas nuptias, non apud hanc, sed apud eum, quem Judex arbitrabitur, expensis patris, si dives est, alenda est. Castrop. *loc. cit. part.* 6. §. 10. *nu.* 3. citato Sanch. *L.* 10. *d.* 20. *num.* 4. Secunda, si pater innocens est pauper, adeoque minus ad hoc idoneus, & mater nocens dives, apud hanc alendi ejus sumptibus filii. Castrop. Sanch. *LL. cit.* Laym. *l. c. nu.* 19 Pirh. *hoc tit. n.* 63. Tertia si conjux nocens, seu qui dedit causam divortio, sit fidelis, & alter conjux infidelis, non huic, sed fideli nocenti proles alenda tradi debet in favorem fidei. Castrop. Sanch. Laym. Pirh. *LL. cit.* juxta quod hoc ipsum indicatur *cit. Auth.* his verbis: *si minus idoneus est.* Porro extendi non debet hæc *dicta Auth.* decisio ad divortium inique & contra ordinem juris factum, cum expresse loquatur de divortio legitime facto, & pœnæ extendendæ non sint ultra casum in lege non comprehensum.

2. Resp. Secundo: Si divortium factum neutrius culpa, v. g. mutuo utriusque consensu: vel utriusque culpa, v. gr. dum unus eorum commisit adulterium, alter de hæresi damnatus est, servandum est jus commune (quod hoc in puncto nulla alia lege mutatum reperitur) nempe *L. nec filium c. de patria potest.* qua statuitur filios minores triennio apud matrem, majores apud patrem ejusque sumptibus alendos, nisi Judex aliud fuerit arbitratus, juxta *L. unic. c. de divortio facto*, censent Sanch. *d.* 10. *n.* 10. Castrop. *n.* 6.

3. Tertio: Divortio facto non tantum quo ad thorum & habitationem, sed etiam quo ad vinculum, nimirum ubi matrimonium contractum cum impedimento dirimente, filii utriusque conjugis impensis alendi. Arg. *c.* 2. *qui filii sint legit.* idque sive sint minores, sive majores triennio; eo quod, dum uterque conjux processit bona fide, æquum non sit, unum eorum amplius gravari quam alterum, & *Lex Cod.* statuens minores triennio matris, & majores patris expensis esse alendos, expresse loquatur de conceptis ex legitimo matrimonio. Sanch. *l. c. n.* 11. Castrop. *nu.* 6. citans Surdum *de aliment. tit.* 1. *q.* 24. & *tit.* 7. *q.* 13. *n.* 18.

QUÆSTIO CCCVI.

Facto divortio quo ad thorum & habitationem an & a quo præstanda alimenta uxori.

1. RESP. Primo: Præter ea, quæ dicta de præstandis alimentis uxori pendente lite divortii, in foro externo ante sententiam de adulterio uxoris non permittitur viro ei negare alimenta; eo quod, licet innocens propter adulterium possit nocentem privare omni jure maritali facto divortio per sententiam, cum tamen ea privatio sit pœna, & hæc requirat sententiam, saltem declaratoriam criminis in foro externo, ut Sanch. cum communi *l.* 10. *d.* 8. *nu.* 13. non poterit juste alimenta negare.

2. Resp. Secundo: Divortio jam facto non culpa uxoris, sed viri, etiam si dotem non attulerit, vel illi placuerit potius ali a viro, quam sibi dotem concedi, deberi illi alimenta præstari, tametsi aliunde habeat, unde vivat, astruit Castrop. *cit.* §. 10. *n.* 1. citatis Farin. *q.* 143. §. *separatio thori n.* 46. & *seq.* Matth. de Afflictis *dec.* 10. *n.* 1. & 3. Gutt. *de mat. c.* 129. *num.* 24. & *seq.* eo quod justum sit nihil ei detrahi ex fructibus, quos illæso matrimonio perceptura erat, dum nullam in separatione culpam habet.

3. Resp. Tertio: Teneri quoque virum præstare alimenta uxori adulteræ, facta separatione thori, sentit Jul. Clar. *l.* 5. §. *adulterium vers. facta autem* apud Krimer. *in* 4. *decretal. n.* 1605. & plures apud Sanch. *L.* 10. *dist.* 8. *num.* 23. satis probabiliter, ut inquit Castropal. *loc. cit.* §. 6. *num.* 4. eo quod per divortium non desinat esse uxor, maxime dum vir inde occasionem dederit adulterii, ejiciendo illam ex domo, vel crudeliter tractans. Hoc ipsum admitti apud eundem Rosell. *v. divortium num.* 11. Tabien. *quæst.* 11. *num.* 12. dum vir eandem rejicit propter adulterium non notorium, non tamen propter notorium, ut Surdus *de alimentis tit.* 5. *quæst.* 118. *num.* 5. & *tit.* 7. *a quæst.* 16. & absolute tanquam verius tenet Castrop.

Castrop. *l. c.* cum Sanch. *n.* 25. & *seq.* id multis approbante Gutt. *de mat. c.* 129. *n.* 23. Farin. *Tom.* 4. *q.* 143. *n.* 41. nullam esse obligationem mariti præbendi uxori adulteræ alimenta; quia ob adulterium ab omni debito conjugali est absolutus. Quin etiam neque in foro conscientiæ, neque externo teneri virum subministrare alimenta uxori e domo sua fugienti ob timorem, quem habet, se male tractandam a viro causa adulterii suspicati; cum vir non teneatur extra domum suam uxorem alere, quando ipse causam recessus non dedit. Castrop. §. 5. *n.* 5. citatis Gutt. *de mat. c.* 128. *n.* 21. & Farin. *l. c. n.* 45.

QUÆSTIO CCCVII.

Facto divortio quoad thorum, an & qualiter restituenda uxori dos & bona paraphernа.

1. RESp. Primo: Dos (quo nomine hic venit omne illud, quod marita ratione matrimonii ad ejus onera sustinenda datur, vel promittitur sive ab aliquo ascendente, vel intuitu patris, quæ dicitur dos profectitia, sive ex bonis propriis uxoris, vel extranei sine respectu ad patrem, & dicitur dos adventitia) restituenda est uxori, si non culpa uxoris, sed viri factam est divortium. Castrop. *l. c.* juxta *c.* 1. *de donat. inter virum & uxor.* & Abb. *ibi.* & Bald. *in c.* 1. *ut lite non contest.* Insuper illi medietas lucrorum usque ad divortii tempus. Gutt. *L.* 1. *can. qq. c.* 24. *n.* 14. Covar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. §. 1. *n.* 6. Castrop. *l. c.* juxta *c. significavit, de donat. inter vir. & uxorem*, juncta Gl. quin & omnium lucratorum a viro post factam separationem medietatem deberi in hoc casu uxori non secus, ac si nulla facta separatio, censent Covar. & Gutt. ex acquisitis vero ab uxore post separationem vir nocens nihil habet. Gutt. *l. c. c.* 24. *n.* 16. Bald. *in L. si uxor, c. de conditionib. insert. num.* 6. Castrop. *l. c.* Si vero culpa uxoris accidit divortium, & ea est adulterium, neque dos, neque pars ulla acquisitorum usque ad divortium, & acquirandorum a marito post illud est ei restituenda, quin etiam obligatur communicare viro, quidquid acquirit post separationem. Gutt. *l. c. n.* 17. & *seq.* Castrop. *l. c. n.* 2. de quo tamen postramo, nimirum de acquisitis ab uxore, videdicenda ex professo *respons. seq.* Proceditque id ipsum, si culpa uxoris, ob quam factum divortium, fuit lævitia illius, imo quodcunque delictum inducens divortium, ne alias vir innocens dotis administratione & fructu, quem haberet non facto divortio, privaretur sine culpa. Sanch. *L.* 10. *d.* 4 *n.* 20. & *d.* 20. *n.* 7. Castrop. *l. c.* cum communi & juxta *c. plerumque de donat. inter vir. & uxor.* sine ulla limitatione statuens, uxorem amittere dotem, si ejus culpa fiat divortium, contra Ponc. *L.* 9. *c.* 23. *n.* 12. sententem amissionem dotis soli adulterio annexam esse.

2. Extenduntur hæc ipsa quoad amissionem dotis facto divortio ob adulterium uxoris, sive ea sponte recessit ab innocente metu pœnæ ob commissum adulterium, sive judicio Ecclesiæ; nec ei reconciliatus est; ut expresse habetur *cit. c. plerumque*, quia & extendunt hæc aliqui cum Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 7. §. 6. *n.* 1. Clarus §. *adulterium*, *n.* 14. apud Krimer. *de matrim. n.* 1594. ad casum adulterii uxoris putatitiæ, ubi nimirum ob latens impedimentum matrimonium nullum est; eo quod etsi hoc casu absit injuria in re, non tamen absit in affectu adulteræ manifestato sufficienter, ut sobjiciatur pœnis juris humani; quamvis hoc ipsum limitet Sanch. *cit. d.* 8. *n.* 7. ut procedat, si tale matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ, & viro obtenta sententia dos applicata sit propter *reg. res judicata, ff. de reg. jur.* Secus ante sententiam; quia cum vere non fuerit adulterium, viro contra mulierem, quæ nullitatem matrimonii allegat, sententia non debetur pro jactura dotis.

3. Limitantur econtra primo, ita ut vir obligatus sit restituere uxori dotem, a qua se propria authoritate separavit ob adulterium; cum uxor dotem perdere non possit, quousque per sententiam ad illius privationem damnata est. Castrop. §. 5. *n.* 7. cum Covar. *l. c.* eo quod amissio dotis sit pœna adulterii, lata *in cit. c. plerumque*, & *L. consensu, C. de repudiis*; reus autem pœnam subire non tenetur, quousque sententia saltem declaratoria criminis accedat. Atque ita verius existimat Castrop. *l. c. n.* 7. cum Abb. *ad c. plerumque*. Sylv. *v. adulterium, q.* 6. Angelo &c. virum propria authoritate ab uxore adultera non posse ante sententiam divortii dotem retinere, etsi uxori dotem repetenti exceptionem adulterii opponere potest, ne isti concedatur, sed sibi applicetur. Secundo; ita ut amissioni dotis non sit locus, ubi reus post divortium innocenti est reconciliatus, prout dicitur *cit. c. plerumque*. Tertio, si etiam alter commisit adulterium, (intellige post factum divortium, si enim ante illud commissum, non est divortio locus) tunc enim fit compensatio, adeoque in eo casu adulteræ conceditur actio ad dotem recuperandam; quia lucrum, quod accreverat innocenti ex alterius delicto, sublata jam ejus innocentia per similem lapsum, cessat quoad jus retinendi, saltem si de hoc illius lapsu quoque constat. Proceditque id ipsum etiam, dum innocens post sententiam divortii latam, quæ transiit in rem judicatam, lapsus est in adulterium in sententia eorum, qui docent in eo casu teneri virum reconciliari uxori, & cum ea redintegrare matrimonium; ita expresse Castrop. §. 6. *n.* 14. Ponc. *L.* 9. *c.* 12. *in fine*, in sententia vero negante, in hoc casu debere adulterum reassumere adulteram, solumque concedente Judici potestatem compellendi hos conjuges ad reconciliationem ob periculum incontinentiæ, Sanch. negat teneri adulterum restituere adulteræ dotem; eo quod instauratio illa matrimonii ob periculum incontinentiç facta ex mandato Judicis optime consistere possit, quin dos reddatur. Censet nihilominus Castrop. *cit. n.* 14. quod cum ad conjugalem amorem fovendum matrimonio instaurato, expediens sit, dotem reddi uxori, Judex ob hanc rationem, quin & in pœnam delicti de novo commissi ex officio compellere possit ad eam reddendam non secus, ac ob vitandum periculum incontinentiç in hoc casu compellere eos potest ad mutuam cohabitationem. Quod vero addit Sanch. *d.* 9. *n.* 36. quod si ante sententiam vir pacificatur cum uxore adultera de lucranda sibi dote ob desistentiam ab accusatione criminali, si ipse postmodum incidat in adulterium, obligatum esse restituere dotem; eo quod delicta tunc compensentur, & prædictum pactum tacite imbibat hanc conditionem: nisi delictorum compensatio fiat; id, inquam, sibi non placere, ait Castrop. *n.* 15. eo quod etsi ea delicta compensentur, quoad accusationem civilem divortii, compensationem tamen criminalem non admittant, ut Cenedo, *in collect. juris coll.* 166. *n.* 4. & aliis; cum mulier non possit accusare virum adulterum, vir tamen adulter possit criminaliter accusare mulierem adulteram juxta *L.* 1. *c. ad Leg. Jul. de adult.* neque mulier accusata de adulterio se tueri possit exceptione adulterii mariti; ut Covar. *l. c. n.* 5. & ipse Sanch. *L.* 10. *d.* 8. *a n.* 33. adeoque jam, si vir ab accusatione criminali (quam etiam postquam ipse lapsus in adulterium instituere posset, ac si adulterium non commisisset) desistat, prædictum pactum firmum persistat, & dos uxori non reddenda. Porro quæ sit accusatio civilis, quæ criminalis in hac materia, vide *supra q.* 301. Quarto, si mulier per vim præcisam oppressa; secus si per vim conditionatam, seu per metum extorta copula; & in summa dictæ amissioni dotis locus non est ob adulterium (idem est de alio delicto) ubi non fuit sufficiens ad faciendum divortium.

4. Resp. secundo: Bona paraphernalia seu paraphernа (qualia sunt, quæ uxor jam dotata habet præter dotem, aut acquirit in suos usus. V. G. donatione, jure hæreditario, sic dicta tanquam præter dotalia) amitti quoque facto divortio, censet Jul. Clar. *l.* 5 *sentent.* §. *adulterium*, *n.* 15. cum Gl. *in c. plerumque, de donat. inter virum & uxor. v. dotalitium*, eo quod putent per dictum verbum *dotalitium*, quod prohibetur *in cit. c.* repetere uxor adulterans, intelligi velint hæc bona paraphernalia. Contrariam sentiunt alii, eo quod velint cum Sanch. *l.* 6. *de matrim. d.* 5. *num.* 1. non intelligi hæc bona, sed donationem ad nuptias vel sponsalitiam largitatem, quæ fit a sponso sponsæ ob spem futuri matrimonii; vel prout *l. c.* insinuat Sanch. quem sequitur Engels. *h. t. n.* 15. donationem; non ad, sed propter nuptias. Hinc

5. Resp. tertio: Donationem propter nuptias (quo nomine Haunol. *Tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 346. intelligit contradotem, datum in assecurationem dotis; vel etiam quod pragmatici vocant *dotarium*, nimirum pars bonorum mariti ex consuetudine, vel conventione mulieri assignata, ut eam habeat pro dote obligatam, & post mortem viri eam lucretur quoad proprietatem vel usumfructum: ac denique quod venit nomine arrhæ seu morgengebæ) amittit maritus adulter (apud quem alias manet dominium naturale contradotis, quemadmodum dominium naturale dotis manet apud uxorem, si viro non dederit ademptionem) eamque lucratur uxor innocens, ut habetur *l. consensu*, §. *si quis igitur*, & §. *si vir causam, c. de repudiis, auth. ut liceat matriti*, §. *quia plurimat*. E contra non minus donationem ad nuptias, quam dotem amittit uxor adultera. Porro circa hæc notandum, quod, si uxor & maritus habent liberos ex eodem vel alio matrimonio, nec maritus innocens lucretur dotem sibi, nec uxor innocens donationem propter nuptias, sed illa reserventur liberis adulteræ post mortem uxoris, viro, dum vivit, habente usumfructum, spectato jure communi; ut Barth. *in l.* 2. *p.* 1. *n.* 66. *ff. solut. matrimonio*.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCVIII.

Coram quo Judice tractanda causa divortii, maxime quoad vinculum conjugale.

1. RESp. primo: Cum certum sit ex dictis, non posse fieri separationem, quoad vinculum matrimonii, etiam dum impedimentum dirimens, adeoque nullitas matrimonii est notaria, sine sententia Judicis, tametsi in hoc casu, etiam dum unus conjugum certo scit tale impedimentum, possit sine ulla sententia Judicis, quin & debeat, se separare ab altero quoad thorum juxta *c. Inquisitioni, de sent. excom.* item dum impedimentum dirimens notorium non est, nec in continente probatur a spoliante, restituendus sit per Judicem. In his & aliis causis concernentibus valorem matrimonii, ejusque dissolutionem quoad vinculum, Judex alius esse nequit quam Ecclesiasticus, & in foro Laico seu sæculari hæ causæ tractari nequeunt, juxta illud: Laicis nulla est de spiritualibus disponendi facultas, *c. tua, de decimis*, jam vero causæ matrimoniales, in quantum concernunt valorem, firmitatem, liceitatem, dissolutionem sunt spirituales; cum matrimonium fidelium sit Sacramentum. Neque his obstat, quod matrimonium sit quoque contractus civilis; non enim est contractus mere civilis, sed elevatus ad rationem Sacramenti. Quemadmodum materia Sacramentorum aliarumque rerum sacrarum secundum se est res temporalis, corporea & materialis, accessione tamen consecrationis formæ Sacramentalis, unctionis, benedictionis per potestatem Ecclesiasticã ordinatę ad finem supernaturalem, sic evadunt spirituales, ut sint extra omnem potestatem & commercium Laicorum. Neque obstat directe responsioni, quod Judex Laicus cognoscere possit, an causa allata divortii faciendi existat; nam hoc permisso, cum sit quæstio matrimonialis quidem, sed meri facti (qualis est & ea; an matrimonium sit contractum; an contractum in facie Ecclesiæ vel clam) de quæstionibus autem similibus meri facti potest cognoscere Judex sæcularis; nisi resolvantur in quæstionem juris (v. g. si quæratur de sensu canonis seu legis ecclesiasticæ; quid sit matrimonium clandestinum) cum sint fori mixti, adeoque sit locus præventionis, quales etiam sunt, dum agitur de punitione adulterii, incestus aliorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii; ita fere Krimer. *n.* 1509. cum Tanner. *Tom* 4. *d.* 8. *du* 9 *a n* 166. Non tamen sequitur adhuc, quod possit cognoscere de sufficientia dictæ causæ, utpote quæ non est quæstio meri facti. De cætero Judicem Laicum authoritate sua citantem, vel examinantem causam istiusmodi separationis, ac separantem conjuges, incurrere excommunicationem in Bulla Cænæ latam contra usurpantes jurisdictionem ratione beneficii extensam ad omnem usurpationem jurisdictionis Episcopalis qua talis, ait Krimer. *n.* 1512. citans Filioc. *tr.* 13. *c.* 8. *n* 218. usurpare autem jurisdictionem alienam est illam sine justo titulo sibi appropriare exercendo illius actus, vel de objecto ejus proprio disponere; jam vero jurisdictio & potestas dirimendi matrimonia invalida est jurisdictio propria Episcopi qua talis, & actus citandi & juridice examinandi ad cognoscendum de impedimento matrimonii contracti, vel contrahendi sunt quoddam initium judicii super valore matrimonii dissolvendi aut impediendi; adeoque istiusmodi actus a Laicis in hac causa exerciti, æque ac ipsum judicium cadit sub eam pœnam.

2. Resp. secundo: Sed neque causæ illæ spectantes divortium illud compromitti possunt in arbitrum Laicum, aut ab arbitris Laicis decidi, vel transactione definiri. Covar. 4. *decret. p.* 2. *c.* 8. *§.* 13. *a n.* 6. cum jus cognoscendi & terminandi has causas sit jus spirituale, adeoque jurisdictionis tantum ecclesiasticæ; non tamen ita, quin a Papa etiam principalis cognitio, & determinatio causarum matrimonialium Judici Laico committi possit.

3. Resp. tertio: Per Judicem Ecclesiasticum hic (uti & quoad omnes alias causas matrimoniales) intelligitur Episcopus; *c. accedentibus, de excess. Prælat.* utrum vero has causas quoque cognoscere & tractare possit Vicarius Generalis Episcopi sine speciali ejus commissione, vide apud Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 54. *n.* 94. vide & me *in Vicar. Episc. q.* 160. De cætero nil vetat, quo minus harum causarum cognitio delegari possit. Covar. *l. c. n.* 1. Vel etiam privilegio, vel consuetudine legitime præscripta competere possit aliis quam Episcopis, ut constat ex Trident. *sess.* 24. *c.* 12.

4. Resp. quarto: Dum unus conjugum adversus alterum agit ad dissolutionem vinculi conjugalis propter nullitatem matrimonii ex impedimento canonico, non ita solus ordinarius loci, in quo contraxerunt matrimonium, potest hanc quæstionem cognoscere & terminare, quia eo non requisito aut causam delegante, ordinarius originis & domicilii possit se intromittere; dum enim reus habet plures Judices, seu in pluribus locis forum, actor non cogitur deferre causam ad hunc determinate Judicem, sed liberum est ei convenire reum coram proprio ejus Judice, coram quo maluerit ad faciliorem rei cognitionem & causæ expeditionem, præsertim ubi id fieret sine rei revocatione a domicilio ad Judicem distantem; dum nimirum illi Judices aliunde capaces sunt cognoscere & terminare istiusmodi causas, & causa non est certo Judici specialiter reservata; qualiter causa matrimonialis ex hoc, quod matrimonium in hac diœcesi contractum, nullibi reservatur Ordinario illius diœcesis. Sic si debitor seu reus jure communi habet duos Judices, potest creditor seu actor eum convenire, coram quo ex his maluerit ad prosequendam actionem, licet ea originem ducat ex contractu; *c. dilecti, de foro competent.* & *ibi* Gl. *v. ubi domicilium.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 18. *n.* 6. & licet reus seu debitor respondere debeat in loco contractus, si ibi inveniatur, poterit tamen etiam, si maluerit, creditor eum convenire in loco domicilii, Abb. *in c. si diligenti, de foro compet.* Pirh. *tit. eod. n.* 37. quin &, si reus non inveniatur in loco contractus, sed inde discessit, non potest compelli ad personaliter comparendum ibidem, si sit invitus. Pirh. *l. c.* Verum itaque est, quod quis sortiatur forum ratione contractus, ut super hoc conveniri possit coram Judice loci, ubi factus est contractus, ut habetur *c. fin. de for. compet.* & *c.* 1. *eod. in* 6. non autem verum est, quod ibi conveniri debeat; præsertim si reus ibi non sit, nec etiam compareat, sed in loco originis & domicilii constanter maneat, distante a loco contractus & alterius jurisdictioni subjecto.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

QUÆSTIO CCCIX.

Donatio inter virum & uxorem quotuplex.

RESp. Duplex; alia quæ fit omnino gratis & ex mera liberalitate, *l.* 1. *ff. de donat.* alia quæ fit ob causam aliquam; qualis est donatio propter nuptias facta a marito in compensationem dotis sibi datæ ab uxore, dum is ex causa hac tantum tenetur dare, quantum ipse ex causa dotis accepit; *Auth. dos data, c. de donat. propter nupt.* quæque non secus ac dos fieri potest tam post, quam ante matrimonium contractum; & sicuti dos de jure communi, soluto matrimonio, redit ad mulierem, vel ejus hæredes aut patrem dotantem; *l.* 2. *ff. soluto matr. c. ult. h. t.* ita & donatio propter nuptias ad maritum superstitem vel ejus hæredes; *l. cum multa, c. de donat. ante nupt.* & *§. est & illud. Inst. de donat.* nisi consuetudo habeat aliud, aut aliter conventum inter virum & uxorem; ut Pirh. *h. t. n.* 8. ad quas donationes ob causam reduci quoque possunt, quæ fiunt causa remunerationis ob præstita ab uno conjugum alteri obsequia ordinarie indebita, & ab aliis conjugibus non solita exhiberi; quamvis proprie & in rigore donationes non sint. Arg. *l.* 2. & 7. *ff. de don.*

QUÆSTIO CCCX.

An donatio inter conjuges pure liberalis sit valida.

1. RESp. Facta, stante matrimonio, est invalida, idque tam Jure civili, juxta quod expresse habetur *l.* 1. 2. & 3. *ff. h. t.* addita etiam *l.* 1. ratione, dum ibi dicitur: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent; hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa inter se facilitate &c.* tum etiam, ut Pirh.

Pirh. h. t.

h. t. n. 2. ne matrimonia essent venalia, & ne concordia pretio conciliari videatur. Quam etiam Jure Canonico, dum *c. fin. h. t.* dicitur: *Donatio, constante matrimonio inter conjuges facta, ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, & penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse; vel si is, qui donatum accepit, prius debitum naturæ persolvat &c.* juxta quem textum

2. Limitatur responsio primo; Ut valeat talis donatio, si ex ea donans non fiat pauperior, cum locupletatione donatarii. Si enim hic exinde non fiat locupletior (uti contingit V.G. dum maritus donat uxori servum, ut ab ea manumittatur, ut habetur *l. quod autem, §. fin. ff. h. t.* item si donetur sepulturæ causa, vel ut exinde det eleemosynam, vel emat rem familiarem, ut dicitur *cit. l. fin. §. 8. l. 7. §. si maritus. L. sed si vir. §. 8. & 10. ff. h. t.*) etsi donans ea inde fiat pauperior; uti etiam valet donatio, etsi donatarius fiat ditior, modo donans non fiat pauperior, prout utrumque habetur *l. si sponsus, §.* 10. *ff. h. t.* dum ibi dicitur: *Ubicumque igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet; vel etiam, si diminuat, locupletior tamen non fit, qui accipit &c.* Taliter autem donatione sua locupletando alterum non redditur pauperior, qui non de patrimonio suo jam acquisito donat, sed de eo, quod posset acquirere jure illud; *l. si sponsus, §. si maritus, ff. h. t. Neque enim pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit & dedit.* V. G. si maritus repudiet hæreditatem, ut ea deferatur uxori substitutæ. Vel si quid relictum seu legatum uxori, ut exinde det aliquid marito, & hic cedat illud uxori. Pirh. *h. t. n. 5.* cum Alex. *in cit. c. fin. h. t. n. 17.* & 18. qualiter etiam non censeri uxorem fieri pauperiorem, si quid donet marito ad consequendam dignitatem; cum idipsum redundet in commodum, nimirum honorem, uxoris, juxta *l. fœmina, ff. de Senatorib.* asserit Reiff. *h. t. n. 7.* citans pro hoc *l. semper, ff. h. t.* idem quoque dicens citando *l. sint certe, §. interdum, ff. commodati,* de marito, donante aliquid uxori, ut comptior & ornatior incedat; cum id potius sua causa donasse censeatur.

3. Limitatur secundo in sequentibus casibus; dum donationes sunt mutuæ, quarum una saltem non notabiliter excedit alteram; juxta *l. quod autem, §.* 2. *h. t.* cum in hoc casu neuter conjugum fiat locupletior aut pauperior. Item dum donatio est rei exigui pretii. Barb. *in c. fin. h. t. n. 17.* Pirh. *h. t. n.* 12. Arg. *l. ex annuo, ff. h. t.* Item valet talis donatio, qua vir remittit uxori usuras dotis non solutæ ex conventione debitas. Pirh. *l. c.* juxta *l. vir. usuras ff. h. t.* Item facta ad ædes dotales reficiendas, *l. quod si vir. ff. h. t.* Item gratuita concessio ædium, usus servorum, animalium, vestimentorum & similium, *l. si vir uxori, ff. h. t.* Pirh. *l. c.* Item valet facta inter Imperatorem & Imperatricem, Regem & Reginam aliosque supremos Principes conjuges, ut Azor. *p. 3. l. 11. c. 10.* Less. *l. 2. de just. c. 18. dub.* 12. Pirh. *l. c.* quin & inter Principes alios & Comites Imperii conjuges, ut Tiraq. *tr. de nobilit. c. 37. n. 45.* Sanch. *de mat. l. 6. d. 3. n. 1.* quos citat & sequitur Reiff. *h. t. n. 9.* Denique valet donatio facta mortis causa juxta expressum textum *l. si cum ff. h. t.* etsi dominium rei donatæ remaneat penes donantem interim dum is vivit, juxta *l. sed interim, ff. eod.* & sic valet legatum inter eos factum. Pirh. *h. t. n.* 3. cum Sanch. *l. 6. de mat. d. 1. n. ult.* Quod si tamen donatio causa mortis facta cum ea conditione, ut esset irrevocabilis, foret nulla; quia transiret in donationem inter vivos; ut juxta *l. 27. ff. de caus. mort. donat.* Sanch. *l. 6. d. 10. n. 2.* Pirh. *h. t. n.* 14.

4. Limitatur tertio; ita, ut etsi infirmetur donatio mere liberalis ex eo, quod revocari possit ad libitum, non sit tamen omnino invalida, & careat omni effectu, etiam dum per eam donans fit pauperior, & donatarius locupletior, cum juxta paulo post dicenda confirmetur morte donantis, transeatque saltem possessio rei donatæ in donatarium, cum ea possessio sit quid facti, Arg. *l. 1. §. 4. de acquir. & amitt. possess.* Reiffenst. *h. t. n. 9.* quin &, ut idem citans *l. de fructibus, ff. h. t.* acquirit fructus sua industria ea re donata acceptos.

5. Extenditur econtra responsio primo, ut adhuc invalida sit donatio mere liberalis inter sponsum & sponsam de præsente, etiamsi facta ante matrimonium consummatum, Sanch. *l. 6. d. 1. n. 4.* Pirh. *h. t. n.* 3. Secundo facta etiam ante matrimonium contractum, dum ejus effectus differtur in tempus contracti matrimonii. Pirh. *l. c.* juxta *l. quod sponsa, c. de donat. ante nupt.* Tertio, etiamsi fiat per personam intermediam, ut dum maritus dat aliquid Titio, ut donet uxori suæ. Sanch. *l. c. n.* 8. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n. 6.* cum, quod per alium quis facit, per seipsum facere censeatur. *Reg. jur. 72. in 6.* Quarto, dum etsi contractus alii, ut venditio, permutatio inter conjuges, valeant, modo venditio fiat pretio æquivalente, remissio tamen pretii ex parte, vel ex toto, si fiat animo donandi, sit invalida, Sanch. *l. c. n.* 11. Pirh. Reiffenst. *ll. cit.* juxta *l. si sponsus, §. 5. ff. h. t.* Idem est, dum remittitur aliunde ab uxore debitum; cum hac ratione remittens seu donans fiat pauperior cum locupletatione donatarii.

QUÆSTIO CCCXI.

An quoque donatio mere liberalis inter conjuges non legitimos, sed tantum putative tales sit invalida.

RESP. Sub variis distinctionibus; nimirum quod valeat legatum, & acquiratur uxori legatariæ, absque eo, eo quod Fiscus id ab ea auferre possit, si soli leganti constiterit de nullitate matrimonii. Molin *de Just. d.* 200. *n. 5.* Sanch. *l. 6. d. 2. n. 3* quos citat & sequitur Pirh *h. t. n. 15.* dicens communem, addensque, idem verius dici de donatione inter vivos facta uxori ignoranti nullitatem matrimonii a marito illius conscio. E contra si conjux donatarius conscius nullitatis, & donans ejus inscius est in bona fide, donatio est nulla, res tamen donata non est applicanda Fisco; sed ipsi donanti ejusque hæredibus post mortem illius restituenda, utpote qui, cum nihil deliquerit, suis rebus ob malam fidem donatarii privandus non est. Pirh *h. t. n. 16* Sanch. *cit. d. 2. n. 7.* juxta quod disponitur, *l. cum hic status, ff. h. t.* Si vero uterque conjux est in mala fide, utpote conscius nullitatis, donatio ab uno eorum facta alteri non valet; non tamen donans rem donatam repetere potest, sed Fiscus eam sibi applicare potest Mol. *l. c. n. 8.* Sanch. *l. c. n.* 2. & 4. Pirh. *cit. n.* 15. juxta quod expresse habetur, *cit. l. cum hic status, §. fin.* Si uterque conjux ignarus nullitatis est in bona fide donatio inter eos est quidem invalida; Sanch. *l. c. n. 9.* Pirh. *n.* 14. juxta *l. cum hic status,* & Arg. *l. si ex volunt. c. 1. h. t.* non tamen cedit Fisco; sed donans donationem revocare, & rem donatam repetere potest, ea ea ratione, quod facta sit bona fide, & ea errore, qui consensum donantis excludit, utpote cui nihil magis contrarium quam error, ut dicitur *l. per errorem, ff. de jurisd.*

QUÆSTIO CCCXII.

An & qualiter donatio inter conjuges gratuita ab initio invalida ex post confirmetur.

1. RESP. Ea primo juxta magis receptam (quam tenent Abb. *in c. ult. h. t. n. 9.* Azor. *p. 3. l. 11. c.* 10. *q.* 2. Mol. *l. c. d.* 289. *n.* 22. Sanch. *l. 6. d.* 11. *n.* 2. quos citat & sequitur Pirh. *n.* 18.) confirmatur juramento de non revocando, ex ea ratione, quod hæc donatio non prohibeatur, & irritetur primo ac principaliter favore publicæ utilitatis, sed solum ob privatam utilitatem conjugum, ne mutuo amore se rebus suis spolient, cum jactura seu depauperatione unius & ditatione alterius; quod, quia peccatum non est, nihilque continet contra bonos mores naturales, sed contra civiles tantum, juramento confirmari potest, (quemadmodum plura Jura civili prohibentur & infirmantur, quæ tamen Jure Canonico ratione juramenti subsistunt) quod proinde servandum; quia sine dispendio salutis æternæ servari potest; ac proinde talem donationem reddit firmam & irrevocabilem. Ad hæc si donationes factæ inter conjuges ob causam religionis, vel favore piæ causæ valent, valebunt etiam donationes mere liberales propter adjectum eis juramentum, utpote cujus magna est religio, ut Pirh. *cit. n. 18. in fine,* citato Sanch. *l. 1. de sponsal. d.* 32 *n.* 2. Nihilominus revocationem talis donationis, cui adjectum juramentum, reddi quidem illicitam propter rationes adductas, non tamen invalidam, asserit Wiestn. *h. t. n.* 37.

2. Secundo confirmatur per mortem naturalem donantis, si is in vivis non revocavit eam tacite vel expresse, prout statuitur *c. ult. h. t.* item *l. Papinianus, & l. cum hic status, ff. h. t.* ubi Gl. *v. donationibus,* & *l. donationes, c. h. t.* Sanch. *l. 6. d. 14. n. 1.* cum communi. Ex ea ratione, quod, dum donans eam non revocavit in vivis, præsumitur in ea voluntate, ut res donata remaneat donatario, perseverasse & mortuus esse, ac ita quasi mortis causa facta habeatur donatio; morteque illius cesset finis legis talem donationem inhibentis, nimirum depauperatio, dum citra hanc etiam unus conjux alterum instituere potest hæredem, vel ei legare. Non tamen confirmatur morte solius donatarii, sed manet invalida, vel potius omnino evanescit, juxta expressum textum *c. fin. h. t.* & *cit. l. cum hic status.* Ut autem morte donantis confirmetur donatio, requiritur, ut eo vivente res donata sit tradita, ut dum possessio rei donatæ acta translata in donatarium. Sanch. *l. c. n. 6.* & 7. Pirh. *h. t. n. 7.* & 19. Arg. *l. Papinianus, ff. h. t.* & *l. cet, c. eod.* ita tamen, ut traditio etiam ficta sufficiat. AA. iidem; qualis censetur, dum maritus donans aliquid uxori dicit, se rem illam possidere precario nomine uxoris; *l. quod meo, ff. de acquirend. poss.* Item si maritus remittit uxori debitum animo donandi; habet enim hæc remissio vim traditionis; quia fingitur tunc, mulierem solvisse marito, & hanc do-

nasse

nasse & tradidisse uxori. Pirh. *h.t. n. 7.* cum Alea *in c. ult. h.t. n. 6.* juxta *l. cum hic status*, *§. si sponsus*. Item requiritur, ut donatio non excedat summam 500. aureorum absque insinuatione desuper facta Judici; *l. donat. c. h.t.* Mol. *tr. 2. de J & J. d. 289. n. 1.* Clarus *§. donatio, q. 17. n 3.* quos citat & sequitur Wiesto. *h.t. n. 30.* ita tamen, ut tantum non valeat confirmari morte, quoad excessum illum, & secus sit quoad summam legibus permissam, ne utile per inutile vitietur. Sanch *l. 6. d. 14. n. 25.* Wiesto. *l.c.* Item requiritur, ut non sit revocata expresse vel tacite; de qua revocatione num facta, dum dubitatur, præsumendum est non factam; juxta *l. cum hic status*, ubi: *Si in obscurio sit*, (num revocata) *proclivior esse debet Judex ad comprobandam donationem*: nimirum judicando, non esse revocatam. Reiff. *h.t. n. 24.* Vviest. *n. 29.* Porro revocatio hæc tacita fieri censetur primo per divortium; *l. interim*, *§. fin. l. cum hic status*, *§. Si divortium*, *ff. h.t.* nisi divortium factum mutuo consensu, aut aliunde constaret, velle donantem, non obstante divortio, donationem factam perseverare, *l. a marito*, *c. h. 1.* Mol. *l.c. n. 12.* Sanch. *l. 6. d. 15. n. 10.* Pirh. *n. 6.* Reiff. *n. 22* Secundo, si donans rem donatam vendat, permutet, leget, vel donet alteri; aut oppignoret seu specialiter hypothecæ subjiciat; *l. cum hic status*, *§. 5. & 13. l. si maritus* Mol Pirh. *ll. cit.* Sanch. *l.c. n. 5.* non tamen censetur revocata per generalem hypothecam omnium bonorum; *cit. l. si maritus*. Sanch. *l.c.* Tertio si donatarius mores mutasset in præjudicium donantis; v.g. committendo adulterium, aut notabilem ingratitudinem erga donantem. Sanch. *l.c. n. 11.* Pirh. *l.c.* Reiff. *n. 23.* Arg. *c. fin. de donat.* Quarto obortis gravibus inimicitiis inter donantem & donatarium. Sanch. *n. 23.* Arg. *l. cum hic status*.

3. Tertio confirmatur per mortem civilem donantis; ut dum in exilium mittitur & civitatem perdit. Arg. *l. si mors*, *ff. h.t.* & *l. res uxoris*, *c. eod.* Sanch. *l. 6. d. 17. n. 2.* Sylv. *v. divortium, 2. q. 4.* Pirh. *n. 20.* Reiff. *n. 26.* cum communi contra Gl. *in c. licet undique, de off. deleg.* Limitatur tamen hoc ipsum primo, ita ut non firmetur, sed evanescat per servitutem, qua donans efficitur servus hominis; *l. cum hic status*, *§. 6.* Sanch. *l.c. n. 4.* Pirh. *n. 20.* Secus tamen, dum efficitur servus pœnæ. V.G. damnatur ad metalla. Reiff. *l.c.* Arg. *l. res uxoris*, *c. h.t.* juncta Gl. *v. deducto*. Limitatur secundo per professionem religiosam (quæ & ipsa est mors civilis) in ordine capaci bonorum, ita ut hac non obstante, donans professus eam de consensu superiorum revocare possit, adeoque non firmetur irrevocabiliter, usque dum talis professus morte naturali decedat. Castrop. *tr. 32. d. 2. part. 25. §. 3. num. 3.* Sanch. *loc. cit. num. 9.* Pirh. *num. 20.* Reiffenst. *n. 31.* Contrarium est, seu firmatur professione facta in ordine incapace bonorum. V.G. in ordine Fratrum Minorum S. Francisci, non secus ac per mortem naturalem, quam proinde exspectare necesse non est; ita Reiffenst. *num. 30.* cæterique AA. citati *ll. cit.*

T I T U L U S XXI.

De secundis nuptiis.

Q U Æ S T I O CCCXIII.

Num licitæ & honestæ sint nuptiæ secundæ.

1. RESp. primo: Licitas esse etiam Christianis non tantam secundas nuptias, sed & tertias, quartas, & quotiescunque priore conjuge defuncto iteratas, certa & Catholica est veritas, quam antiquissima & universalis Ecclesiæ consuetudo confirmat; & patet ex illo Apostoli *1. ad Corinth. c. 7. v 39.* de muliere dicentis: *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quod restringendum non est ad secundum ejus virum, sed intelligendum etiam de tertio, quarto, ac si diceret; quotiescunque vir ejus dormierit; juxta quod habetur ex S. August. *c. fin 31. qu. 1.* & expressius ex S Hieron. relato *c. 1. ead. caus. & q.* his verbis: *Libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, & ita licere, quinto & sexto & ultra, quomodo secundo viro nubere.* Acceditque ratio; quia ex præcedentibus nuptiis nullum obstat impedimentum, quo minus semper ad ulteriores procedere possit. Sanch. *de mat. d. 81. n 2.*

2. Resp. Secundo: Sunt quoque honestæ; ut sequitur ex priore responso, cum non nisi quod honestum est, permitti & approbari possit ab Ecclesia. Sed neque earum inhonestas, aut deficiens in eis ratio Sacramenti ex eo inferri potest, quod Ecclesia secundis nuptiis negat benedictiones; cum negationis iteratæ benedictionis aliæ sint causæ, & inter illas præcipua, quod in iis deficiat perfecta significatio Sacramenti, nimirum, quod unionem Christi, cum unica Virgine & intacta sponsa Ecclesia perfecte non repræsentent, & idcirco non eamdem, quam primæ nuptiæ commendationem mereantur. Wiest. *h. t. n. 3.*

Q U Æ S T I O CCCXIV.

An saltem secundo nubere ante annum luctus elapsum prohibitum sit a Jure civili sub pœna infamiæ, & num idipsum correctum a Jure canonico.

1. RESp. ad primum: Viduæ ante annum luctus, computandum a die mortis prioris mariti, completum infamia ipso jure incurrenda (quamvis, ut Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 13. §. 2. n 2.* citato Sanch. *l. 7. d. 87 n. 3.* requiratur sententia declaratoria delicti seu facti, nimirum contractum tempore luctus secundarum nuptiarum) tam ab ipsa quam a viro eam ducente, ut Castrop. statuitur a Jure Civili, *l. 1. c. de secund. nupt.* juncta *Auth. de nupt. §. prima siquidem, coll. 4.* traduntque idem Bald. *in cit. l. 1. n. 1. vers. infamia*, & Salicet, *ibid. n. 1. notab. 1.* idque ad tollendam sanguinis turbationem per secundum matrimonium & patris incertitudinem, dum forte mulier ex priore marito concepit, irrogata & ei proveniente hac infamia ex ipso facto, dum taliter festinatæ nuptiæ mulierem suspectam reddunt de incontinentia, deque admissa cogitatione ante tempus futurarum nuptiarum, nec non de oblivione, irreverentia & ingratitudine erga priorem maritum, ut Gonz. *in c. fin. h.t. n. 3.*

2. Resp. ad secundum: Hæ quoad infamiam incurrendam dispositiones & leges civiles correctæ a Jure Canonico, dum non tantum in eo nulla infamiæ sit mentio; sed positive eam removet, *c. super illa, h.t.* his expressis: *Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus per legem definitum*; respondeo, quod, cum Apostolus dicat: *Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in domino nubat, cui voluerit*, per licentiam & authoritatẽ Apostoli ejus infamia abolitur. Ac proinde illam infamiæ notam in dicta illa incontinentiæ præsumptione vel suspicione consistentem etiam in foro sæculari non observandam, plerique DD. orthodoxi pronunciant, & inhærendum Juri Canonico, cujus Sacros Canones, ut inquit Innoc. *in tit. . fin.* in his spiritualibus causis (qualis est illa nuptiarum iteratio, sæpe mulieribus viduis propter sexus fragilitatem, eique facile prævalentem vim libidinis ad gravia peccata vitanda propemodum necessaria) leges & Judices sæculares observare non dedignantur. Atque ita ex ea quoque ratione, quod matrimonia debeant esse libera, quam eorum libertatem quia pœna illa legalis infamiæ non parum impedit, ab Ecclesia sublata, non obstantibus imperialibus constitutionibus, cessare debet.

Q U Æ S T I O CCCXV.

Quænam sint præterea pœnæ jure civili statutæ secundo nubentibus.

1. RESp. Harum pœnarum quædam statutæ in odium secundarum nuptiarum, contra reverentiam & gratitudinem priori marito debitam initarum sunt sequentes. Prima, quod uxor viro posteriori de bonis suis ultra tertiam eorum partem in ultima voluntate relinquere nequeat, juxta *l. 1. c. h.t.* Gl. *ibid. v. testamento.* Salicet, *n. 4. q. 1.* Sanch. *l. 7. d. 87. n. 4.* Castrop. *l.c. §. 3. n. 3.* idque etiam, si nulli exstent liberi. Reiff. *h.t. n. 35.* Unde si instituat virum hæredem suorum bonorum, institutionem quidem validam esse, omnia tamen, excepta tertia parte, restituenda esse hæredibus ab intestato venientibus, censent Gl. & Salicet, *ll. cit.* Institutionem vero validam non esse, nisi quoad dictam tertiam partem, docent Bartol. *in cit. l. 1. n. 1.* Bald. *n. 10.* quod sibi magis placere ait Castrop. *l. c.* non obstante, quod hac ratione mulier in casu aliquo speciali a lege inducto partim testata partim intestata decedat.

2. Secunda, quod mulier secundo nubens fiat incapax cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi & donationis causa mortis, a quocunque hæc præterquam a marito relinquantur, adeoque nullum ab ea in illis acquiri dominium, sed hæc omnia ab

ab ejus hæredibus, ab intestato venientibus vindicari jubentur *l. 1. c. h. t.* & ita docent Alberic. *in cit. l. 1.* Cynus, *ibid. n. 6. q. 8.* Salicet. *n. 1.* Decius *n. 10. notab. 8.* quos refert & sequitur Sanch. *l. c. n. 8.* Castrop. *§. 2. n. 4.* Inde cum eodem recte inferens mulierem secundo nubentem obligatam esse nulla exspectata Judicis sententia ea sibi relicta aliis hæredibus ab intestato restituere. Dicitur autem id de relictis causa mortis, quia, ut addit *nu. 5.* mulierem secundo nubentem, non reddi incapacem donationis inter vivos a quocunque sibi factæ, præterquam a marito, utpote a quo etiam stante matrimonio donata ei non acquiruntur, nisi morte illius confirmata donatione.

3. Tertia, quod ab intestato consanguineis suis non succedat ultra tertium gradum; *l. 1. c. h. t.* & *ibi* Bald. *n. 8.* Decius *n. 20.* Sanch. *l. c. n. 15.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 6.* Wviestn. *h. t. n. 42.* ubi etiam, quod propterea non succedat fratris filio; cum ei quarto gradu conjuncta sit, secundum Juris civilis computationem, quæ in civilibus & successionibus observatur. Huc etiam ab aliquibus reducuntur amissiones bonorum omnium a priore marito acceptorum; & quod secundo marito plus conferre nequeat quam uni filiorum. Verum rectius inter pœnas statutas in favorem filiorum numerantur. De cætero has pœnas etiam de Jure civili non incurrere conjugem, dum primum matrimonium fuit invalidum, uti & si secundum est nullum, etsi primum fuerit validum; quia in his casibus reipsa, non nupsit secundo, asserit Castrop. *l. c. n. 8.* idem dicens; si primum non fuit consummatum, vel secundum tempore luctus consummetur. Sed neque utroque matrimonio valido extendi ad maritum tempore luctus secundo nubentem has pœnas tanquam fere apud omnes, teste Sanch. *cit. d. 87. n. 20* certum tradit Castrop. *n. 9.* Arg. *auth. de nupt. coll. 4.* & *l. 1. c. h. t.* & *l. si qua mulier, c. ad Senatus Consult. Tertullianum*, non obstante, quod dictum de uno correlativo, dicendum quoque de alio correlativo; cum id verum non sit, si in iis sit dispar ratio, uti contingit in præsenti, dum fœminis competit lugere viro, ac proinde tempore luctus abstinere a nuptiis; viri autem lugere fœminas non compellantur, *l. uxores, c. de his qui notantur infamia.*

4. Aliæ pœnæ primario inductæ in favorem filiorum prioris thori, secundo nubentibus etiam extra tempus luctus sunt fere sequentes. Prima, quod mulier sive ante, sive post annum luctus, secundo nubens amittat proprietatem omnium bonorum quocunque titulo, sivo sponsalium, sive liberalis donationis, sive causa mortis, puta, institutionis, legati fideicommissi nomine a priore marito acceptorum, reservata ea proprietate prioris matrimonii sui liberis, retento solum ad dies vitæ sibi eorum usufructu; prout expresse statuitur *l. 3. & 6. h. t.* Castrop. *l. c. §. 3. n. 1.* Exceptis tamen iis, quæ titulo sponsalitiæ largitatis accepit; quippe quæ non titulo lucrativo, sed oneroso, nempe remuneratorio conceditur, quæque stante matrimonio uxori acquiritur, adeoque ea privari nequit, nisi accedente sententia criminis. Ita cum Sanch. *l. 7. d. 87. n. 10.* aliisque ab eo relatis Castrop. *l. c. n. 5.* Porro idem dicendum de marito transeunte ad secundas nuptias, ut nimirum bona præfatis titulis acquisita a conjuge defuncta, procreatis ex ea liberis, quoad proprietatem relinquere debeat retento solo usufructu; cum favor liberorum æque in patre, ac matre procedat. Bart. *in cit. l. 3.* & ibi in fine Baldus. Sanch. *l. 7. d. 89. n. 10.* Covar. *p. 2. de sponsal. c. 3. §. 9. n. 7.* juxta expressum textum *l. generaliter, pr. & §. 1. c. h.* 1. quod qualiter subsistat cum eo, quod ex Castrop. *l. c. §. 2. n. 9.* paulo ante dictum, non video, cum si pœnas illas statutas nubentibus secundo intra tempus luctus, inter quas est illa non acquisitio relictorum a defuncta conjuge, non incurrat, multo minus videatur incurrere illam non-acquisitionem seu necessitatem relinquendi ea liberis; si nubat post tempus luctus. Nihilominus etiam citra ulla derogationem desuper factam a Jure Canonico excusatur conjux, tam maritus, quam uxor transiens ad secunda vota, tam intra, quam extra tempus luctus ab obligatione reservandi bona sibi a defuncto conjuge relicta, filiis prioris matrimonii in sequentibus casibus. Primo si filius decedens superstitem patrem (idem videtur de matre) instituat hæredem, aut legato, vel fideicommisso ea bona reliquerit, is ea non tenetur reservare aliis filiis suis, etiam, dum transit ad secundas nuptias, juxta *Auth. ex testamento, c. de secundis nupt. auth. de nuptiis, coll. 4.* eo quod tunc pater ea bona a filio percipiat instar alicujus extranei; extraneus autem institutus hæres, legatarius vel fideicommissarius possidet taliter accepta pleno jure, quoad proprietatem & usumfructum, sive illa institutio, legatio, fideicommissio ante, sive post initas ab eo nuptias contingat; ita tradunt Bart. *auth. de nupt. §. hinc not, n. 1.* Gabr. *Tom. 3. l. 3. de secund. nupt. concl. 3. n. 26.* Sanch. *d. 89. n. 41.* Gott. *de mat. c. 109. n. 49.* Castrop. *l. c. §. 5. n. 1.* Secundo quoties filii prioris matrimonii consensum secundis nuptiis præstiterint, eo quod cesset injuria illis per secundas illas nuptias irrogata, in cujus satisdationem pœna illa reservationis dictorum bonorum inducta; ita cum Gl. in *auth. de non eligendo secundo nub. v. copulantur.* Parif. *cons. 29. n. 81. vol. 3.* Sanch. *l. c. n. 43.* Gutt. *l. c. n. 50.* Menoch. *cons. 626. n. 1. vol. 7.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 2.* contra Fachin. *l. 3. controv. jur. c. 26.* Hic vero consensus filiorum in secundum parentis conjugium debet esse manifeste approbativus dicti matrimonii, ita ut non sufficiat illos scire, parentem velle secundo nubere, nec contradicant, cum in his, quæ gravis sunt præjudicii, scientia cum taciturnitate, non sit signum sufficiens consensus. Sanch. *l. c. n. 44.* Gut *l. c. n. 15.* Castrop. *n. 4.* Fachin. *l. c. c. 65. vers. quinta concl.* Peregr. *cons. 78. n. 11. & 17.* Item debet esse omnium filiorum, ut omnibus non præjudicet; unde si aliqui consentiant, alii repugnent, aut habeant se negative, soli consentientes privabuntur dictorum bonorum proprietate; Sanch. *n. 45.* Gut. *n. 51.* Castrop. *n. 5.* filiis vero defunctis sufficit nepotum consensus, utpote qui filiorum personam repræsentantes in jure parentibus suis quæsito succedunt. Menoch. *cons. 155. n. 21. & 31. vol. 2.* Sanch *n. 46.* Gut *n. 52.* Castrop. *l. c.* Item requiritur, ut sit præstitus a filiis puberibus; ita ut impuberes, utpote ignari consilii, insufficientes sint ad hanc cessionem; idque etiam accedente licentia & consensu tutoris, ut Sanch. *n. 47.* Gut. *l. c.* Castrop. *n. 6.* Garron. *rub. de secund. nupt. remed. 2. contra pœnas stat. secundo nubens. n. 121.* contra Gabr. *tom. 3. comm. opin. tit. de secund. nupt. concl. 1. n. 36.* Puberes vero minores 25. annis, ut firmiter censeantur huic reservationi cedere, debent moveri ad consensum justa causa, alias restituendi in integrum. Menoch. *cons. 237. n. 21. l. 3.* Fachin. *l. c. c. 65. vers. tertia, concl.* Gut. *n. 53.* Castrop. *n. 6.* Non tamen requiritur in filio consentiente, ut sciat se consentiendo amittere reservationem dictorum bonorum; idque tam in foro externo, quam interno seu conscientiæ. Sanch. *n. 47.* Gut. *n. 56.* Castrop. *n. 7.* qui etiam *n. seq.* notant, dictum consensum filiorum nihil operari circa pœnas non statutas in favorem filiorum. Tertio dicta reservatio locum non habet, dum conjux superstes transit ad secunda vota de consensu conjugis prædefuncti. Sanch. *n. 49.* Gut. *n. 58.* Castrop. *n. 9.* contra Fachin. *l. c. vers. quarto.* Sarmient. *l. 1. select. interp. c. 4. n. 3.* Idque, ut cit. AA. etiamsi nubat intra tempus luctus, quia adhuc absolute nubit de consensu prioris mariti, & sic impeditur injuria alias ei, quin & filiis, irroganda per secundum matrimonium; debet hic consensus conjugis esse expressus, aut saltem ex conjecturis certis manifestus; qualis esset, si uxori legatum reliquisset, si secundo nuberet. Bald *in l. 1. c. de secund. nupt. n. 6.* Sanch. *n. 52.* Gut. *n. 6.* Castrop. *n. 10.* Idque, etiamsi nuberet intra tempus luctus, ut iidem. Satisque est, ut secundo nubens tempore luctus possit ea bona retinere absque eo, quod teneatur illa reservare filiis, si defunctus testatus sit, se ea donasse illi titulo oneroso. Sanch. *n. 57.* Gut. *n. 65.* Castrop. *n. 11.* Quarto si nubat secundo ex privilegio principis; eo quod, si dictam reservationem faciendam filiis non tollat, nihil operaretur hoc privilegium; cum, ut *seq. quæst.* dicetur, pœnæ statutæ secundo nubentibus sint abrogatæ; ita Gl. *in l. solet. ff. de his qui not. infam. v. liceat.* Decius *in l. 1. c. h. t. n. 10.* Boer. *decis. 185. n. 25.* Sanch. *l. c. n. 60.* Gut. *n. 68.* Castrop. *n. 14.* & alii ab eo citati. Non tamen a dicta reservatione conjux secundo nubens excusatur ratione minoris ætatis eo, quod de hac excusatione nihil in Jure habeatur; minorque ætas nihil operetur, dum agitur de lucro captando, sed solum, dum agitur de vitando damno. Ac ita probabilius sentiunt Sāch. *n. 58.* Gut. *n. 66.* Castrop. *n. 12.* Fachio. *l. c. c. 69. in fine*, contra Gabr. *l. c. n. 46.* Villalob *in ærar. comm. opin. Lit. B. n. 30.* Boerium *decis. 185. in fin. & c.* Neque excusatur ab ea mater succedens in bonis paternis filio defuncto post pupillarem ætatem, ut probabilius contra quosdam alios tenent Sanch. *n. 59.* Gut. *n. 67.* Castrop. *n. 13.* citatis Azebedo & Cifuentes; alios casus excusantes a dicta reservatione vide apud Gutier.

Tertia pœna cedens in favorem filiorum est, quod vir vel mulier quocunque tempore transiens ad secundas nuptias ex bonis suis nullo titulo, sive dotis, sive donationis propter nuptias, sive, ut expressit Reiff. *n. 38.* sponsalitiæ largitatis, sive ultimæ voluntatis, in secundum votū plus conferre possit, quam uni ex liberis prioris matrimonii; & quidem, si inæqualis divisio facta est inter liberos. V. g. uni collati 300. alteri 200. tertio 100. plus marito conferre nequeat, quam in illum contulit, qui minus accepit. V. G. 100.; ne insano amore novi mariti capta plerasque facultates suas in eum effundat, non sine gravi præjudicio filiorum suorum. Sanch. *l. 7. d. 88. n. 3.* Alex. *de Nevo in c. fin. h. t.* Castrop. *l. c. §. 3. n. 2.* Wviestn. *h. t. n. 33.* Reiff *l. c.* dicens communem & certam, prout statuitur *l. hac edictali, in princ.* & *l. apertissime, c. h. t.*

Quarta est amissio tutelæ liberorum prioris thori, si eam habeat; *l. fin. c. quando mul. off. tut. Auth. ut sine prohibitione, §. nunc. coll. 7.* & quidem, ut marito secundo mortuo eam non recuperet. Tiraq. *de cessant. caus. limit. 12 n. 8.* Perez. *in cit. l. quando mul. n. 23.* Wviestn *n. 34.* Idem est de curatela eorum; cum quod dispositum de tutela, idem de curatela dispositum censeatur; *l. quod si nolit. §. quod in procuratore, ff. de adilit. edict.* Gl. *in auth. mater, c. quand. mul.* Decius *in c. in part. ex. de appell.* Sanch. *l. c. d. 88. n. 12.*

*n.*11. relatis aliis. Castrop. *l.c.* §. *n.*3. Amittitur autem tutela non per sponsalia de futuro; quia hæc non sunt nuptiæ. Sanch. *l.c. n.*8. Menoch. *de arb. cas.* 151. *n.*7. Castrop. *l.c.* Neque per matrimonium secundum ratum tantum, ut Castrop. *n.* 4. contra Sanch. *l.c.* Alex. *in c. fin. h.t. n.*10. Gabr. *Tom.* 3. *comm. opin. l.* 9. *tit. de secund. nupt. concl.* 9. *n.*13. Baldum & alios; ex ea ratione, quod textus Juris statuentes hanc pœnam loquantur de nuptiis, quales proprie non sunt, quousque matrimonium consummatum sit, & sic constitutum in esse suo perfecto, ut Menoch. *l.c. n.*8. Gozadin. *cons.* 18. *n.*8. Nerizan. *l.* 2. *Sylva nupt. n.*50. Amittitur autem ipso jure, ita ut mater, quamprimum contraxit secundas nuptias, (intellige secundum jam dicta, matrimonio consummato) in conscientia obligetur abstinere a tutela citra omnem Judicis sententiam; eo quod matri concessa censenda sit tutela sub conditione, ne ad secunda vota transeat; Arg. *l. fin. c. quando mulier* vi cujus in susceptione tutelæ præstare tenetur juramentum abstinendi a nuptiis; tutor autem datus sub conditione, si ei non paret, cesset juxta *l. tutor datus, ff. de testamentar. tut.* & ita docent Sanch. *cit. d.*88. *n.*10. Nav. *c.*25. *n.*67. Castrop. *n.*5. Extenditurque hoc ipsum de tutela amittenda ipso facto, quando maritus in testamento absolute & simpliciter uxorem reliquit tutricem. Gut. *de tut.* 1. *p. c.* 9. *n.*16. Mol. *de primog. l.* 1. *c.* 9. *n.* 45 Sanch. *l.c.* Matienzo, Gomez & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l.c. n.*6. Arg. *auth. de nupt. coll.* 4. §. *fin autem*, ex ea ratione, quod nubens ante annum luctus completum sit incapax tutelæ, cui *cit. auth.* æqualem facit, qui simpliciter nubit secundo. Quodque textus excludentes matrem a tutela loquantur indistincte de tutela legitima & testamentaria, ac præcipue, dum in utraque tutela par est ratio, nempe suspicio malæ administrationis & dissipationis bonorum ob secundi mariti affectum, id tamen operatur designatio illa testamentaria a marito facta, ut mulier obligata non sit satisdare, juxta *Inst. de satisdat. tut. in pr.* eo quod ejus fides a parente filiorum fuerit approbata. Contrarium tamen esse, seu non amitti tutelam, si maritus eam relinquens uxori, expresse addat: esto ad secunda vota transeat, tenent apud Castrop. *cit.* §. 3. *nu.*7. Baldus *in c. ex parte m. de appell. n.*2. Nevisanz. *l.c.* Matienz. *l.* 5. *recapit. tit.* 1. *l.* 3. Gl. 2. *n.* 9. Sanch. *cit. d.* 88. *n.* 9 ex ea ratione, quod maritus ea designatione qualificata videatur omnem suspicionem malæ administrationis ab uxore removisse. Unde etiam censet Sanch. in hoc casu nequidem Judicis officio posse eam a tutela repelli; quod licet valde probabile dicat Castrop. contrarium tamen probabilius censet cum Ruino, *cons.* 87. *n.*10. *vol.* 5. eo quod dicta suspicio & præsumptio fundata in frequente contingentia malæ, & iniquæ administrationis tutelæ a matribus susceptæ ob affectum secundi mariti, non possit illa designatione prioris mariti purgari; adeoque leges inhibentes tutelam matribus vim suam & efficaciam retineant pro omni casu, etsi hic & nunc in singulari casu maritus suspicionem illam de uxore sua purgaret dicta designatione sua; his non obstante, quod extranei ob similem suspicionem a tutela non removeantur; cum extraneo non interdicatur tutela a lege sicut matri transeunti ad secunda vota, quia major de illa est suspicio malæ administrationis ob amorem secundi mariti. De cætero dicta amissio tutelæ non extendit se ad patrem transeuntem ad secunda vota, dum nimirum is eam alias habere potest filiorum emancipatorum, non tamen existentium sub patria potestate, quibus hac durante non datur tutor; cum pater etiam post secunda vota retineat una cum usufructu legitimam administrationem bonorum maternorum iis competentium, juxta *l. generaliter in fine, c. h. t.* ac ita contra Ripam *in l. fin. c. de revocand. donat. q.* 26. Cassan. *de consuetud. Burgund. Rub.* 6. §. 8. *n.* 2. *&c.* docens probabilius Sanch. *l.* 7. *d.* 88. *n.*12. Castrop. *l.c. n.*8. Reiff. *h. t. n.* 39. ex ea ratione, quod jura loquantur de sola matre, & nullibi in eis cautum, patrem quoque amittere tutelam ob secundum conjugium; & leges pœnales non extendendæ de uno casu ad alium, præsertim ubi ratio dispar est, uti est in præsente, dum etsi patres quoque ob affectum, erga novam conjugem videri possent male administraturi tutelam liberorum prioris thori, in contrarium tamen ob eorum majorem prudentiam & judicium præsumantur recte, non tam facile ob novum conjugium perdituri amorem filiorum quam matres, utpote levioris ingenii; Arg. *l. lex quæ, c. de administr. tutor.*

5. Quinta quasi pœna juxta probabiliorem est, quod mater, cui alias (nisi consuetudo aut statutum loci, aut mores matris minus probati exigant aliud) educatio liberorum convenientissime committitur juxta *l.* 1. *c. ubi pupilli educari, deb.* ubi dicitur: *Educatio pupillorum tuorum nulli magis quam matri eorum, si non vitricum eis induxit, committenda est*, & *Novell.* 22. *c.* 38. ubi: *Mater fide dignior ad filiorum educationem videbatur, dat etiam hoc ei lex, nisi ad secundas accesserit nuptias*; transiens tamen ad secunda vota, seu superinducto liberis vitrico, eam amittat, ita etiam, ut Judex eam illi permittere nequeat; ita contra Mol. *Tom.* 1. *de Just. d.*224. *n.*12. & Sanch. *cit. d.*88. *n.*17. (quatenus censent, matrem secundo nubentem non privari ea educatione, sed venire privandam a Judice, nisi forte probaverit, illam & vitricum esse eorum morum & honestatis, ut tollat omnem suspicionem malæ educationis, in quo casu teneatur Judex illi educationem permittere, ita ut remittatur Judicis arbitrio, penes quem oborta desuper lite inter matrem, cognatos & tutores, ubi educandus filius) docent Gl. *in Auth. ut liceat matri & aviæ*, §. *illud quoque, coll.* 8. *v. non venerit.* Ruin. *cons.* 87 *in fin. vol.* 5. Menoch. *de arb. cas.* 168. *n.*10. Matienz. *l.c. n.*8. Spino *in specul. testam. gl.* 29. *p.* 2. *n* 13. Castrop. *l.c. n.*14. cum aliis relatis a Sanch. *n.* 16. Arg. citatorum textuum, ex quibus manifeste probatur a contrario, illam privari, si transierit ad secunda vota, seu vitricum induxerit. Idque etiam non exspectato Judicis arbitrio; cum, dum *in cit. l.* 1. additur; orta lite inter matrem & cognatos adeundum Provinciæ præsidem, non intelligatur mater transiens ad secunda vota, sed mater vidua, ut persuadent verba præcedentia: *Si vitricum induxerit*, quia mater hunc inducere nequit, nisi vidua, ut probant aliis relatis Roland. *cons.* 79. *n.*54. *vol.* 3. Menoch. *cons.* 390. *n.*13. *vol.* 4. Confirmaturque hæc sententia quoque ex eo, quod si mater nubens secundo ob secundas nuptias suspecta reddatur de tutela seu administratione mala bonorum pupilli, & ideo ab ea ipso jure exclusa censeatur; quin & lex ob præsumptionem talem juris & de jure (ad quam gignendam satis est viri novi amor, ut Arg. *Auth. sed jam necesse, c. de donat. ante nuptias.* Gl. *in Auth. de æqual. dotis, coll.* 7. §. *aliud quoque, v. privilegium* Sanch. *l.* 7. *d.* 37. *n.*8 Castrop. *cit. n.*14. *in fin.*) excludat omnem probationem, ut Abb. *in c. quanto, de præsump. n.* 2. Felin. *ibid. n.* 3. Covar. 4 *decret.* 1. *p. c.* 4. §. 1. *n.* 2. Menoch. *l.* 4. *præsump. q.* 31. *n.*12. Mascard. *de probat. concl.* 1218. *n.* 4. a fortiore id dicendum de educatione, cum majorem fiduciam exigat educatio personæ, quam administratio bonorum illius. Vide de his fusius Castrop. *l.c.* qui tamen *ibidem* addit cum Sanch. *d.* 88. *n.* 21. hanc privationem educationis, quam jura statuunt officio Judicis faciendam, ita ut mater secundo nubens educationem pupillorum retinere valeat, usque dum ea a Judice privetur. De cætero tutelam cum educatione concedi potest vitrico, utpote, qui non sicut mater ob levitatem suspectus est, adeoque ob præsumptionem juris ab ea non exclusus. Castrop. *n.*15. Sed neque hæc privatio educationis extendenda ad patrem, utpote cui plus in hoc genere jura fidunt quam matri. Castrop. *n.*16. Spino, *l.c. n.*14. Sanch. *d.* 88. *n.*20. cum fere communi.

6. Sexta est, quod uxor secundo nubens amittat privilegia honoris & immunitatis prioris mariti (quibus fruebatur, dum ei nupta, & quamdiu vidua manebat, ut AA. communiter *in l. ult. de bonis maternis, l. fœmina, ff. de Senatorib. l. filii vers. vidua, ff. ad municip.* Castr. *l.c. n.*24 ac præcipue Tiraq. *de nobil. c.* 18 *n.* 9.) gaudeatque privilegiis posterioris mariti, si quæ habet. *Auth. de nuptiis, coll.* 4. §. *non tamen permittimus*, & *l. mulieres, c. de dignit.*

7. Septima secundum Spino, *in specul. testam* Gl. 28 *n.*35. Benedict. *in c. Raynutius, de testam. n.*203. *v. qui cum alia*, & alii, quos refert Sanch. *d.*88 *n.*14. est amissio executionis testamenti prioris mariti, dum ea illi ab eo commissa. Contrarium communius tenent, & omnino tenendum, ait Castrop. *l.c. n.* 10. cum Covar. *in c. tuæ, de testament. n.* 3. Sanch. *l.c.* referente plures alios; eo quod id nullibi in jure cautum. Neque etiam ex amissione tutelę ob secundas nuptias recte infertur hęc amissio executionis, sicut nec illius concessio ex concessione tutelæ juxta *l. cum pater*, §. *hæreditatem, ff. de leg. juncta l. si arrogat. ff. de tutelis*, ex ea quoque ratione, quod tutela matri concessa ex lege in favorem filiorum; executio vero testamenti concessa a marito in nullius in particulari commodum.

8. Octava, quod donationem filio factam revocare nequeat ratione ingratitudinis; quia pręsumitur, non ob ingratitudinem filii, sed, ut placeat marito, id facere; ut dicitur in *Auth. quod mater. de revocand. donat.* & habetur *l.* 7. *c. eod.* Exceptis tamen tribus casibus, in quibus transiens ad secunda vota id potest; nimirum si filius insidiatus vitæ matris. Si manus impias in eam injecerit. Si jacturam totius substantiæ molitus fuerit. Nequaquam tamen extenditur hæc pœna ad patrem secundo nubentem; quia id nullibi cavetur, & non præsumitur ob amorem novæ uxoris animum erga filium tam facile mutaturus, sicuti præsumitur de matre ob ei innatam inconstantiam & levitatem; ita Gl. *in auth. mater. de nupt. v. nisi tamen.* Sanch. *d.*88. *n.*35. Castrop. *cit.* §. 3. *n.*26.

9. Nona secundum aliquos est amissio tacitę hypothecę & juris prelationis, ratione dotis, quam & quod habet vidua in bonis mariti defuncti juxta *l. assiduis, ff. qui priores in pign.* quod tamē rectius negant Sāch. *l.c. n.*34. Castr. *n.*27. eo quod, ut inquiunt, esto, hoc privilegium cōcedatur fęminis, ut facilius nubere possint, contractis tamē nuptiis, eoque acquisito semper illud retinent, sive secundo nubant, sive non; quia jam a contractis nuptiis non dependet, præterquam, quod hæc amissio nullo jure inducta inveniatur.

10. De-

10. Decima, est obligatio reddendi rationes, quam mater administrans bona filii subit contrahendo secundas nuptias, ob quas suspecta redditur, a qua obligatione eximebatur in statu viduitatis, juxta *l. quamvis, ff. de condit. & demonst.* ac ita tenent Baldus *in l. cum oportet, §. fin. c. de bonis qua liberis*, Castrop. *n.* 29. cum Sanch. aliisque ab eo relatis, *l. c. n.* 36. ubi etiam addit, dictæ amissioni locum esse, etiamsi a marito constituta esset tutrix filiorum, & reddendis rationibus relevata; cum non censeatur sic relevata in præjudicium filiorum, nisi hoc ipsum fuerit expressum.

11. Undecima est pœna, sub qua conjuges se mutuo obstrinxerunt non nubendi secundo; qualiter se mutuo obligare posse conjuges, & quam pœnam subeundi obligationem invalidam non esse, tenent Sanch. *l. c. n.* 37. Castrop. *n.* 30. cum nullo jure interdicatur; & licet *l. quoties, ff. de condit. & demonstr.* conditionem & stipulationem appositam abstinendi a nuptiis rejiciat; & *l. adigere, ff. de jure pat.* remittat juramentum de nubendo; nullatenus tamen exinde inferri potest dicta invaliditas; cum citati textus tantum intelligendi sint de abstinentia a primis nuptiis, juxta *Auth. cui relictum, c. de indulta viduitate.*

Plures alias similes pœnas recensitas ab aliis prætereo; quia communius & rectius a jure inductæ negantur, inter quas est amissio potestatis exemplariter substituendi filio mente capto, muto, prodigo, cui interdictum bonis, alias ob pietatem, quam filiis debet mater, eidem concessæ, cum ea pietas & humanitas cesset matre transeunte ad secundas nuptias, utpote jam facta noverca & inimica filiorum prioris thori, ut præsumitur. Quam pœnam tamen seu privationem dictæ potestatis, quia nullibi in jure statuta ob secundas nuptias, negant Sanch. *l. c. n.* 24. Castr. *n.* 19. qui tamen etiam ipse *n.* 21. cum Sanch *n.* 25. censet, stante priore sententia, substitutionem factam a matre vidua transeunte ad secunda vota non evanescere. Vide eosdem.

QUÆSTIO CCCXVI.

Num pœnæ enumeratæ* quæst. præced. *a jure canonico irritatæ & sublatæ sint?

1. RESP. primo: Pœnæ illæ, quæ præter infamiam inductæ principaliter ob præproperam reiterationem matrimonii intra annum luctus, sublatæ sunt per Jus Canonicum non secus ac infamia ob eandem rationem, nimirum tum ut libertati matrimonii, a quo abstinere compellit metus dictatum pœnarum, consuleretur; tum ut periculum peccandi in viduis gravibus sæpe tentationibus carnis vexatis evitaretur. Quæ ratio id sufficienter evincit, etsi alias de abolitione harum pœnarum, sicut de infamia, nulla expresse in Jure Canonico fiat mentio; ita Covar *in 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 5.* Gut. *de mat. c.* 208. *n.* 23. Sanch. *l. 7. d.* 87. *n.* 23. citatis quamplurimis. Castrop. *l. c. §.* 2. *n.* 10. dicens verissimam & communissimam. Wiestn. *h. t. n.* 45. Pirh. *n.* 8. contrarium tenentibus Cyno *in l. 2. h. t. in fine*. Bald. *ibid. n.* 7. Mancin. *l. 2. genial. c.* 140. Oliva *fori Eccles. p. 1. q.* 42. *n.* 10. & 33. Barb. *in c. fin. h. t. n.* 5. Gentil. *de secund. nuptiis, n.* 18. Sublatæque sunt hæ pœnæ non tantum, quoad forum Ecclesiasticum, sed & quoad forum sæculare, ne, si in hoc observandæ, earum metu adhuc detineretur vidua a contrahendo matrimonio, adeoque libertati matrimonii non satis consultum; ita cum Gl. *in c. fin. h. t.* Jo. And. *n.* 5. Alex. *n.* 12. Surdus *de alim. tit.* 7. *q.* 22. Gut. *l. c. n.* 8. Sanch. *l. c. n.* 27. Castrop. *n.* 11. Atque ita vidua, secundo nubens capax est cujuscunque hæreditatis, legati, donationis causa mortis relictæ tam ab extraneo, quam a marito. Gut. *n.* 5. Sanch. *n.* 25. Castr. *n.* 12. Item secundo nubens intra annum non tenetur medietatem bonorum suorum concedere liberis prioris thori, tanquam pœnam inductam in odium festinationis nuptiarum, vi *l. si qua mulier, c. ad Senatus Consult. Tertull.* Gutt. *n* 9. Sanch. *n.* 28. Castrop. *l. c.*

2. Resp Secundo: Cæteræ pœnæ statutæ principaliter in favorem filiorum non sunt jure canonico sublatæ, sed pro utroque foro in suo vigore persistunt. Innoc. *in c. fin. h. t.* Host. *ibid. n.* 3. Jo-And. *n.* 5. Anchoran. *n.* 9. Barb. *n.* 3. Gutt. *l. c. n* *n.* 21. Sarmien. *L. 1. Selectar. interpret. c.* & *n.* 40. Sanch. *l. c. d.* 88. *n.* 39. Oliv. *l. c. q.* 43. *n.* 22. Castrop. *n.* 31. Pirh. *h. t. n.* 9. Haunol. *de J. & J. Tom. 1. tr. 4 n.* 504. Wiestn. *h. t. n.* 37. contra Abb. *in c. Ecclesia, de const. n.* 15. Felin. *ibid. n.* 36. *declarat. 1. decis. n.* 125. eo quod legibus inducentibus has pœnas nullo textu juris canonici sit derogatum; neque expresse; quin potius approbatæ. Arg. *c. ex parte, de appell.* ubi constituta secundo nubentibus *cit. c. matres*, amissio tutelæ aperte est approbata, ut *ibid.* notant Barb. & Gonz. nec tacite, cum pro earum abrogatione non militet eadem ratio, quæ pro abrogatione aliarum pœnarum, cum non sint pœnæ proprie tales ob secundas nuptias impositæ, sed dispositiones quædam legales maxime æquitati & juri naturali consentaneæ a legitima potestate inductæ in favorem liberorum primi mariti, quibus alias secundæ nuptiæ solent esse damnosæ & infaustæ, ut Sanch. *l. c. n* 39. Gutt. *n.* 20. & 22. Castrop. *n.* 31. cum Covar. Gabr. Matienzo a se citatis. De quibus proinde rationabiliter conqueri nequit pater aut mater, quod inde tollatur libertas ad nubendum.

QUÆSTIO CCCXVII.

An igitur etiam jure canonico correctum sit, quod statuitur* Auth. cui relictum, c. viduit. & Auth. de nuptiis, §. quæ vero coll. 4. *ut legatum a conjuge vel extraneo sub conditione, ne secundo nubat, peti nequeat intra annum luctus.

RESP. Cum Sanch. *l. c. d.* 87. *n.* 19. Gutt. *l. c. n n.* 10. Castrop. *n* 24. negative; eo quod nullam pœnam contineat, sed dispositionem voluntati testatoris maxime faventem, dum detentione legati per annum, quod alias statim solvendum, legatarii voluntas implendi conditionem hanc, seu abstinendi per annum a secundis nuptiis, cognoscatur.

QUÆSTIO CCCXVIII.

Num jure canonico abrogatum, quod alias denegatur viduæ transeunti ad secundas nuptias intra annum luctus, præstatio alimentorum.

RESP. cum iisdem Castrop. *l. c. n.* 15. *vers. dubium est*. Gutt. *n.* 18. Sanch. *n.* 30. Cucho. *L. 5. Inst. Maj tit.* 12. *n.* 190. præstanda adhuc viduæ pauperi transeunti ad secunda vota alimenta ab hæredibus prioris mariti, eo quod ea negari non possint in odium præproperarum nuptiarum secundarum tempore luctus; cum ea debeantur a secundo marito, a qua obligatione dum is liberatur, si pauper est, hæredes prioris mariti, dum dotem non restituunt (quam consistentem in rebus immobilibus statim; consistentem vero in mobilibus & incorporalibus non nisi post annum a morte mariti extradere tenentur, juxta *L. unic. c. de rei uxoriæ act. §. exactio*, exceptis tribus casibus, in quibus ea consistens in rebus mobilibus statim a morte mariti extradi debet, de quibus vide Castrop. *cit. n.* 15.) ab alimentis præstandis desistere non debent AA. citati. Porro si hæredes teneantur præstare alimenta viduæ superstiti, teneri quoque suppeditare vestes lugubres; quia ad alimenta reducuntur; ita etiam, ut dum de consuetudine contraria non constat, transiens ad secundas nuptias eas, sive viles sint, sive pretiosæ, ut volunt alii, restituere non teneatur, probabilius credit Castrop. *n.* 16. Sed neque, ut idem, si hæredes eas sine obligatione concesserint; cum concessæ non censeantur sub conditione non transeundi ad secundas nuptias. Quid vero sit de obligatione restituendi lectum viduæ post transitum illius ad secundas nuptias; vide pluribus apud Castrop. *l. c. a n.* 17.

QUÆSTIO CCCXIX.

Num vidua incidens in fornicationem incurrat pœnas statutas secundo nubentibus.

RESP. Vidua intra annum luctus committens fornicationem incidit in omnes pœnas jure civili statutas secundo nubentibus tempore luctus. *Auth. de restit. & ea quæ parit §. fin.* ubi & ratio additur his verbis: *non enim aliquid amplius habet castitate luxuria*; & licet hæ pœnæ jure canonico abolitæ sint respectu secundo nubentium, non tamen quatenus afficiunt viduam fornicantem ex ea ratione, quod hæ pœnæ abolentur, ne metu earum secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt, impediantur, quod non procedit in fornicatione omni jure illicita. Atque ita, ut certum ex omnium sententia contra unum Corneum tradit Sanch. *L. 7. d.* 90. *n.* 1. & cum eo Gutt. *de mat. c.* 110. *n.* 1. Castrop. *tr.* 28. *d.* 4. *p* 13. *§.* 6. *n.* 1. Sufficit autem ad has pœnas incurrendas unica fornicatio, absque eo quod, ut volunt alii, requiratur consuetudo fornicandi; ita, ut videtur, verius tenent Covar. *in 4. decret. 2 p c. 7. §. 6. n.* 12. *in fin.* Acosta *in c. si pater, de testam. in 6. v. legavit, n.* 40. Barb. *in L. 2. ff. soluto matrim. p.* 2. *n.* 67. Sanch. *L. 7. d.* 90. *n.* 2. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c.* Arg. *cit. Auth.* quæ pœnis omnibus secundo nubentium afficit viduam parientem non ex priore matrimonio, adeoque ex fornicatione, partus autem ea unica fornicatione provenire possit. Non tamen has pœnas incurrere viduam fornicantem extra tempus luctus probabilius censent Sanch. *l. c. n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 2. eo quod *cit. Auth. §. fin.* has pœnas indicens

viduis

viduis fornicantibus, expressa solum loquatur de fornicantibus intra tempus luctus, sitque fornicatio extra tempus luctus minus gravis, minusque viro probrosa. Neque incurrere has pœnas viduam fornicantem intra tempus luctus ante omnem sententiam Judicis, ita ut nulla exspectata sententia teneatur in conscientia liberis prioris thori omnia, quæ a priori marito accepit, aut alias titulo lucroso acquisivit restituere, tutelamque & educationem dimittere, sed tunc demum, ubi accesserit sententia declaratoria criminis, esto ipso jure privetur illis; cum hęc privatio statuatur in delicti pęnam, quæ necessario requirit sententiam declaratoriam delicti, docent rectius Sanch *l. c. n.* 11. Gutt. *cit. c.* 110. *n.* 17. Castrop. *l. c. n.* 6. 7. & 10. Porro extendi quoque dictas pœnas ad virum viduum intra tampus luctus fornicantem & luxuriose viventem, contra Pinell. *in L. ult. c. de bonis matern. n.* 19. & Gutt. *l. c. n.* 13. tenet Castrop. *l. c. n.* 9. citatis pluribus ex ea ratione, quod dictæ pœnæ v. g. illa bonorum restitutio, seu reservatio facienda liberis vel hæredibus repræsentantibus defunctum sancita sit in satisfactione injuriæ illatę conjugi defuncto per fornicationem tempore luctus commissam non secus, ac commissam ob secundas nuptias ao tempore initas, adeoque sicut ob illas initas sive a viro, sive a muliere, ita incurratur ob dictam fornicationem commissam, sive a viro viduo, sive a fœmina vidua.

QUÆSTIO CCCXX.

An dubius de morte conjugis transire possit ad secundas nuptias.

RESP Negative: Sic expresse deciditur, *c. dominus* 2. ubi: *nullus ad secundas nuptias transire præsumat, nisi prius ei constet de morte conjugis ejus*, & ratio est manifesta; quia contractos novi matrimonii cedit in gravissimum præjudicium conjugis prioris, si forte adhuc superstes, quique in casu dubio jure suo spoliandus non est; superstes autem, & vivere præsumendus est, quamdiu probatum non est contrarium, ut constat ex *L. ult. c. de SS. Ecclesiis*: econtra mors, cum sit quid facti, non præsumitur, sed debet probari ab allegante. Sanch. *L.* 2. *d.* 46 *n.* 1. cumque in secundo matrimonio contrahendo sit periculum nullitatis & adulterii; in abstinendo vero nullum, hoc præeligendum est, quamdiu certitudo mortis conjugis non adest Pirh. *ad tit. de sponsal. n.* 132. & generatim loquendo, quando constat de certa obligatione ad aliquid faciendum, non autem constat de deobligatione seu liberatione ab obligatione, tunc non licet ab obligatione recedere; quia ea est in possessione tanquam certum, & solum dubitatur de cessatione, in præsente casu constat de obligatione prioris matrimonii, non autem de illius solutione, quia non constat de morte prioris conjugis; adeoque in hoc dubio pars tutior eligenda, & judicandum, quod adhuc obliget prius matrimonium. Estque hæc sententia communis & certa, juxta *c. in præsentia, de sponsal.* ubi DD. omnes, & quo textu corrigitur jus civile, nimirum *L. uxoret, ff. de divort.* quæ uxori dubitanti de morte conjugis absentis concedit licentiam nubendi post exspectatum quinquennium, vel etiam, ut habetur *L. uxor. c. de repudiis*, post quadriennium.

QUÆSTIO CCCXXI.

An & qualiter stante dubio de morte prioris conjugis contrahens de facto matrimonium possit petere & reddere debitum, & an tale matrimonium remanente dubio dissolvendum.

1. RESP Ad primum: Qui stante dubio, adeoque mala fide transiit ad secundas nuptias (idem est de eo, qui bona fide iniit matrimonium, & deinde dubitare incipit de morte prioris conjugis) non potest petere debitum, cum nemo uti possit re, de qua dubitat, an sit sua; & qui dubitat, an sit legitimus conjux, exigendo debitum cum tali dubio, facit contra propriam conscientiam, quam habet ex probabili causa, *c. inquisitioni, de sent. excom.* Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit matrimonium; cum is justa sua possessione privari non debeat ob malam fidem alterius, quamdiu non constat, matrimonium suum esse nullum, nemo etiam sine sua culpa privari debet jure suo, *c. discretionem, de eo, qui cognov. consang.* Pirh. *h.* 1. *n.* 3. juxta expressum textũ, *cit. c. dominus*, ubi: *si aliquis sexuali quo de morte prioris conjugis dubitet, ei, quæ sibi nupsit, non denegel debitum postulanti, sed ipse nullatenus illud exigat.* Quod si uterque mala fide contraxit secundum matrimonium, neuter potest petere aut reddere debitum ob possessionem malæ fidei: sequitur ex dictis, Sanch. *L.* 2. *de mat. d.* 41 *n.* 8.

2. Resp. Ad secundum: Matrimonium secundum contractum cum tali dubio ex parte unius non statim est dissolvendum, quia in *cit. c. dominus*, dicitur, dubitantem teneri reddere debitum, quæ redditio est actus matrimonii, quem exercere non posset, si matrimonium esset statim dissolvendum. Neque etiam, dum matrimonium secundum contractam cum dicto dubio ex parte utriusque, seu dubitante utroque, dum enim de valore matrimonii, etsi mala fide contracti, dubitatur, standum adhuc pro possessione & valore matrimonii, quamdiu non constat de contrario, tametsi possessio illa contrahentium juris utendi matrimonio sit infructuosa.

QUÆSTIO CCCXXII.

Num eadem certitudo de morte conjugis requiratur, ut quis propria authoritate, aut judicis permittentis authoritate transeat ad secundas nuptias.

RESP. Eadem certitudo requiritur sive propria, sive Judicis authoritate quis contrahat secundas nuptias, ut probabilius sentiunt Castrop. *tr.* 28. *d.* 4. *p.* 13. §. 1. *n.* 3. & quos citat Gl. *in c. in præsentia, de sponsal. in fine.* Covar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. §. 3. *n.* 3. Mascard. *de prob. concl.* 104. *n.* 4. Sanch. *L.* 2. *d.* 46. *n.* 6. Gut. &c. contra alios relatos a Sanch. *n.* 5. censentes ad contrahendum matrimonium propria authoritate sufficere verisimilem probabilitatem, ad contrahendum authoritate Judicis requiri plus seu majorem certitudinem; pro ratione responsionis dant, quod textus *c. in præsentia*, æqua de utroque casu loquatur, dum dicit: *non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte conjugis*: adeoque certus nuncius requiritur, tam ut Ecclesia permittat eos contrahere, quam ut ipsi contrahere possint.

QUÆSTIO CCCXXIII.

Qualis igitur & quanta ad hoc requiratur certitudo.

RESP. Requiritur certitudo moralis, & non sufficit judicium probabile, seu moralis probabilitas; ita AA. cit *respons. ad quæst. præced.* ea siquidem, quæ generant judicium solum probabile de morte conjugis insufficientia sunt, ut is jure suo, quod habet, ne se superstite superinducatur alius conjux, & possessione privetur, licet enim ad agendum prudenter in iis, quæ in nullius cedunt præjudicium, sufficiat judicium probabile, non tamen in iis, quæ juri alterius præjudicant. Castrop. *l. c.* Neque obstat *c. quoniam at lite non contest.* ubi dicitur: *Si de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alterutur exspectetur, donec de obitu illius verisimiliter præsumatur*, uti nec *c. cum per bellicam*, 34. *q.* 2. ubi dicitur: *nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit &c.* nam per eos textus exigitur existimatio & verisimilitudo non qualiscunque, sed moraliter certa, ut AA. iidem. Notandum tamen, quod habet Krimer. *de mat. n.* 1845. ubi: videtur omnino dicendum, in contrahente non tantum ut securus sit in foro externo, sed etiam in foro interno, requiri, quod procedat ex probabilitate prævalente adversus fundamenta, quæ sunt in oppositum pro alterius conjugis superstitis vita; nam tali casu & Judex contractum permittere non potest, cum in casu dubio tangente præjudicium tertii sequatur, quod probabilius est. Notandum quoque, quod ait Pirh. *ad tit. de sponsal. n.* 135. ubi valde probabilis est sententia, quod conjux, si habeat verisimilem præsumptionem & valde probabilem, etsi non omnino certam (sub intelligendum videtur *moraliter*) causam credendi, alterum conjugem esse mortuum, licite possit ad secundas nuptias transire, idque confessarius in foro pœnitentiæ permittere poterit; & paulo post 110 tali casu tamen, quando adest solum præsumptio probabilis ex indiciis & conjecturis, non autem indubitata certitudo, Judex ecclesiasticus in foro externo concedere licentiam transeundi ad secundas nuptias; idque confirmat constans Consistoriorum Episcopalium praxis & communissima DD. sententia, a qua in causa tam ardua, qualis est matrimonialis, recedere non licet. Porro quæ præstent certitudinem moralem, prudentis arbitrio relinquendum spectatis circumstantiis. Gut. Sanch. *LL. cit* Castr. *n.* 4. De cætero sufficit talis certitudo moralis; cum in omni genere humanarum actionum & rerum ea sufficiat, & vix major haberi potest, ac proinde præterea alia diligentia adhibenda non est, ut constat ex *cit. c. in præsentia.* Unde & per hoc correctum est jus civile, dum *Auth. hodie, c. de repudiis*, uxori audienti, virum in bello obiisse, interdicuntur nuptiæ, quin prius adeat belli ducem per se vel alium, ipseque juret obiisse, & aliorum testimonia recipiat, & insuper exspectet per annum.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXXIV.

An & qualiter fama præstet hanc certitudinem moralem.

RESp. Fama præcise secundum se non præstat moralem certitudinem, utpote orta ab incerto authore & sæpe falaci. Pich. *ad tit. de sponf. n* 134. Laym. *L.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 8. juxta *c. vestra, de cohabit. Clericor.* adeoque fama præcise de morte conjugis est insufficiens ad ineundum aliud matrimonium. Nihilominus tamen fama vestita circumstantiis & fulta iis adminiculis, quæ prudentis arbitrio faciant moralem certitudinem, v. g. si mors dicatur contigisse in bello, in loco valde distante, vel si vir absens sit senex, constat de eo, quod fuerit æger, non redit, ubi redire promisit &c. ad hoc sufficiens est; quia jam habetur moralis certitudo. Castrop. *n.* 8. citatis Gl. *in tit. c. quoniam, v. præsumatur.* Abb. *in c. in præsentia, n.* 6. Mascard. *de prob. concl.* 1073. *n* 4. Sanch. *L.* 7. *d.* 46. *n.* 15. Gutt. *c.* 51. *n.* 4. Porro famam probandam duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponere debent, se a fide dignis audivisse, esseque in illo loco publicum, seque credere, rem sic se habere; quinimo, si non adsint conjecturæ probabiles de morte conjugis, debere illos explicare, a quibus personis audiverint, nisi forte sex vel octo testibus fama probetur, ajunt apud Castrop. Mascard. *l. c.* Sanch. *n.* 16. Less. *de Just. L.* 2. *c.* 29. *n.* 143.

QUÆSTIO CCCXXV.

An & qualiter unius testis testimonium de morte conjugis præstet dictam certitudinem.

RESp. Affirmari hoc ipsum ab Abb. *in c. in præsentia num.* 6. Host. *ibid. ad fin.* Gutt. *n.* 2. Angel. *v. matrim.* 3. *imped.* 13. eo quod *in cit. c. in præsentia*, solum exigatur certus nuncius, id est, ut Castrop. *n.* 5. qui, spectata qualitate personæ & modo proponendi, judicetur verum dicere. Negant econtra Bartol. *in L.* 2. *§. si dubitetur, ff. quemad. testam. aper.* Pirh. *l. c. n.* 134. Sanch. *L.* 7. *d.* 46. *n.* 12. sufficere testimonium testis unius, nisi conjecturis aliis adjuvetur; eo quod unius testimonium solum semipleoe probet; adeoque non nisi ad generandum judicium probabile sufficiens, juxta *L. jurisjurandi c. de testib.* & *c. veniens, eod.* ubi dicitur: *votum unius nullius esse*, hoc est, nullius effectus ad ferendam sententiam; ad hæc *in c. in præsentia*, *nuncium certum* accipitur in neutro genere pro eo, quod nunciatur; sed dici non potest certum nuncium, quod ab uno solo affirmatur. Sed neque in genere masculino nuncius certus dici potest unus testis; quia non potest dici asserens certum nuncium, quod quis solus testatur. Pirh. *n.* 134. cum Sanch. *l. c. n.* 11. Quas sententias ita conciliat Castrop. *n.* 7. cum Gutt. *n.* 2. ut unius testis dictum secundum se sit insufficiens; non vero, quando major probatio haberi nequit, & testis ex modo proponendi certum deponere præsumitur.

QUÆSTIO CCCXXVI.

An habita dicta certitudine morali, conjux adire possit secundas nuptias propria authoritate nulla petita licentia Ordinarii.

RESp. Affirmative: Nullibi enim cavetur, hanc licentiam esse petendam. Sylv. *v. matrim.* 8 *q.* 13. Gutt. *l. c. c* 51. *n.* 2. Castrop. *cit. §.* 1. *n* 4. Nihilominus licet jam etiam parochus sine tali licentia assistere possit secundo matrimonio, longe tamen tutius fore, ut res ad Ordinarium deferatur; imo id necessarium esse absolute, si rationabiliter dubitetur, num adsit certitudo moralis, vel præsumptio de morte alterius conjugis, nec ne, asserunt Laym. *l. c.* Pich. *n.* 136.

QUÆSTIO CCCXXVII.

An & quomodo mulier contracto secundo matrimonio, reduce illius viro, possit cum secundo remanere.

RESp. Tametsi cum consensu Ecclesiæ transierit ad secundas nuptias, & ex secundo viro susceperit liberos, libentiusque cum eo remaneret; quin etiam licet maritus prior redux eam non cupiat amplius, non potest cum secundo viro remanere, sed conjugaliter debet convivere primo, ut constat ex *c. cum per bellicam*, item ex *c. cum in captivitate* 34. *q.* 1. & patet; siquidem, cum constet priorem virum vivere, constet etiam, matrimonium secundum esse nullum, & consequenter secundum virum non esse suum; unde si pergat ei adhærere per usum conjugalem facti, erit adultera, juxta *c. dominus, h. t.* ubi *a relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur*; quos tales vocat Papa, *si de prioris conjugis vita constiterit*, nimirum uxori ejus, quæ invalide transiit ad secundas nuptias. Neque his obstat, quod *cit. c. cum per bellicam*, dicitur: *si viri* (nimirum post longam captivitatem reversi) *uxores cupiant in suum consortium redire, restituendum est, quod fides poscit*: nempe conjugalis, obligans mulierem ad individuam vitæ societatem cum viro; nam loquitur citatus textus de restitutione ad cohabitationem, ex eo autem, quod vir redux illam non cupiat, aut velit restitui, aut recipere uxorem, non sequitur, quod ea possit manere conjugaliter cum secundo viro; cum per hoc, quod vir rejiciat uxorem suam legitimam, non scindatur ligamen seu vinculum cum eo. Sed neque, si in hoc casu talis mulier se remansuram diceret, & promitteret cum secundo viro, non ut uxorem, sed ut inquilinam domus, Judex ecclesiasticus id tolerare non potest, cum sit morale periculum incontinentiæ, præsertim si ante carnis consuetudinem habuerint.

QUÆSTIO CCCXXVIII.

An conjux teneatur conjugem reducem recipere quoad cohabitationem & thorum.

RESp. Si conjux, ad quem redit, non habeat justam causam divortii, tenetur reducem recipere ad cohabitationem & thorum. Hinc si conjux captivus per vim præcisam & absolute coactus fuisset ad signa solum externa falsæ Sectæ, v. gr. circumcisus fuisset; vel etiam ut Krimer. *de mat. n.* 1857. coactus immolare idolo, teneretur adhuc alter conjux eum recipere ad thorum; secus, si captivus vere defecisset a fide, v. g. ad Mahometismum, & nollet denuo reverti ad fidem. Item si mulier in captivitate suscepit liberos ex alio per vim præcisam oppressa, non poterit hoc præcise titulo rejici a viro; cum adulterium ex vi præcisa commissum non præbeat innocenti justam causam divertendi. Secus videtur, si per vim solum conditionalem, seu gravem metum, quo incusso plerumque solent barbari copulam extorquere, commiserit adulterium, cum id adhuc non vacat culpa. Item etiamsi redux sit corpore vitiatus, redditus deformis, infirmus, tenetur illum adhuc recipere, nisi talis sit infirmitas, quæ alterum deobliget a consortio thori propter evidens periculum infectionis, v. g. lepra, morbus gallicus, prout omnia constant ex dictis de divortiis.

QUÆSTIO CCCXXIX.

Quid sit benedictio nuptiarum, & num necessario aut etiam licite adhibenda secundis nuptiis.

1\. RESp Primo: Per benedictionem nuptiarum aliud non intelligitur, quam preces ac cæremoniæ ex præscriptione Ecclesiæ adhiberi solitæ in solennitate nuptiarum tum ad majorem Sacramenti dignitatem, tum ad impetrandam benedictionem divinam ad actus conjugales deinceps debito fine ac modo decenter exercendos: unde etiam Trident. *sess.* 24. *de reform. mat can.* 11. eos, qui istiusmodi cæremonias damnant, ferit anathemate, simulque statuit eas non nisi a proprio Parocho contrahentium (qui etsi non sacerdos assistere possit matrimoniis, non tamen benedictionem illam impertiri; cum ea sit ordinis sacerdotalis inter missarum solennia impendenda, ut Wiestn. *h. t. n.* 25. cum Barb. *ad Trid. c.* 1. *n.* 151.) aut alio sacerdote, obtenta super hoc licentia ab ordinario, peragenda, non obstante quacunque, etiam immemoriali, in contrarium consuetudine aut privilegio. Obligat vero hoc Tridentini statutum, ita ut si ex contemptu (secus, si ex mera negligentia) omittatur dicta benedictio, peccetur mortaliter, ut Sanch. *L.* 7. *de mat. d.* 82. *n.* 6. Perez. *de mat. d.* 43. *s.* 10. *num.* 4. Gobat *exper. tr.* 10. *num.* 562.

2\. Resp. Secundo: In secundis nuptiis adhiberi benedictio non debet, quantum est de jure communi, si ambo conjuges & eorum unus (cum benedictio impertita uni communicetur utrique, ut Abb. *in c. vir autem, h. t. n.* 2. Fagn. *n.* 6.) in priore matrimonio benedictionem suscepit; secus, si neuter eam accepit, ita Abb. *loc. cit. n.* 3. Anchoran. *in idem c., num.* 1. Sanch. *loc. cit. num.* 25 Pirh. *hoc tit. numer.* 13. juxta *cit. c. vir autem*, ubi; *vir autem vel mulier ad bigamiam transiens non debet a presbytero benedici*; quia, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari; idque ob defectum significationis Sacramenti in secundis nuptiis repertum. Fagn. *in tit.*

cit. c. vir autem, *n.* 5. Pirh. *l. c.* quæ tamen significatio nimirum conjunctionis Christi cum Ecclesia, cum aliquo modo salvetur, si virgo contrahat matrimonium cum eo, qui prius aliam uxorem habuit, has nuptias secundas benedicendas esse, ex D. Thom. *in 4. sent. d. 42. q. 3. a. 2. ad* 2. Covar. *l. c.* §. 11. *n.* 2. testante, sic servari in praxi, asserit Pirh. *h. t. n.* 13. quamvis addat, id repugnare *cit. c. vir autem*, ubi absolute dicitur, secundas nuptias non esse benedicendas, si unus eas contrahentium in primis suis nuptiis fuerit benedictus, idque ne benedictio reiteretur in eadem persona, dum, ut dictum paulo ante, benedictio uni impertita, in primis nuptiis communicetur alteri conjugi non benedicto.

Dixi: *In quantum est de jure communi*: Siquidem de consuetudine dicta benedictio sacerdotalis in pluribus diœcesibus secundis nuptiis impenditur, quoties ea uni, maxime sponsæ, & in aliquibus etiam sponso, in primis nuptiis non fuit impensa, eaque tunc solum omittitur, quando ab utroque jam ante recepta; ita Perez. *l. c. n.* 2. Gobat. *l. c. n.* 564. Wiestn. *n.* 29. Pirh. *h. t. n.* 17. ubi etiam ex Sanch. *l. c. n.* 23. ait, talem consuetudinem approbatam a Joann. XXII. quamvis addat ex eodem, illam non obligare sub præcepto, sed benedictiones stante ea consuetudine omitti posse in eo casu, dum unus eorum, sive vir, sive mulier, in primis nuptiis benedictus fuit. De cætero, ut valeat consuetudo, necesse non esse, ut ea approbante vel sciente Papa fuerit inducta, contra Gl. *in cit. c. vir autem, in fine*. Abb. *ibid. n. ult.* Host. *v. benedici*, tenet cum Sanch. *n.* 20. Pirh. *n.* 18. eo quod, ut generaliter deciditur *c. fin. de consuetud.* consuetudo rationabilis legitime præscripta, etiam Principe ignorante inducta, habeat vim abrogandi legem quamcunque, nec minus id locum habeat in sacramentalibus, quale quid est benedictio illa, quam in aliis. Benedicentem vero citra talem consuetudinem secundis nuptiis incurrere, tanquam pœnam ordinariam, suspensionem ab officio & beneficio. Arg. *c.* 1. *h. t.* etsi puteat plures apud Sanch. *l. c. n.* 27. & 29. Verius tamen contrariam, seu non incurri hanc pœnam, sed etiam arbitrio Judicis inferendam, censeat Abb. *in cit. c.* 1. *n.* 5. Sanch. *n.* 30. Reiffenst. *n.* 34. eo quod dicta suspensio tanquam pœna gravissima non videatur proportionata delicto minus gravi, quale est illa secundarum nuptiarum benedictio secluso scandalo. Hanc tamen ipsam pœnam suspensionis non esse ordinariam ipso jure latam, sed a Judice ferendam, ait Pirh. *n.* 16. idque intelligendum de benedicente nuptias secundas, dum necdum constat de morte prioris conjugis, vel benedicente illas sine licentia Ordinarii, aut legitimi Parochi, vel ob speciales circumstantias delictum aggravantes. Wiestn. *n.* 30 Reiffenst. *l. c.* Hoc ipsum autem, quod dicunt Sylv. *v. nuptiæ*, *q.* 1. Paludan. *in 4. d.* 42. *q.* 3. *a.* 1. *n.* 8. Clarus §. *fin. qu.* 75. *num.* 2. hanc pœnam suspensionis per sententiam infligendam, postquam inflicta, esse reservatam Ordinario, melius negant Abb. *l. c.* Alex. *n.* 5. Menoch. *de arb. cas.* 427. Diaz. *pract. c.* 74. *n.* 2. Sanch. *cit. n.* 30. quos citat & sequitur Wiestn. *num.* 39.

Finis Libri Quarti Decretalium.

INDEX

INDEX
ACCURATUS ET COPIOSUS
RERUM OMNIUM
IN HOC LIBRO QUARTO CONTENTARUM.

Numerus Primus Quæſtionem ſignificat ; ubi duo ſunt numeri, poſterior Paragraphum Quæſtionis indicat.

Abſens, Abſentia.

Accuſare.

Actio.

Adoptio, Adoptare.

Adulter, Adultera.

Adulterium.

Ætas.

Affinitas.

Alimenta.

Archiepiscopus.

Arrha.

Baptismus.

Benedictio.

Bo-

Bona.

Catholicus.

Cardinalis.

Cautio.

Censura.

Clericus.

Cognatio Spiritualis.

Cognatio Legalis.

Concubina.

Conditio.

Conjux.

Consanguinitas.

Consensus.

Copula.

Etiam

Consuetudo.

Contractus.

Crimen.

Cultus disparitas.

Defectus.

Defloratio, Deflorator.

Denunciatio.

Dispensatio, Dispensare.

Divortium.

Dominus.

Donatio.

Item

Dos Dotare.

Episcopus.

Error.

Eunuchus.

Excommunicatio.

Executio.

Expensæ.

Fama.

Fœmina.

Feudum.

Fidejussor.

Fidelis.

Filius, Filia.

Fiscus.

Fornicatio.

Frater.

Furiosus.

Gradus.

Hæres, Hæreditas.

Hæreticus.

Hermaphroditus.

Honestas, Publica.

Igno-

Ignorantia.

Illegitimus.

Impedimentum.

Impotentia.

De

Impuberes.

Infans.

Infideles.

Inimicitia.

Interdictum.

Judex.

Judæus.

Jurisdictio.

Juramentum.

Præ-

Jus patronatus.

Legatus.

Legatum.

Legitimatio.

Legitimus.

Lepra.

Leproſus.

Lex.

Liberalitas ſponſalitia.

Liberi, *Vide* Filius.

Libellus repudii.

Libertas.

Linea.

Majoratus.

Maritus.

Mater.

Matrimonium.

Sa-

Ma-

Metus.

Minor.

Monachus.

Morbus.

Mors.

Mutus.

Novitiatus.

Nuptiæ.

Obligatio.

Occisio.

Ordinarius:

Ordo.

Osculum.

Pactum.

Papa.

Paren-

Parentes.

Parochus.

Pater.

Patrinus.

Paupertas.

Pignus.

Pœna.

Polygamia.

Prælatus.

Princeps.

Probatio.

Procurator.

Professio.

Promissio.

Puberes, Pubertas.

Raptus.

Religio.

Sacramentum.

Sævitia.

Senex.

Sententia.

Servus.

Idem

Sponsa, Sponsi.

Sponsalia.

Spon-

Spurius.

Sterilis.

Stipes.

Subarrhatio.

Substitutus.

Surdus.

Suspensio.

Tempus.

Testis.

Tutor, Tutela.

Va-